UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorvm

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

urn:nbn:de:hbz:466:1-50980

Visual Library

I R A



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 2954.

I VII 35

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

J. 459.


DE ERVDITIONE RELIGIOSORVM LIBRI QVINQVE:

INSIGNIS PIETATE AC DOCTRINA VIRI, P. F. HVMberti, totius Ordinis Fratrum Prædicatorum quinti Generalis Magistri.

ACCESSIT PRÆTEREA ALTERIVS CVIVSDAM RELIGIOSI viri, Ordinis D. Benedicti, tractatus duplex; Prior de horis Canonicis ritè persoluendis; alter de aliis spiritualibus religiosorum hominum exercitamentis.

Vide folio 347.

Monast. Abdingkoff. ord. S. Bened. paderb.



Cum gratia & Priuilegio Cæsareæ Maiestatis.

INGOLSTADII, Excudebat DAVID SARTORIVS.

Anno M. D. XCI.

Liber Monasterij Abdingkoff in Pachiornâ, ibidem indigno Administro F. Victore Rosæ, donatus à Reuerendo Dño Gotefrido Draeck, Abbate veteris Campi, Anno salutis 1596, mense Martio.

PRAEFATIO AD LECTOREM.

VAERI merito à nonnullis solet, plúsne vtilitatis populo Christiano adferant, qui nouos in lucem libros emittunt, an qui veteres, in tenebris latentes, recudi curant. Qua de re vt accuratius disputare meì instituti minimè esse animaduerto; ita negari non potest, quin si non plus, æquè certe communi bono consulant, qui in eo laborant, vt veterum, ac præstantium auctorum monumenta, vix de nomine nota, palam exstent.

Quando vel apud Trithemium, vel apud alios legimus, quàm multa, quàm præclara, quàm vtilia, cõplures scripserint, quotusquisque est, qui eorum videndorũ, ac perlegendorum cupiditate non accendatur? Quàm multa nunc ignorantur, ad hominis cognitionem perficiendam, moresq; conformandos

in primis facientia; quæ si haberemus mirificas sanè, atque vberrimas vtilitates inde caperemus. Quid quod ipsa antiquitas, præter solidam doctrinam; nescio quid etiam venerationis, atque authoritatis habet, quod ad animos promouendos valet plurimùm? Vtinam homines essent, qui è veteribus bibliothecis, è latibulis, erutas præstantes lucubrationes, cum reliquo cœtu communicarent; næ ij, si vlli alij de Christiana Republica optimè mererentur. In iis certè Vmbertum esse, de cuius officina nunc aliquid prodit, nemo ignorat, qui vel mediocriter est in veterum lectione versatus.

Donatus quidem luce fuit hic liber, ante aliquot annos, & Louanij, & mox Parisiis: sed ita de repente ea exemplarium copia distracta est, ac propemodum euanuit, vt apud plerosque vix visus, aut auditus, omnino sileret, neq; quantocunq; studio, inueniri, aut cerni posset. Quàm multa, quamq; hominibus, Religiosis præsertim, conducibilia ille scripserit, tum alibi, tum in Dominicanis Annalibus videre est; quæ qui nanciscereturmagnum

magnum ille profectò se thesaurum reperisse sapienter cogitaret. Verùm, quando ea habere non datur, quæ conceduntur, animis libentissimis accipiamus, ac potitis, quantum licet, fruamur.

Hoc certe de Eruditione Religiosorum volumen, quanta dignum commendatione sit, vel ex eo facilè videre est, quod vix non ita pridem editum, & quidem bis, extemplò auidè raptum nouimus, &, vel modicè degustatum, vehementer nunc à quamplurimis expetatur. Tantum enim summus hic vir in docendo, ac regendo valuit, vt vtiliter admodũ semper se in animos insinuarit, atq; eos, quocunq; vellet (voluit autem semper benè) deduceret. Ecquid mirum? Eius enim industria factum est, dum ipse Ordinis Prædicatorum Magister Generalis esset, vt Ordo ille & sanctitate, & eruditione, & hominibus in primis floreret, atq; abundaret. Quod, quamuis per se multum, parũ tamen erat; si illius temporis in mentem veniat, cùm Vmbertus, ob nominis claritatem, de mortuo Cœlestino quarto, in summo Pontificatu, neq; Cardina-

NOTA

Papa Celestinus, quartus, Mediolanensis, obijt Anno christi 1241, octobris die 8

lis, neq; extra Religionem vllam dignitatem gerens, suffectus ferè est. Verùm de tali viro præstat nihil, quàm pauca dicere.

Quare ad nostrum opusculum redeamus; cuius sextũ librum, de quiete mentis in Deo, propterea omisimus, quod argumentum illud breuius omnino, ac pressius, quàm res tanta requireret, tractaretur: si præsertim nostra tẽpora aspiciamus, quibus ea res minus nota, minusq; vsitata est. Quare, ea parte in præsentia prætermissa, eius loco per commodam Monachis, à Monacho Benedictino præstitam olim operam, adiungere visum est.

Erat & hoc beneficium, vt perutile; ita paucis concessum, cum vel diligenter conquisita exemplaria, nusquam haberentur. In eo libro de Oratione, meditatione, lectione, examine, reliquaq; spiritali cultura ita agitur, vt & ad captum, & ad fructum vix quidquã magis oportunum quæras. Qui hæc habet, is certè quæ ad hunc finem Vmbertus habebat, minus desiderabit; vt non tam quidpiam de Vmberto detractum, quàm Vmberti perfecta cogitatio videri possit.

Quo

Quo autem ad hanc nos editionem accingeremus, permultum nos mouit, non solùm crebro petita, ac negata exemplaria; sed & eximius in Religiosis hominibus fructus, quē ex hoc opere cōplures percepturos speramus. Reflorescit enim diuino beneficio, ætate nostra, cum omni literarum genere, etiam non exiguus passim Religiosæ disciplinæ amor, ac studiū, vt, intra paucos annos, & longè melior facies eius vitæ exstet, & antiqua sensim decora reuiuiscere appareat.

Adhæc quantum Vmbertus noster cum adiuncta tractatione collaturus sit, hæc qui leget, agnoscet; qui vero vsurpabit, magno suo, aliorumq; commodo experietur. Quare, vt valdè omnes hæc exstare cupiuerunt; ita quoque ex eorum lectione magnos in spiritali vita progressus facere & optamus, & precamur.

PROLOGVS.

Hierem. 6. ERVDIRE HIERVSALEM, NE FORTÈ recedat anima mea à te : ne fortè ponam te terram desertam, & inhabitabilem. Hierusalem, secundùm nominis interpretationem, quæ est pacifica vel visio pacis, spiritualiter significat religionem, quæ intendit paci pectoris; & aspirat ad pacem æternitatis. Hanc in verbo proposito Deus hortatur, vt erudiatur : & si erudiri noluerit, tria mala ei comminatur : scilicet cordis sui recessum ab ea: defectum bonorum spiritualium : & defectum personarum. Primum, ibi; ne fortè recedat. Secundum, ibi; ne fortè ponam te terram desertam. Tertium, ibi; & inhabitabilem.

Spiritualiter requirit Dominus cor viri religiosi. Præbe fili mi cor tuum mihi. Ideo custodiæ cordis multum debet intendere. Omnia custodia serua cor tuum. Sed multi religiosi facti sunt sicut columba seducta; non habens; cor. Defectu enim eruditionis, & prolixitate nimia vocalis orationis factum est, vt multi ex eis solummodo labijs Deum honorent, secundùm aliam literam; Populus hic labijs me honorat; cor autem eorum longè est à me. Et quia Deus cor eorum non habet; cor Dei seu anima ab eis recessit.

Prou. 23. *Prou. 4.* *Oseæ 7.* *Isa. 29.*

Qui

Qui religiones instituerunt, multum voluerunt, vt fratres lectioni vacarent. Vnde beatus Benedictus (vt habetur in eius regula) ad ociositatem vitandam animæ inimicam, lectioni omni tempore aliquam partem diei dandam esse decreuit: reliquam verò partem diei labori manuum deputauit, exceptis dominicis diebus, in quibus voluit vt omnes vacarent orationi & lectioni, exceptis his, qui essent varijs officijs deputati. *Cap. 48.*

Ordinauit etiam, vt tempore lectionis, monasterium circuirent vnus vel duo de senioribus: ad videndum an esset aliquis, qui lectionem negligeret, aliosqúe à lectione impediret: & si quis talis inueniretur, voluit vt non hic negligenter præteriretur, sed corriperetur semel & secundo: & si non se emendaret, tali correctioni subderetur, vt cæteri timerent. *Eodem capit. 48. à med.*

Quidam verò sensum suum rectitudini regulæ præponentes, in quibusdam monasterijs neglecta lectione & dimisso labore, diuinum officium adeò prolongauerunt, quòd ferè totum diem in eo occupauerunt: in quo multum videntur errasse, & à regula temerè deuiasse: cùm in eâdem regula dicatur, vt in conuentu indebitè non prolongetur oratio. Ipsi voluerunt facere viuarium sine aqua sapientiæ salutaris: non attendentes illud Isaiæ. Computrescent pisces sine aqua, & morientur in siti. Cùm iuxta verbum Psalmistæ, Deo psallendum sit sapienter. Quomodo sapienter psallet, qui ne- *Cap. 50: Psal. 46.*

gligentia lectionis, sapientiam non habet? Sicut enim dicit glossa super dictum verbum Psalmistæ: Nemo sapienter facit, quod non intelligit. Item dicit beatus Benedictus de eo, qui orando cum DEO loquitur: quod debet loqui cum eo, cum reuerentia & puritate & deuotione.

In regula cap. 20.

Qualis verò reuerentia est, quando ille qui orat, propter prolixitatem orationis tædio affectus, Deo dorsum vertit: cùm deprecetur Deum vt sibi intendat, ipse tamen nec Deo, nec sibi intendit? Cùm aliquis orando tota die cum Deo loquitur, vix est quod irreuerentia non admisceatur. Familiaritas enim nimia parere solet contemptum. Frequenter etiam in oratione prolixa, puritas cordis amittitur. Est enim frequentius vt symiaca: quia ex consuetudine cordis, attentione labia mouentur: interim verò cor malis cogitationibus repletur & maculatur. Item Psalmorum multitudine, vel orationis prolixitate intellectus grauatur: & deuotio spiritus exhauritur. Ficulnea habens folia & non fructum, ad maledictionem saluatoris est arefacta: Sic qui tota die folia verbalis orationis habent in ore, multoties inueniuntur aridi à gratiæ humore: & vbi sunt verba plurima vocalis orationis, frequenter ibi est egestas deuotionis.

Matth. 21.

Præterea cùm indentitas sit mater fastidij; monachi qui solum vacant orationi, vt frequenter sunt fastidiosi & accidiosi; vnde parum gratum est DEO seruitium eorum. Hieronymus:

mus: Melior est quinque Psalmorum cantatio cum cordis puritate ac serenitate, & spirituali hilaritate: quàm Psalterij modulatio cum anxietate cordis atque tristitia. Gratior est DEO psalmodia & cantus cordis, quàm oris. Sic Apostolus psallebat, & psallere monebat, Psallam (inquit) spiritu, psallam & mente. Item: Cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino. Tum loquimur cum DEO, dum oramus; & ipse nobiscum loquitur, dum legimus; non videtur nobis expediens quòd semper oremus, ita vt non sit tempus in quo loquatur nobis Deus: cuius loquutio loquutioni nostræ indubitanter est præferenda. *1. Corint. 14. Eph. 5.*

Ad hæc cum tria sint opera, quæ ad vitam contemplatiuam pertinent, scilicet, lectio, oratio & meditatio, lectio orationem & meditationem dirigit: vnde ipsa deficiente, oratio erit execrabilis Deo secundùm illud, Qui declinat aurem suam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Meditatio verò efficitur DEO abominabilis. Subintrant enim muscæ morientes, quæ perdunt suauitatem vnguenti: peruersæ, scilicet cogitationes à Deo separantes: vel cogitationes sine intellectu fructum spiritus impedientes. *Prou. 28.*

Ex defectu eruditionis multa mala secuta sunt in religione & in monasterijs: de quibus decem tangere sufficiat. *Quæ malæ sequantur ex defectu eruditionis.*

Primum est, cæcitas ignorantiæ: quæ inter maculas prima numeratur, propter quas à Dei ministerio aliquis repellitur, Dictum est Aaron;

Homo

Leuit. 21. Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panem Deo suo: nec accedet ad ministerium eius, si cœcus fuerit. Honor regis cœlestis in ministris suis iudicium
Prou. 14. discretionis diligit. Acceptus est regi minister intelligens: iracundiam eius inutilis sustinebit. Inutilem dicit, non intelligentem.

Secundum est, immundicia multa. Non est scientia Dei in terra. Et subditur, Maledictum, mendacium & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt. Non erat mirum, si o-
Osea 4. pera tenebrarū faciebant, qui in tenebris ignorantiæ erant. Quomodo immunditia cauerētur, vbi quid esset immundum, non agnoscebatur? Item non erat mirum si immunditia abundabat, vbi aqua sapientiæ deficiebat. Quomodo præcepta regularia seruarentur; vbi non intelligebantur? Quomodo semitam religionis tenere poterant, qui cæci erant? Difficilius enim est tenere semitam, quàm viam latam & publicam. Mira fatuitas: vitam contemplatiuam ducere volebant, qui cæcitate ad contemplandum impotentes erant, non intelligentes, quòd sicut ad actiuam vitam non est idoneus mancus, ita nec ad contemplatiuam cæcus. Sicut oculus corporalis absque luce corporali inutilis est. sic oculus contemplationis, qui est oculus Ecclesiæ, sine lumine sapientiæ inutilis esse videtur.

Tertium est, quòd qui cum infirmitate monasteria intrabant, vel qui infirmitatem incurrebant; non curabantur. Sicut enim erit salus,

vbi

vbi multa consilia sunt: Sic erit mors, vbi nulla consilia sunt. *Prou. 24.*

Quartum est, quòd paruuli qui intrabant monasteria illa, non proficiebant, imò præ defectu cibi spiritualis peribant. Si enim petebant panem, non erat qui frangeret eis: sed præ esurie & siti anima eorum in ipsis deficiebat.

Quintum est, quòd illi qui in monasterijs illis impugnabantur, vincebantur, cùm non haberent gladium spiritus, scilicet verbum Dei, quo hostes inuisibiles maximè superantur. Hoc gladio vicit saluator tentatorem. Ipsi erant absque gladio in fortiori parte belli. Religiosi enim fortissimè à dæmonibus impugnantur. *Matth. 5. Luc. 4.*

Sextum est, quòd sacramenta conculcabantur. Qui enim dignitatem & virtutem sacramentorum non agnoscebant, debitam ad ea reuerentiam non habebant: sicut nec porcus reuerentiam exhibet margaritis. Nolite sanctum dare canibus: neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis. *Matth. 7*

Septimum est, corruptio symoniaca: tam in receptione fratrum, quam in institutione prælatorum. Peccatorum symoniæ in multis monasterijs non reputabatur, quia non agnoscebatur; quod tamen tantum est, quod comparatione ipsius cætera crimina pro nihilo reputantur (vt ait Damasus Papa) Et hoc in capitulo Tanta, de symonia. *Lib. 5. decr. ti. 2. cap. Tanta.*

Octauum est, quod in multis monasterijs carnaliter

naliter viuebatur. Cùm enim fratres spirituales delicias non haberent, carnales quærebant. Anima rationalis nobilissima creatura, ad æternas delicias creata, sine delicijs esse non potest.

Nonum est, quòd minima bona magnis præponebantur ibi, vt pulchritudo exterior, quæ est vana, interiori, quæ est vera.

Decimum est, quòd mala valde magna non timebantur: vt indigna celebratio, quæ occi-
1. Corint. 11. sioni Christi comparatur. Quicunque manducauerit panem, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Glo. Ambrosius: Mortis Christi pœnas dabit, id est, ac si Christum occiderit, punietur.

SEcundum malum, quod iuxta commina-
tionem Domini præpositam, accidit religioni, erudiri nolenti, est, defectus bonorum spiritualium. Homines enim ineruditi bona spiritualia non agnoscunt: ideo ea nec desiderant, nec quærunt, nec à datore eorum ea recipiunt: qui indubitanter ipsis ea daret, si ea debito modo, & desiderarent, & quærerent. Non
Eccl. 40. enim auarus est, vt ea dare nolit: nec inops, vt ea dare non possit. Sicut super omnem aquam viriditas: & ad oram fluminis ante omne fenum euelletur: sic vbi deest aqua sapientiæ, est ariditas, bonorum scilicet spiritualium defectus, & quasi desertum.

Deut. 8. Legitur de deserto, per quod transierunt filij Israël: quòd nullæ omnino erant ibi aquæ.
Prou. 10. & 24. Qui indocti sunt, in egestate cordis morientur.

In

In doctrina verò replebuntur cellaria, vniuersa substantia preciosa & pulcherrima. Cellaria nostra sunt corda. Cellaria illa quæ nobiscum ferre non possumus, non sunt nostra. Non sunt bona hominis; quæ secum ferre non potest. Substantia preciosa, est Dei gratia: cùm vna gutta gratiæ prævaleat toti auro mundi. Pulcherrima verò est, cùm DEI similitudo sit. *Ambrosius.*

TErtium malum quod accidit religioni erudiri nolenti, est defectus personarum: quia fit solitudo, habitatio bestiarum, non hominum. Intuitus sum, & non erat homo. Augustinus in libro de Discip. Christiana: Beluinus est homo amando talia, qualia beluæ. Semihomines sunt, vbi exterius est forma humana, interius beluina. Statuæ religiosorum sunt ibi. Quorum figura fuit vxor Loth in statuam versa. Statua est corpus sine spiritu, quæ in exterioribus homini assimilatur: interiora verò hominis illi desunt. Cùm domus religionis ad hoc sit instituta; vt sit locus salutis, vt scilicet homines salutem suam facilè ibi operentur; inhabitabilis fit, cùm locus damnationis efficitur; vix aliquis ibi saluetur; cùm scilicet multitudo ibi impellit ad damnationem, & pauci vel nulli à damnatione retrahunt, vel ad salutem trahunt. *Hier. 5. Ante med. lib. tom. 9.* *Gen. 19.*

Cum igitur multum Deo placeat, & religioni multum expediat, vt ipsa erudiatur: ego in ordine fratrum Prædicatorum minimus, de benignitate Saluatoris, non de proprijs viribus confisus, præsens opus ad Dei gloriam & humi-

lium

lium profectum compilare volui : in quo aliqua ad religionem pertinentia, in scripturis diffusa, breuiter collegi : vt viri religiosi in his quę ad statum eorum pertinent, faciliùs valeant erudiri. Quod quidem opus in sex libros distinxi : vt quæ in eo continentur, facilius inueniantur, & melius in memoria teneantur, & vt mens lectoris à grauamine quadammodo releuetur. Sicut enim dicit beatus Augustinus : Ita libri termino reficitur lectoris intentio; sicut labor viatoris hospitio.

INCI-

INCIPIT PRIMVS LIBER DE ERVDITIONE

Religiosorum, qui ordinat religiosum ad mundum. Et continet quatuor partes. Quarum prima, gratiam viro religioso in eductione de seculo à Deo factam indicat: & diuiditur in octo capita. In quorum primo declaratur quòd educto de seculo, necessariũ sit gratiam in eductione factam sibi agnoscere.

CAPVT I.

QVI gratiam acceptam non agnoscit, & de ea gratias non agit, & de eius amissione non dolet: se ipsius gratię recuperatione reddit indignum: & maxima castigatione & Dei punitione dignum: & alterius gratiæ susceptione indignum. Augustinus dicit super illud, Non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt. Quod Deus dederat gratis, tulit ingratis. Non est dignus dandis, qui non agit grates de datis. Bernardus; Ingratitudo est ventus vrens: siccans sibi fontem pietatis. Necessarium est ergo illi, quem misericordia Dei de sæculo eduxit, vt magnitudinem gratiæ quam accepit, agnoscat: & frequenter de ea gratias referat Deo: vt sic gratiam acceptam custodiat: & receptione gratię alterius dignus existat. Ad locum vnde exeunt flumina (gratiarum supple) reuertuntur,

Rom. 1. Glosa ordinar. ad illud, cùm cognouissent.

Sermon. 51. in Cant. à medio.

Eccles 3.

vt iterum fluant. Cùm eduxiſſet Dominus filios Iſrael de Ægypto, vbi grauiter premebantur: voluit eos habere tantum beneficium in memoria, dicens eis: Memẽtote diei huius, qua egreſsi eſtis de Ægypto. Et ſæpe eis hoc beneficium in memoriã reducebat. Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti. Non minus beneficium eſt, eductio de ſeculo, per eius cõtemptum & religionis ingreſſum, eductione corporali de Ægypto. Vita enim amatorum mundi, illorum ſcilicet qui amant bona mundi, vſq; ad contemptum Dei, graui ſeruitute premitur. Auguſt. Malus tot dominorum ſeruus eſt; quot vitiorum. Voluptuoſus ſeruus eſt ſerui ſui, ſcilicet corporis ſui, cui obedit, etiam mortem ſuam imperanti: & eſt valde grauis ſeruitus iſta. Per tria mouetur terra: & quartum ſuſtinere non poteſt. Per ſeruum cùm regnare ceperit. Auarus ſeruus eſt auaritiæ, qui exhibet eum venalem; etiam vili precio. Item dicitur de auaro. Hic animam ſuam venalẽ habet. Superbus ſeruus eſt vanæ gloriæ, quæ tantùm tributum ab eo exigit; quòd ad eius ſolutionem, comitatus, vel ducatus, vel etiam regnum non ſufficit.

Exod. 13.

Pſal. 80.

Lib. 4. *de ciuitat. Dei, cap.* 3. *circa finem, to.* 5.

Pro. 30.

Eccl. 10.

Septem conſiderationes, quæ valent ad cognoſcendum magnitudinem gratiæ, in eductione de mundo, à Deo receptæ.

CAPVT II.

AD cognoſcendum magnitudinem gratiæ in eductione de mundo à Deo receptæ; multum valere poſſunt ſeptem cõſiderationes. Quarum

rum prima pertinet ad mundi tenebrositatem. secunda ad eius falsitatem. tertia ad bonorum mundi modicitatem. quarta ad impedimentum maiorum bonorum. quinta ad bonorum mundi velocem transitum. sexta ad mundi cruciatum. septima ad eius periculum. Post septemplicem circuitum ciuitatis Hierico; muri eius coram filiis Israel corruerunt. Et in corde eius, qui religionem ingressus est, ad dictas septem considerationes mundus quodammodo corruit, vt in eum nihil possit: & in comparatione regni cælestis nihil ei sit. *Ioſ.6.*

Circa mundi tenebrositatem notãdum, quòd eius amatores magnas tenebras patiuntur: ideo mundus conuenienter per Ægyptum intelligitur. Ægyptus enim tenebræ interpretatur. Vna plaga Ægypti fuit tenebrarum. Extendit Moyses manus in cælum, & factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Ægypti. Vbicunque verò habitabant filij Israel; lux erat. De tenebris malorum habetur; Via impiorum tenebrosa. In Psal. Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant. Ipsum enim lumen amatorum mundi, tenebræ sunt: iuxta illud, Sapientia huius mundi stultitia est apud Deum. Si lumen quod in te est, tenebræ sunt: ipsæ tenebræ quantæ erunt? Causa harum tenebrarum est, quod oculos suos statuerũt declinare in terram, quæ est corpus obscurum: dorsum habentes ad Deum, vnde est verum lumen. Augustin. in libro Cõfessionum, Dorsum habebam ad lumen: & facies mea non illuminabatur. Item in libro de libero arbitrio. Væh eis Domine: *Exod.10. Prouerb.4. Psal.81. 1. Corinth.3. Matth.6. Lib.4. cap. 16. à medio tomo 5.*

mine: qui auertunt se à lumine tuo. Ipsi etiam nubem peccatorum suorum sibi & vero soli interponunt: ideo ab eo non illuminantur. Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum. Sicut omnis virtus facit ad cordis illuminationē: sic omne vitium ad eius obtenebrationem. De superbia est hoc manifestum, quòd est quædam inflatio faciei interioris: visum spiritualem impediens. Augustin. in libro Confes. Tumore nimio separabar à te: & nimis inflata facies claudebat oculos meos. Superbia est quasi quidam mons, radios veri solis à corde prohibens. Hic est mons in quo Angelus clarior syderibus obtenebratus est. Bernard. Nónne hic est mons, in quem Angelus ascendit: & diabolus factus est? Gregorius de superbis ait: Tanto à luce Dei lōge sunt, quanto apud se humiles non sunt. Bernardus: Superbo oculo veritas non videtur. De inuidia verò idem patet: quæ oculos cordis excæcat. Hæc excæcauit Iudęos. Excęcauit eos malitia eorum. Per diem incurrēt tenebras: & quasi in nocte sic palpabunt in meridie. Gregorius: Mens inuidi cùm de alieno bono affligitur, quasi de radio solis obscuratur. Et subdit: Dies boni operis in proximo lucet exterius: sed quasi in nocte palpant inuidi, quia liuore cæci aliqua quæ reprehendant, inuenire satagunt. Ipsi sunt vt noctuæ lucē bonorum operum odientes: & tenebrosa opera amantes. Bona opera proximi sunt vt candelę: lucem boni exempli nobis monstrantes, sed inuidi candelis istis oculos sibi eruunt. De ira idem patet: Impedit enim ira animum, ne possit cernere verum.

Isaiæ 59.

Serm. 4. de Ascen Domini ante medium. Similia habet 32. moral. cap. 8. Iob 5.

Serm 62. In Cant.

Ca-

Caligauit ad indignationem oculus meus. Turbatus est à furore oculus meus. Item: Supercecidit ignis: & non viderunt solem. Ignis, inquam, iræ. Ira enim excæcatur homo sicut vrsus ad peluim ardentem excœcatur. De odio similiter patet, quòd cor obtenebrat, Bernardus: Amor vel odium, veritatis nescit iudicium. De accidia idē patet: quòd dum hominem quasi dormire facit, oculos cordis ei claudit. Vsquequo piger dormies? Pigredo immittit soporem. De vitio gulæ idem patet: Grauantur enim oculi cordis crapula & ebrietate: & oculi corporis aliquando. Attendite ne grauentur corda vestra crapula & ebrietate. Cui suffosio oculorum? Nónne his qui morantur in vino: & student calicibus epotādis? Excessum in cibo & potu comitantur fumositates: quæ visum spiritualem impediunt. De ebrietate est hoc manifestum: quod oculos obtenebrat cordis: quæ hominem quasi insanum reddit. Cœperunt furere Principes à vino. Reuera nihil aliud est ebrietas, quàm voluntaria insania.

Iob 17. *Psal.* 6. *Psal.* 57. *In tract. de gradib. humilitatis, cap. Inquirimus.* *Prouerb.* 6. *Idem* 19. *Luc.* 21. *Pro.* 23. *Osea* 7.

De peccato luxuriæ idem patet, cùm amans aliquam fatuo amore, eam credat esse pulcherrimam, quam omnes alij sciunt esse turpē. De peccato auaritiæ & cupiditatis idem patet: Sollicitudine enim temporalium, oculi cupidi & auari velantur: & velatis oculis ad suspendium infernale ducitur. Cùm modicum pulueris terreni visum oculi corporalis impediat: non est mirum si visus cordis impediatur, in quo per sollicitudinem & inordinatum amorem, multitudo terrenorum recipitur. Tobias excæcatus est calidis

Tob. 2.

ſtercoribus hirundinis. Sic ardens amor ad temporalia, quæ Apoſtolus arbitratus eſt vt ſtercora: oculos cordis excæcat. Auguſt. in libro Confeſſionum loquens Domino ait: Spargis pœnales cæcitates ſuper illicitas cupiditates. Saluator illuminaturus cæcum à natiuitate: lutum poſuit ſuper oculos eius: Inſinuans cauſam cæcitatis ſpiritualis eſſe lutum diuitiarum. Vnde habetur de auaro: Vſquequo aggrauat contra ſe denſum lutum? Præterea vbi amor, ibi oculus. Vbi eſt theſaurus tuus: ibi eſt & cor tuum. Cupidus ergo & auarus habent oculos cordis in burſa, vel in arca, vel in agris ſuis, ideo non vident quæ ad ſalutem animæ ſuæ pertinent; ſicut ille qui oculos corporales amiſit, nõ videt corporaliter. Oculi ſapientis in capite eius: ſtultus in tenebris ambulat. Oculi ſtultorum in finibus terræ. Cupidi & auari talpæ comparantur, quæ dicitur habere oculos velatos: Affectus in malis hominibus poſt ſe trahit intellectum: ſecundum illud Pſal. Tranſierunt in affectum cordis. Affectionem erroneam comitatur intellectus erroneus. Lucerna impiorum peccatum. Vnde cùm peccatum ſit res tenebroſa; intellectus eorum in peccatis manens errat. De impietate dicitur: Hic eſt oculus eorum in vniuerſa terra. Auguſt. Errat, quiſquis veritatem ſe poſſe noſcere putat; ſi adhuc nequiter viuat. Amatores mundi, & bona, & mala excæcant. Mala: quia per impatientiam eos quaſi inſanire faciunt. Bona: quia excæcant eos dona, ſecundum illud: Non accipies munera quæ excæcant prudentes. Xenia & dona excæcant oculos Iudicum.

Ioan.9.
Abac.2.
Matth.6.
Eccl.2.
Pro.17.
Pſal.72.
Pro.21.
Zach.5.
Exod.23.
Eccl.20.

Tantæ

Tantæ sunt tenebrę amatorum mundi; vt seipsos non videant; nec attendant quibus seipsos pascant: vel vbi maneant: vel quo tendant. Seipsos non vident. Putant enim se sapientes, cùm stulti sint: putant se esse magnos, cùm in valore nihil sint. Qui existimat se aliquid esse cùm nihil sit: ipse se seducit. Meliorem partem sui, scilicet animam, cognoscere non videntur, putantes pulchritudinem corporis & ornatum, id est, affectionem sibi sufficere: anima deformi, nuda, & famelica remanente, & ita in vanum videntur animam suam accepisse. Corpus etiam suum non perfectè agnoscunt: cuius non attendunt originem vel finem: vel quod in eo cõtinetur. Si enim eius originem vel finem attenderent; agnoscerent illud esse terram, vel puluerem & cinerem, vel putredinem. In Psal. Sciant gentes quoniam homines sunt. homines scilicet ab humo. Puluis es, & in puluerem reuerteris. Item ait Abraham: Loquar ad Dominum Deum meum: cùm sim puluis & cinis. Quid superbis terra & cinis? Putredini dixi, pater meus es, mater mea, & soror mea vermibus. Si quod in eo continetur, attenderent, saccum stercorum, illud esse agnoscerent. Gloria impij stercus & vermis. Quibus se pascunt, non agnoscunt; qui prohibitis fruuntur, acquisitis scilicet per vsuram, furtum, & rapinam: quæ quasi venenata sunt eis. Dicitur de auaro: Cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris. Vbi maneant, non vident; iustitia enim Dei quam pro bonis minimis contemnunt, gladium euaginatum tenet super capita eorum, quæ eos

Gal.6.

Gen.3.
Ibid.18.

Eccl.10.
Iob.18.

Mach.2.

Eccl.5.

occideret, nisi Dei misericordia expectans eos ad pœnitentiam, hoc prohiberet. Fugite à facie gladij, quoniã vltor iniquitatis est gladius. Quo tendant nõ vident, quia velatis oculis ad patibulum infernale ducuntur. Gregorius: Qui presenti suauitate capitur, quasi per amœna prata ad interitum ducitur. Et notandum quod cæcitas amatorum mundi in multis differt à cæcitate corporali. Cæci enim corporaliter, cæcitatem suam licet nõ videant, tamẽ de illa dolent: illuminari cupiunt: & ducem quærunt. Amatores verò mundi cæcitatem suam (spiritualia enim postponentes, voluptates mundanas exoptant) non agnoscunt, & ideo ab illuminatione remoti sunt. Vidisti hominem sibi sapientem (sapientia videlicet mundi) videri? magis illo spem habebit insipiens. Ipsi cæcitatem suam loco in quo sunt attribuunt, sicut refert Seneca, de quadam fatua relicta sibi ab vxore sua, quæ visum amiserat; & domui in qua erat imputabat, quòd non videbat: petens se transferri ad alium locum. Sic amatores mundi vitia sua non agnoscunt: & aliter neminẽ in isto mundo posse viuere asserunt. Cæci corporaliter multum de cæcitate sua tristantur: vt patet ex verbis Tobiæ dicentis: Quale gaudium mihi erit: qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video? Amatores verò mundi de miseria cæcitatis suæ non dolent: & ideo sunt miserrimi. Augustinus: Quid miserius misero, non miserante seipsum? Cæci corporaliter illuminari multum desiderant. vt patet de cæco illo, cui cùm dixisset Dominus: quid vis faciam tibi? Illuminationem præ omnibus elegit, dicens:

Pro. 26.

Epist. 51. paulò à princip.

Tob. 5.

Lib. 1. conf. cap. 13. to. 1.

Ioan. 3.

dicens: Domine vt videam. Amatores verò mũdi lucem odiunt: & prædicationem qua illuminari possent, fugiunt. Qui malè agit, odit lucem. Ipsi ducem non quærunt. Seneca: Cæci ducem quærunt, & nos sine duce erramus. Errauerunt cæci in plateis. *Tren.3.* Amatores mundi tenebras diligunt: & ad tenebras infernales vadunt. Hoc est iudicium (id est, causa iudicij seu damnationis) *Ioan.3.* quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. Qui de mundo ad religionem ordinatam transit, de loco tenebrarum ad locum luminis transit vel vadit: vbi remota terrenitate per paupertatem spiritus, fugata nube peccatorum à vero sole, meditatione, lectione, oratione illuminatur. Ad illuminationem etiam operantur actus luminosi, scilicet exempla virtutis, quæ in fratribus conspiciuntur: Luceat lux vestra coram hominibus: vt videant *Matt.5.* opera vestra bona.

De falsitate mundi.

CAPVT III.

CIrca falsitatem mundi notandum, quòd mundus est falsus & fallax: & non inuenitur in eo veritas. In Psalm. Non est in ore eorum veritas. Non est veritas, & non est misericordia, *Osea 4.* & non est scientia Dei in terra. Non inuenitur in eo fides, nec vera amicitia. Virum fidelem quis inueniet? Sapiens. Id primum sentio: nisi in bonis *Pro.20.* amicitiam esse non posse. Quomodo amat alium qui non amat seipsum? In Psal. Qui diligit iniquitatem: odit animam suam. Qui sibi nequam; cui *Eccl.14.*

bonus erit? Non amant amatores mundi, etiam propinquos suos: & si amant eos aliquando carnaliter, odiunt eos spiritualiter. Vnusquisque à proximo suo se custodiat; & in omni fratre suo non habeat fiduciam, quia omnis frater supplantans supplantabit, omnis amicus fraudulenter incedet, & vir fratrem suum deridebit, & veritatem non loquetur. Nolite credere amico, & nolite confidere in duce. Ab ea quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui: quia filius contumeliam facit patri: & filia consurget aduersus matrem suam: nurus aduersus socrum suam, & inimici hominis domestici eius. Ephraim ad interfectionem deducet filios suos. Bernardus. Non parcunt suis, qui sibi non parcunt: perimentes pariter & pereuntes. Falsus & fallax est mundus: exterius aureus, interius luteus. Vnde dicitur hypocrita, Gaudium hypocritæ ad instar puncti. Secundum Hieronymum, hypocrita est, qui aliud est, & aliud simulat. Similis est mundus sterquilinio niue tecto: & sepulchris dealbatis putredine plenis: & tales sunt qui exterius apparent pulchriores, & interius sunt turpiores: igne infernali exusti & denigrati, igne scilicet luxuriæ & cupiditatis. Ad te Domine clamabo: quia ignis comedit speciosa deserti, mundi scilicet à Deo deserti. Cùm mundus sit immundus, amplectentes se amore inquinat. Augustinus. O munde immunde, quid strepis? quid auertere conaris? Qui tetigerit picẽ, inquinabitur ab ea. Fallax est mundus specie fallaciæ ignominiosissima. Quia proditor, eum cui arridet, decipit. Potius est eligenda

Hier. 9.

Mich. 7.

Oseæ 9.

Iob. 20.

Ioel. 1.

Serm. 29. de Verbis Domini circa medium.

eius

eius ira,quàm arrisus. Melior est ira risu. Gregor. *Eccl.7.*
Cùm omnis fortuna sit timenda, magis timenda prospera,quàm aduersa. Hæc enim sæuiẽdo erudit: illa blandiendo seducit. Mundus amantes se deuorat, iuxta illud Augustini: Amas seculum, absorbebit te. Amatores suos vorare nouit: non potare. Mundus enim quem osculatur, hostibus suis tradit.Ei congruit illud verbũ Iudæ: Quem- *Matth. 26.*
cunque osculatus fuero,ipse est,tenete eum.Hoc dicit mundus dæmonibus. Mundus quem osculatur, occidit: sicut Ioab Amasan: Fallaces sunt *2.Reg.20.*
amatores mundi: & fallacia bona quæ ab eis amantur: ipsi & fallunt & falluntur. Frequenter *Pro.10.*
odiunt, quos amare se verbo ostendunt.Abscondunt odium labia mendacia. Illos autem quos in prosperitate diligunt; in aduersitate deserunt.Est *Eccl.6.*
amicus secundum tempus, & non permanebit in tempore tribulationis. Ipsi parua occasione eorum inimici fiunt: quorum amici ante fuerunt. Est amicus, qui conuertitur ad inimicitias. Bona *Ibid.*
mundi fallacia sunt: ideo dicuntur mendacia.Vt *Psal.4.*
quid diligitis vanitatem, & quęritis mendacium? *Eccl.34.*
Quasi qui apprehendit vmbram, & persequitur ventum:sic qui attendit ad visa mendacia.Posui- *Isai.28.*
mus mendacium spem nostram. Seneca. Tenue est mendacium: perlucet, si diligenter inspexeris. Fallaces sunt diuitiæ: fallax mundi gratia, potentia & gloria. Diuitiæ fallaces sunt secundum illud. Sollicitudo seculi istius & fallacia *Matth.13.*
diuitiarum, suffocant verbum. Diuitiæ fallunt, quia promittunt copiam, & faciunt vel augent indigentiam.Habent enim defectus suos diuitiæ,

sicut

ſicut amator earum: quos defectus ſecum afferunt, cùm ad aliquem veniunt. Et ideo verbum ſapientis verum eſt, quod pluribus indigent, qui plura poſsident. Auarus non implebitur pecunia,& qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis. Non ſunt ſimul,fames diuitiarum,& ſatietas. Amor verò diuitiarum eſt quædam fames earum:ideò non eſt ſimul cum ſatietate,quam quaſi fructum ex diuitiis amatores earum aſſequi ſe credunt.Bernardus. Non plus ſatiatur cor hominis auro,quàm corpus aura. Seneca. Altera cupiditatum ex fine alterius trahitur. Quod eſt propter defectum, quem bona alicui adueniẽtia habent ſecum.Diuitiæ eos qui eis innituntur,fallũt: quia eis fulcimentum non tribuunt.Qui confidit in diuitiis ſuis, corruet.Deliciæ temporales fallaces ſunt. Habent enim amaritudinem annexam. Boetius.Dulcedo felicitatis humanę multis amaritudinibus reſperſa eſt. Inueni amariorem morte mulierem. Hæc mulier eſt carnis voluptas. De amaritudine iſta credendum eſt viris ſanctis, qui habent palatum cordis benè diſpoſitum: nõ peccatoribus,qui habent illud febre iniquitatis infectum. Amarior eſt voluptas carnis, quæ animam à Deo ſeparat, morte temporali, quæ animam ſeparat à corpore. Voluptas carnis eſt quaſi mel quod lingitur in ſpinis. In Pſal. Inimici eius terram lingent.Inimici Dei,ſunt amici mundi.Sicut aquæ ad mare tendunt: ſic deliciæ temporales ad amaritudinem æternam ducunt. Seneca. Voluptates non ſunt fideles, non ſunt ſolidæ: etiam ſi non nocent,fugiunt. Gratia mundi fallax eſt.Fal-

Seneca in epiſt.120.

Eccl.5.

In tract. de conuerſione ad clericos, cap.22.

Epiſt. 19. circa med.

Eccl.7.

Epiſt. 27. parum à principio.

Pro.6lt.

lax

lax gratia: & vana est pulchritudo. Multum falluntur, qui gratiam mundi quærunt. Primò, quia eis carissimè constat: cùm minus quàm nihil valeat. Tot expensæ fiunt pro mundi gratia, seu placentia habenda: quòd aliquando comitatus vel regna ad eas non sufficiunt. Pro ea fiunt pretiosi ornatus vestium, lectorum, equorum, mẽsarum: scilicet vasa aurea & argentea. Pro ea fiunt sumptuosa conuiuia: habentur multæ equitaturæ, magnæ familiæ. Gratia mundi minus quàm nihil valet: cùm magis expediat homini habere iram mundi quàm arrisum. Secundo falluntur qui Dei gratiã, quę est res pretiosissima, pro mundi gratia amittunt: quæ eis inutilis vel potius noxia est. In Psal. Confusi sunt qui hominibus placent, quoniam Deus spreuit eos. Si hominibus placerem, Christi seruus non essem. Adulteri nescitis quia amicitia huius mundi inimica est Deo? Quicunq; ergo voluerit esse amicus huius sæculi; inimicus Dei constituetur. Tertio falluntur, quia multotiens gratia huius mundi haberi ab eis creditur, & non habetur: imò rarò integrè habetur, si tamen aliquando: de Christo enim qui plenus gratia fuit, scriptum est, quod alij dicebant, quia bonus est, alij dicebant, non: sed seducit turbas. Quartò fallũtur, quia licet gratia mundi aliquando, quantum ad plures habeatur: citò amittitur. vt in Christo, qui die qua venit Hierosolymam ad passionem, gratiam habuit: sed citò eam amisit. Bernardus. Ab eodem populo, in eodem loco, & ipso tempore, paucissimis diebus interpositis: primo cum tãto triumpho susceptus, postea crucifixus

Gal.1.
Iacob.4.

Serm.2. dominica in rami. pal. circa med.
4. *Reg.18.*

cifixus eſt. Mundi potentia fallax eſt: innitentes ei
4. Reg. 18. decipiens. Baculus arundineus eſt. Speras ſuper baculo arundineo & confracto, Ægypto, ſuper quem ſi incubuerit homo, comminutus ingredietur manum eius & perforabit eam. ſic eſt Pharao Rex Ægypti, omnibus qui confidunt in ſe. Potentia ſæculi comparatur arundini in aquis creſcenti: exterius nitidę, interius vacuę, fructum non habenti niſi lanuginem. Potentes ſeculi in aquis deliciarum creſcunt; quia vt frequenter delicatè nutriuntur, & viuunt, exterius nitent per vanam gloriam, interius vacui ſunt, habentes ſeruitutem & impotentiam ignominioſam. Frequenter magis ſubiecti ſunt vitiis, & minus poſſunt eis reſiſtere: vt ſuperbiæ, iræ, odio, gulæ. Fructum verò potentiæ ſuæ hunc habent: quòd magis onerati peccatis decedũt, & ad maiorem cruciatum vadunt. Potentes potenter tormenta pa-
Sap. 6. tientur. Fortioribus fortior inſtat cruciatus. Glo-
Ibid. ria mundi fallax eſt, multum decipiens amatores ſuos. Primò, quia credunt gloriam: quæ verè
Phil. 3. ignominia eſt. Gloria in confuſione eorum qui terrena ſapiunt. Veſtimentum corporis quod ipſi credunt glorioſum, verè eſt ignominioſum: tanquam verecundiæ remedium, turpitudinis operimentum, pulchritudinis adiutorium, ab infimis creaturis ignominiosè mendicatum, & ſignum eſt culpæ, vt cauterium latronis. Bernard. Qui de veſte gloriatur, ſimilis eſt furi glorianti de cauterio: quia propter peccatum Adæ introductus eſt vſus veſtium. Secundo, gloria mundi amatores ſuos decipit, quia vt frequenter cito in igno-

ignominiam conuertitur. Seneca. Cito fit ignominia superbi gloria. Gloriam eorum in ignominiam commutabo. *Ose.4.*

Tertiò, quia valdè carè eam emũnt: cùm nihil valeat. Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est. Si multi tantum expenderent pro æterna gloria, quantũ ipsi expẽdunt pro vana: vix essent qui eam non haberent. Quartò, quia multũ est eis noxia, opera eorũ inutilia reddendo, gloria ęterna priuãdo, & pœnæ æternæ eos obligando. Dicitur de eis qui quærunt mundi gloriã. Receperunt mercedẽ suam. Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date ei tormentum & luctum. *Ioan.8. Matth.6. Apocal.15.*

De bonorum temporalium modicitate.

CAPVT IIII.

CIrca modicitatẽ bonorum temporaliũ notandũ, quòd bona temporalia modica sunt respectu Dei, & respectu animæ, & respectu cœli.

Respectu Dei sunt quasi gutta roris. Tanquam momẽtum stateræ, sic est ante te orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani: imò nihil sunt respectu Dei. Vsq; modo non petistis quicquam. Nihil petit, qui temporale petit. Aspexi terram, & ecce vacua erat. *Sap.11. Hier.4.*

Respectu animę modica sunt: quia eam replere nõ possunt. Cũ enim anima capax sit Dei, minuto eo nõ potest impleri. Modica etiã sunt respectu cęli: sicut centrũ respectu circũferẽtię. Latitudo est circũferentię, nõ centri. Sen. Punctũ est id in quo nauigatis, bellatis, regnatis. Idẽ. Ab vltimis littoribus Hisp. vsq; ad Indos pauciſsimorũ dierũ spacium

cium iacet, si nauem ferat ventus. At illa cælestis regio per triginta annos velocissimo sideri viam præstat. Modica est bonitas temporalium rerum respectu futurorum bonorum. Vmbræ enim sunt potius verorum bonorum; quàm vera bona. Omnia transierunt velut vmbra. Signum modicæ bonitatis eorum est, quod Deus dat ea, & amicis suis, & inimicis. Communia enim sunt & bonis & malis: & plus habent inde mali quàm boni. Possessores suos non faciunt bonos: imò frequenter vel malos faciunt, vel malitiam augent, vel in ea detinent. Pluribus nocent quàm prosunt. Vsquequo stulti quæ sibi sunt noxia cupiēt? Amatores suos inquinant: tendentes ad cælum onerant. Augustinus in libro de Ciuit. Dei. Deserto bono, bonorum proprio, lapsus factus est ad bonorum minimum: non bonis proprium, sed bonis & malis commune.

Sap. 5.

Pro. 1.

Quod bona temporalia, maiorum bonorum, vt puta spiritualium, sint impedimenta.

CAPVT V.

CIrca impedimentum quod bona temporalia bonis spiritualibus præstant, notandum, quòd oportet eum à creatura auerti, qui ad Deū vult perfectè conuerti: & terrenis euacuari, qui vult cælestibus impleri. Augustinus super illud Psal. Diligite Dominum omnes sancti eius. Disce non diligere mundum, vt discas diligere Deum: auerte, vt conuertaris: funde, vt implearis. Sicut non coniungitur cælum terræ, imò multum distat ab ea: sic cœlestia in corde humano terrenis non

Concione 3. in Psal. 30. paulo à fine.

non coniunguntur. Vult Deus tanquam nobiliſsimus Dominus,& ad prouiſionem ſeruorum ſufficientiſsimus,habere ſeruos proprios,ab alia ſeruitute expeditos:qui totaliter poſsint eius intendere ſeruitio. Habuit Abraham vernaculos expeditos. *Gen.14.* Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire. *Matt.6.* Non poteſtis Deo ſeruire,& Mammonæ. Sermo Dei in pauperibus plus proficit. Sunt enim à curis liberiores: & cùm ſint hic in miſeria; alterius felicitatis ſunt inueſtigatores. Ideo Saluator pauperibus euangelizare miſſus eſt. *Iſaiæ 61.* De Iudæis amantibus terrena dicitur; Non profuit eis ſermo auditus. *Heb.4* Et iuuenis habens multas poſſeſsiones, audito conſilio Domini de poſſeſsionibus vendendis, abiit triſtis. *Matth.19.* Semen inter ſpinas ſuffocatur. Inuitati ad nuptias excuſant ſe,eò quòd ſunt negotiis terrenis impediti. *Idem 13.* Abũdantia temporalium & obliuio Dei frequenter ſe comitantur. *Luc.14.* Effraim & Manaſſe fratres fuerunt. Effraim fructificans interpretatur,Manaſſe obliuio,quia proficientes in temporalibus, Deum ſolent obliuiſci. Caue ne cùm dederit tibi Dominus vrbes & oppida,cunctarumq; opum copiam,obliuiſcaris Domini Dei tui. *Deut.8.* Pincerna Pharaonis in proſperitate conſtitutus, oblitus eſt Ioſeph interpretis ſui. *Gen.40.* Expedit ei qui vult ad cœlum tendere, onus temporalium deponere. Auguſt. in libro de verbis Domini. Abiice à te diuitiarum onera: abiice vincula voluntaria: abiice anxietates & tædia, quæ te annis plurimis inquietant. *Serm.25.in fine.* Hiero. Si habes in poteſtate tua, rem tuam vende: ſi non habes,proiice. Facilè ſaluatur diuitiarum contemptor: difficile earum amator. Vnde

Matth.5. pauperum ſpiritu dicitur eſſe regnũ cœlorum.
Ibid.19. Diues difficile intrabit regnum cœlorum. Faci-
Luc.18. lius eſt camelũ per foramen acus tranſire, quàm
Matth.19. diuitem intrare in regnum cœlorum: quàm dif-
ficile qui diuitias habent, intrabunt regnum cæ-
Intract. ſuper illud: Matth.18. Ecce nos reliquimus omnia. lorum. Bernardus. Fœlices exonerati, qui ſequi poſſunt expediti. Arctiſsimum enim foramen nos expectat: contendamus neceſſe eſt ingredi per anguſtam portam. Quid tu camele gibbum: quid tu pecunioſe loculos proditoris tollis? Nõ ſic impie, non ſic ingredieris: foramẽ acus huius ſarcinas non admittit.

De veloci tranſitu bonorum temporalium.

CAPVT VI.

CIrca velocem tranſitum bonorum temporalium nota, ſicut apparet velox tranſitus fluminis, cùm conſideratur ſtabilitas littoris: ſic apparet velox tranſitus temporalium comparatione æternorum. Hunc velocem tranſitum recognoſcunt ſuperbi: qui pœnæ æternæ in inferno ſunt condemnati. Tranſierunt omnia illa
Sap.5. tanquam vmbra, & tanquam nuncius præcurrens, & tanquam nauis quę pertranſiit fluctuantem aquam, cuius cùm præterierit, non eſt veſtigium inuenire, neque ſemitam carinæ illius in fluctibus: aut tanquam auis quæ tranſuolat in aëre, cuius nullum inuenitur argumentum itineris illius: aut tanquam ſagitta emiſſa in locum deſtinatum; ſic & nos nati continuo deſiuimus eſſe. & ſubditur: Spes impij tanquam lanugo eſt quæ à vento tollitur: & tanquam ſpuma gracilis quæ à procella diſpergitur: & tanquam fumus, qui

qui à vento diffusus est : & tanquam memoria hospitis vnius diei prętereuntis. Temporale cõparatum ad æternum, est, quasi res quę iam præteriit. In Psalm. Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna quæ pręteriit. Item est velut somnium, secundum illud : Velut somnium auolans non inuenietur, & transiet sicut visio nocturna. Parum durant homines, parum durant res temporales, & citò transeunt de persona in personam. De primo. Quid est vita nostra ? Vapor ad modicum parens. In Psal. Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros libani : transiui, & ecce non erat. De secundo dicit Augustinus, 3. lib. Confessionum. Si quid arrisisset prosperi, tædebat apprehendere : quia penè priusquam teneretur, euolabat. Bernardus. Eras si mansuras tibi putas diuitias : quæ per tot manus hominum transierunt.

Psal. 89. *Iob* 20. *Psal.* 36.

De Cruciatu mundi.

CAPVT VII.

CIrca mundi cruciatũ nota, quòd vita mundana multum est laboriosa. Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, ambulauimus vias difficiles : Fatigationis huius duplex est causa, scilicet, multitudo agendorum : & multitudo impedimentorum. Amatores mundi tot inueniunt impedimenta in his quæ agunt, quòd etiam homines potentes non perficiunt quod intendunt. Greg. Vita pręsens laboribus plena est, cum luctu agitur, & cum lachrymis amittitur. Non sunt sine cruciatu, qui amore spinas diuitiarum amplectũtur. Dicitur aũaro : Cuncti dies

Sap. 5.

Eccl.2. eius pleni sunt doloribus & ærumnis: nec per noctem mente requiescit. Non sunt sine cruciatu, qui in spinis vitiorum iacent. Nunquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? Non sunt sine cruciatu, quos vermis conscientiæ rodit. Arguet te malitia tua. Augustinus. Curre per singula, & inuenies tot animæ tormenta, quot vitia. Tormentum superbiæ est quasi suspendiũ. Qui suspenditur ad lignum altum; fune ligatur. Superbus verò in vinculo amoris ad ipsam altitudinem ligatus est. Est enim superbia secũdum Augustinum, amor propriæ altitudinis. Ponderositas corporis, qua suspensus inferius trahitur, qui fune ligatus in alto tenetur, est ei occasio doloris: sic superbum affligunt impedimenta suæ exaltationis. Tormentum vanæ gloriæ est, quòd ipsa amatores suos, vento detractionis & adulationis expositos, inquietat. Ascendunt vsque ad cœlos, & descendunt vsque ad abyssos; modò parui, modò magni, modò nulli videntur.

Matth.7.
Hier.2.
Epistol. ad Demet. ca. 18. in med.
Lib.11. super Gen. ad lit. cap.14.
Psal.106.

Tormentum iræ est excæcatio. Impedit enim ira animum, ne possit cernere verũ. Homo iratus est quasi furiosus. Aliquando manus in se iniicit. Homo per malitiam occidit animã suam. Aliquando aggreditur proximum suum, aliquando Deum, vel aliquos sanctos eius blasphemando. Ipse est quasi dęmoniacus secundum illud; Exagitabat Saul spiritus nequã à Domino.

Sap.16.
1. Reg.16.

Tormentum inuidiæ valde magnum est. Sapiens. Quanta sunt hominum fœlicium gaudia, tanti sunt inuidorum gemitus. Inuidus amittit quod alij lucrantur. Horat. Inuidia Siculi non inuenêre tyranni, maius tormentum, Inuidus alterius

Lib.1. epist. epist.2. circ. finem.

alterius rebus macrescit opimis. Tormentum accidiæ tantum est, vt morti comparetur. Desideria occidunt pigrum. Noluerunt quidquam manus eius operari. Tota die concupiscit & desiderat. Totus est famelicus, cùm sit otiosus. Aures eius esuriunt rumores: oculi vanitates; gula manè comedere vellet. Tormentum gulosi magnum est. Ipse patitur quasi caninum appetitum. Cùm non esurit cibum, esurit esuriē cibi. Ventre enim pleno, si delicata habeat, tristatur: quia non habet vel appetitum, vel vacuitatem ventris. Vox gulosi est verbum illud Esau: En morior. Tormentum etiam infirmitatis frequenter vitium gulæ comitatur. In multis escis erit infirmitas. De tormento huius vitij dicit sapiens quidam; Si videres epulones velut opimos boues stertere & sudare, intelligeres eos qui maximè voluptates sequuntur, minimè assequi. Tormētum luxuriæ, magnum est. Voluptas enim huius peccati, inter amaritudines inclusa est. Procuratio habet afflictionem: & finis fœditatem. Sene. In voluptate nihil est magnificum: nihil quod naturam Deo proximam deceat; membrorum turpium ministerio veniens, exitu fœda. Amor se fatuè amantium, est quasi ignis infernalis eos crucians. Tormentum cupiditatis & auaritiæ magnum est valde. Sicut patet ex hoc quòd veritas diuitias spinas vocat. Abel frater fuit Cain: Luctus enim comitatur possessionem temporalium. Abel luctus, Cain possessio interpretatur. Greg. Quid quietius quàm nihil in hoc mundo appetere? Quid laboriosius, quàm terrenis desideriis æstuare? Hinc est quòd Israel accepit sab-

Pro. 21

Gen. 25.

Eccl. 37.

batum in munere. Ægyptus percutitur muscarum multitudine. Sapiens. Nihil grauius potest imprecari cuiuis inimico auaritia; quæ in præsenti tormenta patitur, & in futuro æterna supplicia meretur. Ponam Babilonem in possessionem ericij: vt scilicet pungatur ab his quæ possidet, sicut tangens ericium ab eo pungitur. Diuites, amatores temporalium, exterius videntur fœlices: interius tamen sunt miseri. Seneca. Horum qui fœlices vocantur, hilaritas ficta est, & grauis tristitia: eo quidem grauior, quòd non licet interdum palam esse miseros: sed inter ærumnas cor ipsum exedentes, necesse est agere fœlicem.

Isai. 14.

De periculo mundi.

CAPVT VIII.

CIrca mundi periculum nota, quòd mũdus est valde periculosus: propter quod mare dicitur. In Psal. Hoc mare magnũ & spaciosum. Periculum huius maris, iuxta verbum Bernard. probat transeuntium raritas, & pereũtium multitudo. In mari Marsiliæ, de quatuor nauibus nõ perit vna. In hoc mari, de quatuor animabus nõ saluatur vna. Mirabiles elationes huius maris. Nunquam est ibi tranquillitas: incessanter flant ibi venti, & qui in hoc mari perit, ęternaliter perit. Quasi locus diluuij est mundus iste: vbi pauci respectu pereuntium saluantur. Maledictum, mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt. Mundus est velut locus pestilens. Declinant sapientes loca pestilentia, maximè quando vel ægrotos, vel ægrotandos se cogno-

Psal. 103.

Osea 4.

cognoscunt. Seneca. Non tantum corporibus, sed etiam moribus locum salubrem eligere debemus. Idem. Indubitãter valet ad corrumpendum vigorem regio. Mundus est locus laqueis plenus: quos humilitas sola euadit. Antonius vidit omnes laqueos inimici tensos in terra, & ingemiscens ait: Quis poterit transire? Et audiuit vocem dicentem: humilitas. Creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationem animæ hominum: & in muscipulam pedibus insipiẽtium. Infinitæ sunt causæ pereundi in mundo. Perimunt homines & bona & mala, & pluries bona quàm mala, secundum illud Psal. Cadent à latere tuo mille: & decem millia à dextris tuis. Occiduntur homines & ab amicis & ab inimicis. Alij pereunt amore, alij odio, alij timore. Si non essent in mundo alia pericula, nisi excommunicatorum, detractorum, & mulierum: adhuc nimis multa essent. Vix est aliquis qui à communicatione excommunicatorum plenè abstineat, vel à detractione. Super illud: Cum detractoribus nõ commiscearis, dicit glossa: hoc vitio periclitatur ferè totum genus humanum. Hier. Efficacissimum glutinum ad capiendas animas, est mulier. Idem: Si fœmina cum viris habitet; non deerit viscarium diaboli. Ex his enim primo auspicatum est peccatum. Mundus est sicut fornax Babilonica, igne infernali succensa. Ideo multum timenda est homini valde passibili; qui ad sibilum vnius verbi, accenditur igne iræ; ad aspectum vnius mulieris, igne luxurię: ad intuitum vnius rei pretiosæ, igne cupiditatis & auaritiæ. Cùm peccatum sit morbus contagiosus;

Epist. 52. aliquantulũ à prin.

Sap. 14.

Psal. 90.

Sap. 14. Glossa ord. ad illud: Hæc quoq; sapientib.

fugienda est societas malorum. Non est tutum sano, cum leprosis habitare. Qui tetigerit picem; inquinabitur ab ea, & qui communicauerit superbo, inducet superbiam. Corrumpunt bonos mores colloquia praua. Similiter & opera mala. Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit: amicus autem stultorum similis efficietur. Qui vult ire ad sanctum Iacobum, non ponit se in societate eorum qui Romam pergunt. Societas non ducit, nisi quo vadit: Sic qui vult ire ad paradysum, declinare debet societatem eorum qui vadunt ad infernum. Fili mi, ne ambules cum eis, pedes enim eorum ad malum currunt. Noluit Iacob habere Esau socium itineris. Senec. Conuictor delicatus paulatim eneruat & emollit: malignus comes quamuis candido & simplici rubiginem suam affricuit. Quis miserebitur ei, qui comitatur cum viro iniquo? Sicut enim non est tutum agno habitare cum lupo: ita nec bono habitare inter malos. Si communicabit lupus agno aliquando; sic peccator iusto. Philosophus interrogatus quid esset inimicissimum homini? Respondit, alter homo. Magis timendum est inter malos venire, quàm inter lupos: quantum ad hoc, quòd lupus vno modo læderet: Venienti verò inter malos, timendum est lædere, & lædi: & videre, & videri: audire, & audiri: occidere, & occidi. Videre fuit Dauid occasio & adulterij, & homicidij. Bernardus, Detrahere aut detrahentem audire: quid horum damnabilius, non facile dixerim. Videri est multis occasio, vt bona sua amittant. Mulieribus formosis videri, est occasio vt concupiscantur: & sollicitatæ fornicentur.

Eccl. 13.

1. *Corin.* 15. *Pro.* 13.

Pro. 10.

Eccl. 12.

Eccles. 13.

Libro 2. *de consid. parũ & fine.*

tur. Seneca. Nemo noſtrum ferre poteſt impetũ vitiorum: magno impetu venientium. Si modicum fermenti totam maſſam corrumpit, quanto magis multum fermẽti eam corrumpet? Valde difficile eſt bonis, ſi ſint inter malos, cùm ipſi pauci ſint, & habeant aſcendere, contraire multitudini malorum, quæ quaſi infinita eſt, & impetuoſe deſcendit. Ideo multum eis neceſſe eſt elongari ab eis. Ne coneris contra ictum fluuij. 2. Corint. 5. Eccl. 4.

INCIPIT SECVNDA PARS HVIVS libri, quæ tantùm continet vnum capitulum: in quo incitat ad gaudendum de mutatione ſtatus ſecularis in ſtatum religionis.

QVem Dei miſericordia de mundo eduxit, ſi diligenti conſideratione prædicta attendat, conſequens eſt, vt de commutatione facta non pœniteat, ſed valde gaudeat. Vtilis commutatio tranſeunti de tenebris ad locum luminis. Dulce lumen, & delectabile oculis videre ſolem. Vtilis commutatio, cùm mundus fallax pro Deo fideliſsimo deſeritur: cùm bona temporalia modica in breui amittenda, meliorum impeditiua, pro maximis in ęternum manſuris relinquuntur. Vtilis tranſitus de loco preſſuræ & laboris, ad locum pacis & quietis. In mundo preſſuram habebitis: in me autem pacem. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, &c. Nõ habent pacem amatores mundi: qui mala pœnæ fugiunt, quæ non effugiunt: & bona fugientia ſequuntur. Vtilis tranſitus à loco pleno periculis, ad locum ſecuritatis. Qui Eccl. 11. Ioan. 16. Matth. 11.

de mundo transit ad claustrum bene ordinatum, gaudere debet: sicut illi qui per arcam à periculo diluuij fuerunt liberati: & sicut Loth ab incendio Sodomorum saluatus fuit; & sicut filij Israel gauisi sunt, cùm seruitutem Pharaonis & exercitum eius euaserunt: & sicut pueri à fornace ignis Babylonica fuerunt liberati. Qui mundum pro Deo reliquerunt, si id pro quo reliquerunt, viderent, non pœniterent, nec se deceptos esse crederent. Dictum est de Niniue, quæ tenet figuram mundi: Qui viderit te, resiliet à te: dictum est de muliere forti: Gustauit & vidit quoniam bona est negotiatio eius. Simile est regnũ cœlorum thesauro abscondito in agro: quem qui inuenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit vniuersa quæ habet, & emit agrum illum. Qui nunc tristatur, labore & malorum perpessione regnum emendo: gloriabitur illo obtento. Malum est, malum est, dicit omnis emptor, & cùm recesserit, tunc gloriabitur.

Num.3.

Pro.Vlt.

Matth.13.

Pro.20.

INCIPIT TERTIA PARS PRIMI LIbri, quæ monet vt eductus de sæculo, nec corde, nec corpore ad sæculum redeat. In cuius primo capitulo ostenditur, quòd reditus ad sæculum multum sit timendus.

CAPVT I.

MVltum timendum est ei, quem Dei bonitas de sæculo eduxit, ad illud redire corde vel corpore: ante professionem, vel facta professione. De reditu post professionem;

nem; hoc patet: Qui enim sic ad sæculum redit: à Deo recedit & perit. Aug. in lib. Soliloquiorum. Deum quem relinquere, hoc est, quod perire. Iste recessus à Deo multum habet confusionis. Domine omnes qui te derelinquunt, confundentur. Verè confusione dignus est, qui eum relinquit timore mali, in quo nihil habetur mali. Qui custodit præceptum, non experietur quicquam mali. Quod alij esset malũ, ei est bonum. Dignus etiam est confusione, qui ei prẹponit aliquod bonum, in quo omne bonũ, & quo amisso nullum retinetur bonũ. Dixit Dominus Moysi: ostendam tibi omne bonum. Omne bonum, est Deus: & illo amisso, omne bonum amissum est. Proiecit Israel bonum. Bonũ vniuersaliter proiicit, qui Deum deserit. Seneca. Nihil est homini bonum, sine se bono. Cum Deo bene est homini: sine ipso non. Dicite iusto, quia bene. August. Tale bonum est Deus, vt nemini eum deserenti bene sit. Verè confusione dignus est, qui eum relinquit à quo existit: & qui eum redemit. Deum qui te genuit, dereliquisti: & oblitus es Domini creatoris tui. Ingratus sensu dereliquit liberantẽ se. Verè confusione dignus est, qui pessimum Dominum, optimo præponit. Dixit Petrus Domino quærenti à discipulis, an vellent abire: Domine ad quem ibimus? Malitia Domini ad quem itur, cùm à Deo receditur, multum deberet cohibere à recessu ab ipso. Maximè in futuro à Deo cõfundentur, qui à Deo recedũt, quando manifestum erit toti mundo, quòd ipsi sunt qui dixerunt Deo, Recede à nobis. Tunc Deus relictus ab eis, reddẽs eis vicẽ dicet eis: Discedite à mẽ

Lib. 1. cap. 1. parum ante med.
Hier. 17.
Eccl. 8.
Exod. 33.
Osee 8.
Colligitur ex epist. 77.
Isa. 3.
Deut. 32.
Eccl. 26.
Ioan. 6.
Tob. 1.
Psal. 2.

Matth.7. & 25. à me qui operamini iniquitatem. Discedite à me maledicti in igné æternum. Discessus iste à Deo multum prouocat eius indignationem: cùm miser vermiculus Dominũ maiestatis sine culpa eius dimittit. Solent magni Domini seruitores suos aliquãdo dimittere: sed Dei benignitas seruientes sibi non dimittit, nisi eum dimittant. Augustin. Nemo te amittit, nisi qui te dimittit. Magnitudo diuinæ indignationis aliquando ex hoc apparet, quòd Deus permittit apostatas in tanta miseria esse in hoc sæculo. Conflabitur in-

Hier.42. dignatio mea super vos, cùm ingressi fueritis Ægyptum. Apostatæ sunt arbores infructuosæ bis mortuæ. In canonica Iudæ: Mundo moritur cùm de sæculo egreditur: Deo moritur, cùm ad sæculum reuertitur. Fructum seu vtilitatem vitæ qua mundo viuitur, amisit in monasterij ingressu: vtilitatẽ vitæ qua viuitur Deo, in egressu:

Prouerb. 6. & sic factus est homo inutilis. Iuxta illud: Homo apostata, vir inutilis.

Quod multa sunt reditum ad seculum dissuadentia.

CAPVT II.

REligiosus cui tentator suadet vt ad sæculum redeat, ista ad sui stabilimentum at-

Ioan.11. tendere debet. Saluator Lazarum ad vitam sæculi reuersurum plorat. Qui non plorauit moriturum, plorauit ad sæculum reuersurum. Magis expediret aliquibus mori, quàm ad sæculum reuerti, quia iuxta verbum Senecæ: Maius est periculum malè viuendi, quàm citò moriendi. Item

Matth.27. Saluator Iudæis suadẽtibus, vt de cruce descenderet,

deret,nullatenus acquieuit:neque motus pietate matris, cuius animam gladius paſsionis pertranſibat: neque promiſsione Iudęorum qui dicebant,ſe in eum credere,ſi deſcenderet de cruce.Saluator etiam poſtquam de mundo receſsit, licet aliquibus bonis ad confirmandam fidem reſurrectionis apparuerit:mundo tamen immiſcere ſe noluit.Multum timendum eſt ei,qui acquieſcens Angelo magni conſilij,terrena dereliquit:derelicto eius conſilio in conſilium impiorum abire,& ad ea redire,quę reliquit.Deſpexiſtis omne conſilium meum, &c. Ego quoque in interitu veſtro ridebo. Beatus vir qui non abiit in conſilium impiorum. Infœlix verò qui abiit. Item multum terrere debet illum qui pœnitet, quòd terrena pro cœleſtibus reliquit, quod legitur in vita B. Ioannis Euangeliſtæ de duobus fratribus perſonis honoratis : qui audita eius prædicatione, ſuas poſſeſsiones vendiderunt,& pauperibus diſtribuerunt. Qui cùm quadam die viderent ſeruos quos habuerunt , diuites, & in habitu pretioſo : ſe autem egentes, & in habitu vili: contriſtati ſunt de hoc quod fecerant. Quo cognito, Ioannes virgis ſylueſtribus in aurum commutatis,& lapidibus communibus mutatis in lapides pretioſos, dixit: Ite & redimite vobis terras quas vendidiſtis, quia cœlorum præmia perdidiſtis. Et ſuſcitans quendam iuuenem qui mortuus efferebatur: fecit quòd ipſe illis fratribus annunciaret, quantam gloriam amiſerant, & quantam pœnã incurrerant. Columba comperto quòd diluuium non ceſſaſſet, ad arcam rediit. Cùm ergo diluuium peccatorum in ſæculo

Pro.1.

Pſal.1.

Gen.8.

culo inceſſanter ſit, non videtur eſſe columbæ cœleſtis, illuc redire, ſed potius corui infernalis. Coruus ab arca emiſſus, non legitur ad arcam fuiſſe reuerſus. Quem ſpiritus Dei in clauſtri deſertum duxit, credere debet ſpiritũ malignum eſſe, qui reditum ad ſæculum ei ſuadet: quia ſecundum Bernardum: Spiritus ſanctus qui adduxit, non reducet: cùm non ſit in eo eſt & non: Angelica admonitio eſt ad Loth facta: Noli reſpicere poſt tergum tuum: nec ſtes in omni circa regione: ſed in monte ſaluum te fac. Reſpiciens autem vxor eius poſt ſe, conuerſa eſt in ſtatuam ſalis. Statua ſt corpus ſine ſpiritu: ſimilitudinem habens hominis, non veritatem. Sic reſpiciens ad ea quæ reliquit: ſimilitudinem habet religioſi, non veritatem. Corpus habet in clauſtro, cor in mundo. ſic ſit quædam ſtatua: Hoc exemplo vtitur Saluator, dicens: Mementote vxoris Loth. Nemo mittens manum ad aratrum, & aſpiciens retro, aptus eſt regno Dei. Filij Iſrael de manu Pharaonis liberati, pertranſito mari rubro non redeunt in Ægyptum: ſed de ſua liberatione exultant, & laudant ſuum liberatorem. O quàm fatuè egiſſent, ſi in Ægyptũ rediiſſent. Ne deſcendas in Ægyptum. Nolite intrare in Ægyptum. Magi diuinitus edocti ad Herodem non redierunt, Saluatoris hoſtem. Ioſeph etiam timuit redire ad locum vbi audiuit regnare Archelaum. Sic timendum eſt ei qui propriam ſalutem deſiderat, redire ad mũdum: vbi Satanas aduerſarius ſalutis inter ſeruientes ei regnat & habitat. Scio vbi habitas, vbi ſedes eſt Satanæ.

In ſerm. de quadruplici debito,

Gen. 19.

Luc. 17.

Ibid. 9.

Exod. 15.

Gen. 26.

Hier. 42.

Matth. 2.

Apocal. 2.

De

De his quæ valent ad ſtabilimentum viri religioſi.

CAPVT III.

QVatuor multum poſſunt valere ad ſtabiliendum nouitium in religione. Primum eſt timor confuſionis. Secundum eſt timor periculi. Tertium amor propriæ ſalutis. Quartum eſt ſpes adiutorij. Circa primum notandum, quòd raro eſt reditus ad ſæculum ſine confuſione. Vix eſt qui rediés non incurrat notam leuitatis, vel verecundiæ, timiditatis, vel alicuius iniquitatis. Leuitati aſſcribitur, quòd incœpit facere, & non potuit conſummare. Cum leuitate, etiam notatur de fatuitate, quæ leuitatem comitatur. Stultus vt luna mutatur. Seneca. Stultitia eſt cui nihil conſtat: nihil diu placet. Stulti quod non habent, cupiunt: quod habent, faſtidiunt. E contrario eſt de ſapiente. Seneca. Quid eſt ſapientia? eſt idem velle ſemper atque nolle. Non poteſt cuiquam idem ſemper placere niſi rectum. Sapientiam non vincit malitia. Non eiicit tentator ſapientem de clauſtro. Stabiliuit cælos prudentia. Per eam viri cæleſtes ſtabiliuntur. Non eſt ſine ignominia, cùm pugil fugit extra locum certaminis. Victus enim reputatur. Locus certaminis eſt clauſtrum. Dum in clauſtro manet aliquis, adhuc ſpes habetur de eius victoria, etiamſi hoſtis ei aliquando præualeat: quia victorem à victo ſuperari ſæpe videmus. Si ſpiritus poteſtatem habentis, aſcenderit ſuper te, locum tuum ne dimiſeris. Non eſt ſine confuſione

Eccl. 27.

Epiſt. 20. ante med.

Sap. 7.

Pro. 3.

Eccl. 10.

cùm

cùm aliquis ſolus fugit de prælio, aliis remanentibus, pugnantibus & vincentibus. Rarò aliquis clauſtrum deſerit, qui non prius Deum deſeruerit: & ab eo deſertus ſit. Solet ſequi receſſum à Deo timor irrationalis. In Pſal. Trepidauerunt timore, vbi non erat timor. Habuit Cain caput tremulum poſt peccatum. Comminatus eſt Dominus tremorem iſtum Iudæis: ſi ab eo peccando recederent. Terrebit eos ſonitus folij volantis: & ita fugient quaſi gladium. Fugit impius nemine perſequente.

Pſal.13.

Leuit.26.

Pro.28.

Nota etiam quòd qui de religione ad ſeculũ redit, aliquam iniquitatẽ habuit, quæ eum quieſcere non permiſit. Sicut punctiones muſcarum vel ſpinarum iumentum diſcurrere faciunt, ſic punctiones vitiorum animum inſtabilem reddunt. Peccatum peccauit Hieruſalem, propterea inſtabilis facta eſt. Cor impij quaſi mare feruens quod quieſcere non poteſt. Spiritus rationalis, qui nobilis eſt, in lecto ſordidæ cõſcientiæ quieſcere non poteſt. Ideo qui ad religionem intrat, debet facere cõfeſsionem generalem: & exemplo Dauid lauare per ſingulas noctes lectum ſuum: vt in eo cum Deo quieſcere poſsit: & ſic ſtabilis eſſe poterit. Si iniquitatem quę eſt in manu tua, abſtuleris à te, & non manſerit in tabernaculo tuo iniuſtitia tua, tunc lauare poteris faciem tuam abſq; macula, & eris ſtabilis. Timor periculi, multum valere poteſt ad ſtabiliendum nouitium in religione. Mundus iſte igne infernali ſuccenſus eſt, ſcilicet iræ, cupiditatis, auaritię, vel luxurię. Et ideo cum indignatione repellenda eſſet ſuaſio, qua diabolus ſuadet reditum

Treu.10.

Iſa.57.

Pſal.6.

Iob 11.

ad

ad sæculum. Bernardus. Domus ardet, ignis instat à tergo : & tu mones non egredi, vel iam egressum regredi? Perditionis filius esse videtur, qui iam est in loco salutis, & ad locum periculi redit. Nemo ex eis periit, nisi filius perditionis. *Ioan.17.* Talis periculum suum videtur amare : vnde nõ est mirum si in illo pereat. Qui amat periculum, in illo peribit. Timor huius periculi, est quasi clauus configens carnalem affectum, ne eo stimulante redeat nouitius ad seculum. Confige timore tuo carnes meas. *Psal.118.* Item est quasi pondus comprimendo retinens: sicut asseres lapidum ponderositate retinentur in tectis domorum. Timor Dei super omnia se superposuit. Si non in timore Domini tenueris te instanter, citò subuertetur domus tua. *Eccl.25.* *Ibid.27.* Spes etiam multum valere potest ad stabiliendum nouitium. Est enim quasi anchora conseruans, ne vehementia tentationis à Deo auellatur, & ad seculum reuertatur. *Heb.6.* Dicitur de spe; Quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam. Augustus. Noli abrumpi ab anchora, antequam intres portum. Fluctuat nauis in anchoris: sed non longè à terra proiicitur. Conatur diabolus deiicere nouitium, diffidentia vel desperatione, continuitate vel vehementia tentationis: vel diuturnitate claustralis laboris. Sed diuturnitati laboris opponenda est æternitas mercedis. Augustus. Si labor te terret, vide mercedem. Diuturnitas, quodammodo facit vt leuius sustineatur, ratione consuetudinis, quæ diuturnitatem sequitur. Sapiens. Optima forma viuendi eligenda est, quam iocundam reddet assuetudo. Vehementiæ, vel continuitati

tentationis, resistit spes diuini auxilij & adiutorij. In Psal. Dominus protector vitę meę: à quo trepidabo? Dominus est in circuitu populi sui: quasi murus defendens eum. Vehementia etiam tentationis est occasio, vt facilius sustineatur: quia ad hoc facit, vt gratia augeatur. Fidelis
1. *Cor.* 10. Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, id est, gratiæ augmentum, vt possitis sustinere. Fiducia etiam est habenda in suffragiis Sanctorum, & adiutorio fratrum. Et notandum est, quòd Deus iuuat seruos suos secũdum quod ipsi habent spem in eo. Bernardus. Quatenus in bonis Domini fiducię pedem porrexeris:
Tren. 3. eatenus possidebis. Bonus est Dominus sperãtibus in se. In Psalmo. Sperantem autem in Domino misericordia circũdabit. Benedictus vir qui cõfidit in Domino: & erit Dominus fiducia eius. & subditur: Et erit tanquam lignum quod trãsplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, & nõ timebit cùm venerit æstus,
Eccl. 11. scilicet vehementis tentationis. Confide in Deo: & mane in loco tuo. Facile est in oculis Dei subito honestare, id est, ditare pauperem. Amor etiam proprię salutis potest multum valere ad stabilimentum nouitij: sicut radicatio arboris fa-
Eccl. 24. cit ad eius stabilitatem. Radicaui in populo honorificato. Populus honorificatus, est cætus seruorum Dei, in quo aliquis radicatur, cùm expulso amore sæculi, introducitur amor Dei, & sui, & proximi. Amor seculi expellitur, cùm diuitiæ, & delitiæ, & mundi honores contemnuntur. Ad cõtemptum diuitiarum pertinet votum

pau-

paupertatis : ad contemptum delitiarum , votum continentiæ : ad contemptum honorum, humilitas obedientiæ. Non introducitur amor verus , nisi expellatur amor vanus. Augustinus super epistolam Ioannis : Si mundi amor habitet : non est quo Dei amor intret. Adulterinæ plantationes non dabunt radices altas , nec stabile firmamentum collocabunt. Adulterinæ plantationes sunt, de quibus dicitur : Adulteri, nescitis quòd amicitia huius mundi inimica est Deo? Amor Dei,amor sanctæ societatis,& amor propriæ salutis multum possunt valere ad stabilitatem nouitij. Funiculus triplex difficile rumpitur. Amore Saluatoris debet esse affixus cruci religionis , qui ad religionem venit. Clauo nostri amoris potius fuit Christus affixus crucisuæ , quàm clauis ferreis. Sicut ostium sepulchri Christum non potuit in eo tenere , sic nec claui ferrei eum in cruce tenuissent inuitum, sed clauo nostri amoris tenebatur. Sic amor Christi nouitium in religione debet retinere. Amor etiam sanctæ societatis debet eum retinere.In Psalmo.Ecce quàm bonum,& quàm iocundum habitare fratres in vnum. Frater qui iuuatur à fratre , quasi ciuitas firma . Debilis qui pugnat cum forti , velle superari videtur, si potius eligat esse inter eos qui nocent , quàm inter eos qui adiutorium præbent. Amor etiam propriæ salutis debet eum retinere. Amor iste debet esse magnus in homine , cùm in bruto tantus esse videatur. Ex amore salutis esse videtur , quòd ouis lupum naturaliter fugit ; & canis , si in aquam ceciderit,

Tractat. 2. circa med.

Sap. 4.

Iacob. 4.

Eccl. 4.

Pro. 18.

natando ad littus tendit. Item auis ſagaciter cauet laqueum, & declinat lapidis ictum: & ſi ceciderit in laqueum, ad ſui liberationem conatur. Bernardus. Pudet hoc rationem non poſſe in homine, quod natura poteſt in volucre. Ad idem mouere debet amor, qui habetur ad ſanitatem corporis. Auguſt. Cum gaudio debet facere immortalis futurus, quæcunq; faceret pro differenda morte moriturus. Item ad hoc incitare debet amor, quem Deus & Angeli habent ad ſalutem noſtram. Bernard. Quid eſt homo, quia innotuiſti ei, aut filius hominis, quia reputas eum? Denique mittis ei vnigenitum tuum: immittis ſpiritum tuum: promittis vultũ tuum: & ne quid ab opere ſollicitudinis noſtræ vacet, in cæleſtibus etiam illos beatos ſpiritus propter nos mittis in miniſterium. Omnes enim ſunt adminiſtratorij ſpiritus. Maximè ad ſtabilitatem valet gratia. Vnde legitur de Spiritu ſancto, quòd ſtabilis eſt. Optimum eſt gratia ſtabilire cor. Sicut & terra ſi humor defuerit, in puluerem redigitur, & à vento diſpergitur: & corpus ſi ab eo ſpiritus receſſerit, efficitur cinis: ſic ſi gratia Spiritus ſancti nouitio defuerit, ad modum pulueris fit inſtabilis. In Pſalmo: Non ſic impij non ſic, ſed tanquam puluis quem proiicit ventus à facie terræ. Ideo frequenter & deuotè debet inuocare Spiritum ſanctum, qui confirmet quod in eo operatus eſt.

Heb.1.
Sap.7.
Heb.Glt.

INCI-

INCIPIT QVARTA PARS HVIVS libri, quæ monet Religiosum, vt nihil mundi retineat. Qualiter intrans religionem nihil mundi debet retinere.

CAPVT I.

CAuendum est omnimo dè illi, qui mundo derelicto ad religionem venit, ne aliquid mundi retineat. Primò vt Deus eum totum habeat. Secundò ne pro modico maxima amittat. Tertiò vt pacem cordis habere valeat. Si aliquid mundi retinet, princeps mundi aliquid in eo habet: & non est totus Dei. Vult Christus principē mundi nihil habere in seruis suis: sicut in ipso nihil habuit. Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. *Ioan. 14.* Nemo potest duobus Dominis seruire. *Matth. 6.* Christus seruis suis sufficientissimus est, & protector, & prouisor, & remunerator. Nimis est cupidus; cui non sufficit Deus. Non sentit de Domino in bonitate, qui credit, quòd ipse, vel nolit, vel non possit prouidere seruis suis. Verecundiam ei facit, qui in parte diabolo seruit, timens ne si Deo totaliter seruiret, necessaria habere non posset. Hiero. Non habet Christus, vnde alat pauperes suos? Valde fatuè agit, qui pro Deo mūdum reliquit, quando aliquid retinuit, pro quo Deum amittit. Ipse similis est homini negotiatori, quærenti bonas margaritas: qui inuēta vna pretiosa margarita, vendit omnia quæ habet, & emit eam: eam verò emptam pedibus conculcat, & pro nihilo dat. Ad cumulum etiā fatuitatis facit, quòd quotidie ieiuniis, vigiliis, & orationibus non

ceſſat eam emere, cùm tamen in tali ſtatu nullo modo poſsit eam acquirere. Cùm Dominus eũ de naufragio ſeculi eripuerit,& quaſii n loco tuto,ſcilicet in naui religionis poſuerit: ipſe furtiuè in naui aquam ponit, in qua ſe ſubmergit. De illo videtur poſſe dici, ſicut dixerunt Barbari de Paulo à naufragio maris liberato, cùm in manu eius vipera adhæſiſſet. Vtique homo hic homicida eſt, qui cùm euaſerit de mari, vltio diuina non ſinit eum viuere. Talis de loco ſalutis facit ſibi locum perditionis. Cùm ſit mortuus, timet tamen fame mori: niſi aliquid proprium habuerit. Si iuxta verbum Senecæ, monſtro ſimilis eſt auaritia ſenilis: quid dicendum eſt de auaritia hominis iam mortui, cui vnum eſt optandum & quærendum, ſcilicet vita æterna? Coloſſ. 3. Mortui enim eſtis. Cùm quidam fenerator Abbati Arſenio reliquiſſet magnam hæreditatem, & delatum fuiſſet teſtamentum: ipſe ait, Ego prius mortuus ſum, quàm ille: quomodo me facit hęredem? Et remiſit teſtamentum, nihil accipiens. Qui ad religionem venit, pacem non habet, ſi aliquid mundi retinuerit: ſicut nec ille, qui in ſinu ſuo ſpinas abſcondit. Seneca. Proiice quę cor tuum laniant, quæ ſi aliter extrahi non poſſent, cor ipſum cum eis euellendum erat. Quidam frater renuntians ſeculo, & ſua dans pauperibus: venit ad Abbatem Antonium: quædã tamen ſibi retinuit. Et cùm hoc comperiſſet Antonius, dixit ei: Si vis Monachus eſſe, vade compara tibi carnes, & impone corpori tuo nudo, & ſic veni ad me. Qui cùm hoc feciſſet, tam canes quàm aues corpus eius propter carnem rapien-

Actor. 28.

Habetur in Vitis patrũ in 2. parte in lib. quòd monachus nil debet poſsidere.

Epiſtol. 52. in fine.

Habetur in Vit. pat. in 2 par. cap. 64.

rapiendam, dentibus & vnguibus dilaceraue-
runt: & sic dilaceratus, venit ad Abbatem An-
tonium. Cui Abbas Antonius ait: Quicunque
renunciauerit seculo, & vult adhuc habere pe-
cuniam, sic à dæmonibus lacerabitur.

Quæ debet relinquere ille qui intrat religionem.

CAPVT II.

OMnia relinquere debet, qui venit ad reli- *Matt.19*
gionem. Ecce nos reliquimus omnia. Ber- *In tractat.*
nardus. Omnia reliquerunt Apostoli: non tan- *quē habet*
tùm possessiones, sed etiam cupiditates, & eas *super hæc*
maximè. Plus enim mundi concupiscentia no- *verba*
cet quàm substantia. Et hæc fugiendarum diui- *Mat. parū*
tiarum causa præcipua est: quia vix aut nunquā *à princip.*
absq; amore valent possideri. Limosa siquidem
& glutinosa nimis, non tantummodo exterior,
sed etiam interior substantia nostra, quæ videri
non potest: & facilè cor humanū omnibus, quæ
contrectat, adhæret. Religiosus si habuerit pro-
prium, non habebit Deum. Aug. Ego per auari-
tiam meam nō te admittere potui: sed volui te-
cum possidere mendacium, & te amisi: quia non
dignaris cum mendacio possideri. Relinquere
debet religiosus non solùm sua, sed etiam suos, *Luc.14.*
& semetipsum. de primo dicitur: Omnis ex vo-
bis qui non renunciauerit omnibus quæ possi-
det, non potest meus esse discipulus. De secūdo:
Qui amat Patrē aut matrē plus quàm me, nō est *Matth.10.*
me dignus. Si quis venit ad me, & nō odit patrē *Luc.14.*
suū & matrē, &c. nō potest meus esse discipulus.
De tertio: Si quis vult post me venire, abneget *Matth.16.*
semetipsum. Semetipsum abnegat, qui seipso

quodãmodo se exuit, proprium sensum & voluntatem deponendo: & sensum Christi & voluntatem assumendo, sicut fecerat Paulus. qui
Gal.2. dicebat: Viuo ego, iam non ego: viuit verò in
2.Corin.5. me Christus. Item se abnegat, qui se suum non reputat, sed Christi: ad cuius voluntatem vult operari. Pro omnibus mortuus est Christus: vt qui viuunt, iam sibi non viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est. Bernardus. Cui iustius mihi viuendum, quàm ei, qui si non moreretur, non viuerem? Iustè sibi vendicat vitam meam, qui pro mea posuit suam. Hieronymus. Perfectus Christi seruus nihil præter Christum habet: aut si habet aliquid præter Christum, perfectus non est: Cauendum est ei qui ad religionem venit, ne sub habitu regulari animum secularem gerat. Bernardus. Attende solerter quid diligas, quidve metuas, vnde gaudeas aut tristeris: & sub habitu religionis animum secularem, & sub pannis cõuersionis inuenies cor peruersum. Et subdit: Cõuertatur amor tuus, vt nihil omnino diligas nisi Deum, aut certè propter Deum. Conuertatur ad ipsum etiam timor tuus: quia peruersus est timor omnis, quo metuis aliquid præter Deum, & non propter Deum. Sic & gaudiũ tuum & tristitia tua, ęquè conuertantur ad eum. Hoc autem ita fiat, vt non nisi secundum eum
Gen.31. doleas aut læteris. Furata est Rachel idolũ Laban. Idolum religiosi est omnis res transitoria, quæ in amore eius, Deo prępponitur vel ęquatur. Scrutabitur Christus virum religiosum: sed eius scrutinium multum erit dissimile scrutinio Laban. Scrutabitur enim non solùm exteriora, sed

etiam

etiam interiora. Scrutabor Hierusalem in lucernis: non solùm in lucerna: quia non solùm exteriora videbuntur, sed etiam cordium abscondita. Sapiens sibi videtur vir diues, proprietarius scilicet, qui diuitias furtiuè habet in religione: pauper autem prudens scrutabitur eum, Christus scilicet. *Sopho.1.* *Pro.28.*

Quod furtum proprietarij sit valde detestabile.

CAPVT III.

VAlde detestabile est furtum proprietarij: qui furtum committit inter bonos, quod cauebat inter malos: furtum committit in sacro loco, quod cauebat in seculo. Furtum ibi committit religiosus, vbi timet illud committere secularis. Hoc peccatum multum offendit Deum, & magnum zelum debet habere contra illud, qui religioni præest: & etiam congregatio, sicut ostensum est in peccato Achan, qui contra Domini prohibitionem de anathemate Hierico retinuit furtiuè: pro quo Dominus non solùm illi, sed etiam populo se offensum ostendit, nec placari potuit, donec reus furti illius à populo lapidatus fuit. Idem ostensum est tempore gratiæ in Anania & Saphira: qui morte subitanea occisi sunt, cùm illud quod debebat esse commune, furtiuè sibi appropriassent. Idem ostensum est tempore beati Gregorij: vt in Dialogo eius habetur: Quidã frater in eius monasterio, qui medicus erat, in infirmitate positus, morti propinquus, fratri sibi seruienti reuelauit, quòd haberet tres aureos occultos; quod fratribus celari non potuit. Et perscrutantes omnia eius medi- *Iosue 7.* *Actor.5.* *Lib.4.Dialog. cap.55.*

camenta, eosdem tres aureos inuenerunt in medicamine absconsos. Quod cùm nunciatum esset Gregorio: noluit parcere, quin & infirmum & mortuum puniret. In infirmitate subtraxit ei visitationem fratrum: & in morte eius voluit corpus eius non poni cum corporibus fratrum, & tres aureos voluit cum eo sepeliri, omnibus fratribus simul clamantibus. Pecunia tua tecum sit in perditionem. Exemplo suo his qui præsunt in religione, voluit ostendere, quantum zelum contra hoc peccatum debeant habere. Hoc peccatum destruit fundamentum religionis, scilicet paupertatem spiritus: quam Saluator legem nouam tradendo, primò commendauit; Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum.

Matth. 5.

Primi Libri eruditionis Religiosorum Finis.

SECVN-

SECVNDVS LIBER ERVDITIONIS RELIGIOSORVM, qui ordinat proprium corpus Religiosi: & continet tres partes. In prima parte ostendit quòd corpus nostrum est disciplinabile. Et agitur de Disciplina in communi.

CAPVT I.

IN parte precedenti ostensum est, quomodo ille qui mundum reliquit, & ad religionem venit, debeat se habere ad mundum : in hac parte ostendendum est, quomodo se debeat habere ad corpus proprium. Inimicatur mundus Deo & seruis eius, secundum illud : Si mundus vos odit: scitote quia me priorem vobis odio habuit. Corpus etiam inimicatur spiritui, secundum illud : Caro concupiscit aduersus Spiritum. Hostes isti dissimiles sunt. Inimicitiæ mundi sunt implacabiles: & habet mundus pugnatores innumerabiles: ideo expedit seruis Dei hostem istum fugere. Alium verò hostem, scilicet corpus, non possunt fugere vel fugare : nec licet eis illud perimere. Necessariò enim habent illud circumferre: quia alligatum est spiritui ; & Dei ordinatione debent ei necessaria prouidere . Sed diligenti studio & labore , ille qui est in religione , ad hoc debet intendere, vt hunc hostem in seruum disciplinatum , & fidelem possit conuertere.

Ioan.15.

Gal.5.

Et

Et notandum quòd corpus ad seruiendum spiritui datum est. Rebellio corporis ad spiritum non fuit ab initio, sed ex vitio: vnde potest corpus in seruitutem spiritus redigi. Redigendo verò, in principio est molestia & difficultas: sed adiutorio diuinę gratiæ, & longa consuetudine efficitur, vt ibi sit iucunditas. Vnde super illud: Iugum meum suaue est, dicit Glos. Quomodo iugum Christi suaue est, cùm dicatur, arcta est via quæ ducit ad vitam? Sed angusta est: quia non nisi angusto initio incipitur: processu verò temporis, ineffabilis delectationis dulcedine dilatatur. Et in lib. de Vita solitaria, distinguuntur tria genera hominum, ex quibus constat omnis status religionis: scilicet incipientes, proficientes, & perfecti. In statu verò istorum tres gradus distinguuntur. In conuersione incipientis, initium boni est obedientia: proficientis, subiicere corpus suum, & in seruitutẽ redigere: perfecti, vsu boni consuetudinem vertisse in delectationem. In eodem: Inordinata natura per peccatum, & à conditionis suæ rectitudine exorbitans, si fuerit ad Deum conuersa, recuperet citò, pro modo timoris & amoris quem habet ad Deum, quęcunque perdidit auersa. Et vbi cœperit spiritus reformari ad imaginẽ conditoris sui, mox etiam refloreſcens caro, ex voluntate sua incipit conformari reformato spiritui; nam & contra sensum suũ incipit eã delectare, quicquid delectat spiritũ suum. In eod. Facillimũ & delectabile esset, adiuncto amoris Dei cõdimento, secundum naturã viuere, si insania nostra nos permitteret: qua sanata, statim naturalibus natura arridet.

Matth. 11. *Gloſſa ordin. ibi.*

Quòd

Quòd cura nouitij primò circa corporis disciplinam debeat esse.

CAPVT II.

NOuitij cura primo debet esse circa corpus, & exterioris hominis compositionem: sicut Deus corpus Adam primò formauit: postea spiraculum vitæ in faciem eius inspirauit. Et sicut in vtero materno corpus primò formatur: postea rationalis spiritus ei infunditur: sic informationi & disciplinæ corporis debet primo intendere, qui nouus est in religione. Non prius quod spirituale est, sed quod animale: deinde quod spirituale. Nouo militi Christi, cui imminet forte bellum, necessariũ est habere equum benè edoctum: non lentum, vel effrenem, vel vmbrosum, vel aliter vitiosum: sed sessori obedientem, laboris & percussionum patientem, strepitum non timentem. Equus paratur ad diem belli. Dominus autem salutem retribuet. Non est negligenda spiritui corporis sui cura: per quod etiam in statu culpæ differt ab Angelo malo. Reconciliabilis enim est Deo per pœnitentiam: dum est vnitus carni. Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est. In illo solo est susceptibilis primæ gratiæ: in illo solo est ei locus merendi.

1. *Cor.* 15.

Pro. 21.

Gen. 6.

Tractando de disciplina corporis: Primò, disciplinam describemus vt agnoscatur. Secundò, eam commendabimus vt ametur. Tertiò, viam perueniendi ad eam ostendemus, ne in acquisitione eius inaniter laboretur. Quartò de eius partibus prosequemur.

Quot

Quot modis dicitur Disciplina.

CAPVT III.

CIrca primum notandum, quòd nomen disciplinæ multipliciter sumitur. Vno modo dicitur disciplina, quarumcunque rerum scientia: & differt à doctrina in hoc, quòd doctrina dicitur tantùm in comparatione ad docentem: disciplina verò in comparatione ad discentem. Alio modo disciplina est pars iustitiæ, qua redditur inferiori quod debetur: Sicut obedientia est pars iustitiæ, qua redditur quod debetur superiori. Sic disciplina est desiderium corrigendi inferiores: & videtur idem esse quod zelus: de quo glo. Augustin. super illud: Zelus domus tuæ comedit me. Bonus zelus est feruor animi, quo mens abiecto timore humano, pro defensione veritatis accenditur. Et comeditur, cùm quælibet praua quæ viderit, corrigere satagit: & si nequit, tolerat & gemit. Aliquando dicitur disciplina id quod adhibetur ad correctionem aliquorum: & sic accipitur; Fili mi, noli negligere disciplinam. In disciplina perseuerate. Si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes, Ergo adulteri & non filij estis. Quarto modo dicitur disciplina effectus disciplinæ sumptæ secundo & tertio modis. sic videtur eam describere Cyprianus.

Tract. 10. in Ioannem, in medio.

Heb. 12.

Ibidem.

Ibidem.

Sequitur notificatio disciplinæ prout hic sumitur. Et subdũtur aliæ descriptiones duæ Hugonis de sancto Victore: quarum prima videtur esse sumpta ex verbis beati Augustini: vt in capitulo sequenti patet.

CAPVT IIII.

Quo notificatur disciplina prout hic sumitur.

DIsciplina est morum ordinata correctio: & maiorum Patrum regularis obseruatio. Item Hugo de sancto Victore. Disciplina est cõuersatio bona & honesta: cui parum est non malum facere: sed studet in his quæ benè agit, etiam per cuncta irreprehensibilis apparere. Hæc descriptio videtur sumpta esse ex verbis Augustini in regula, dicentis: In incessu, statu, habitu, & in omnibus motibus vestris nihil fiat quod cuiusquam offendat aspectum: sed quod vestrã deceat sanctitatem. Item Hugo de sancto Victore. Disciplina est omnium membrorum motus ordinatus: & dispositio decens in omni habitu & actione, Bernardus in epistolis notificat disciplinam per effectũ his verbis: Disciplina ceruicem submittit, ponit supercilia, componit vultum, ligat oculos, cachinnos cohibet, moderatur linguam, frenat gulam, iram sedat, format incessum. Disciplina ista videtur idem esse quod modestia, de qua loquitur Philosophus: Cuius est decorem seu decentiam seruare in exteriori conuersatione, & est decor iste respectu aspectus hominum. Ad cognoscendum verò vtrum aliquid sit decorum vel decens vel non, attendendum est, an sit naturæ consentaneum: & an sit dignum persona quæ hoc agit, vel cum qua agitur. Attendendum est ad congruentiam tem-

In tract. de Inst. nouit. cap. 10. to. 2.

In tract. de Institut. nouitiorum, cap. 10. Epistol. 113. paul. à fine.

temporis vel loci. Decorum est in homine, quòd est consentaneum excellenti naturæ hominis. Est aliquid indecens in homine, quod non est indecens in bruto. Item aliquid est indecens in persona prælati, quod non est indecens in persona priuata. Item aliquid est indecens in religioso, quod non est indecens in persona seculari. Item aliquid est indecens, quia deest congruentia temporis, secundum illud: Ex ore fatui reprobabitur parabola: quia nō dicit eam in tempore suo. Ratione etiam loci aliquid indecens: vt in loco sacro aliquid fit indecenter, quod alibi fieret decenter.

Eccl. 20.

De commendatione Disciplinæ.

CAPVT V.

SEquitur de cōmendatione disciplinæ: quam Hugo de S. Victore commendat his verbis: Disciplina est comes cupiditatis, malorum desideriorum carcer, frenum lasciuię, elationis iugum, vinculum iracundiæ: quę domat intemperantiam, leuitatem ligat: & omnes inordinatos motus mentis, atque illicitos appetitus suffocat. Sicut ignis extinguitur cùm premitur, & flamma exire non permittitur: sic mentis inordinatio quasi suffocatur, cùm per disciplinæ custodiam motus eius foras fluere non sinuntur. Destruitur naturalis virtus, cùm diu est quòd in operationem non exit: vt visus amittitur in tenebris, similiter virtus consuetudinalis deficit, si in operationes suas non exeat: ex operibus verò suis conseruatur, roboratur, & augetur. Sic vitia animi deficiunt, cùm ab operibus suis exterioribus

In tract. de instit. nouitiorum, ca. 10.

ribus per disciplinam refrenãtur. Ad commendationem etiam disciplinæ valere potest, si ostẽdatur, quantum ipsa virum religiosum deceat, & quantum ei expediat. Item quantum eius defectus in viro religioso indecẽs existat: & quantum ipsi & proximo noceat. Circa primum notandum, quòd per disciplinam corpus humanum brutalem similitudinem exuit. Psal. Homo cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Bernard. Puto iumenta dicerent, si loqui fas esset: ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est. Hiero. Qui post carnem ambulant, in ventrem & libidinem proni: quasi irrationabilia iumenta reputantur. Homo ex corruptione naturæ pronitatem brutalem habet ad delectabilia carnis. Sensus enim & cogitatio cordis humani in malum prona sunt ab adolescentia sua. Hæc pronitas indecẽs est in corpore humano. Aliter enim se debet habere corpus, quod regit spiritus rationalis, quàm illud quod regit spiritus solus brutalis. Aliter verò se debet habere corpus quod regit spiritus sanctus, aliter quod regit spiritus malus. Disciplina corpus humanum quasi ad statum innocentiæ reducit, dum illud subiectum & obediens spiritui reddit. Sicut corpus aliter dispositum congruit spiritui in statu gloriæ quàm in statu gratię: sic corpus aliter dispositum congruit ei in statu gratiæ, quàm in statu solius naturæ corruptæ. Disciplina corporis est honestas, honoris scilicet status. Habet corpus honorem magnum propter spiritum, quia est ei associatum. Ex hoc enim est corpus nobilissimum;

Serm. 35. in Cant. parũ ante med.

Gen. 8.

ad quod alia corpora ordinata sunt. Ex hac etiam societate maiorem honorem expectat, & iam maximum honorē in Christo propter spiritum cui associatum est, susscepit. Associatum est enim diuinitati: & iam glorificatū spiritui creato Christi nobilissimo. Ideo valde decens est, vt in honore se custodiat: & ne contemnendo faciat spiritum inglorioſum, quem fecit Deus tam glorioſum. Cùm corpus humanum sit habitatio, in qua Deus habitat cum spiritu rationali:
1. Corin. 6. decet eam & decoram esse, & ornatam. Nescitis, quia membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est. In Psal. Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Item: Domum tuam decet sanctitudo Domine, in longitudine dierum. Voluit Deus suam
Iob. 26. cælestem habitationē esse ornatam. Spiritus eius ornauit cœlos. Sic terrestrem habitationem eius decet esse ornatam. Cognoscitur spiritus malus in domibus suis, vt cognoscebatur in Saul quē
1. Reg. 16. exagitabat. Sic Deus in domibus eius cognoscitur. Corpus disciplinatū inhabitat Spiritus sanctus, disciplinæ amator: qui spiritus disciplinæ
Sap. 1. dicitur. Circa secundum, notandum, quòd disciplina viro religioso valde est vtilis. Hostem enim multum potentem ad nocendum, cōuertit in vtilē seruum. Magna peruersitas est quòd corpus noceat spiritui, qui ita vtilis est corpori. Separatio spiritus à corpore, manifestat quid ei præsentia conferebat. Si corpus inimicatur spiritui, multum potest ei nocere, cùm sit ei multum familiare. Omni tempore & omni loco est cum eo. Nulla pestis efficacior est ad nocendum quàm

quàm familiaris inimicus. Eius operibus quotidie indiget, nec vna die sine illis esse potest: vnde si sint ei noxia, per processum temporis magnum est valde nocumentum. E contrario verò si fiant debito modo, vt spiritui sint vtilia, valde magnum est lucrum. De solo fructu oris, spiritus posset ditari, si os debito modo regeretur. De fructu oris sui vnusquisq; replebitur, id est, repleri poterit bonis: & iuxta opera manuum suarum retribuetur ei: sic si malè regatur, poterit malis repleri. Debet spiritus habere corpus suum charum, si fideliter seruiat ei. Si est tibi fidelis seruus, sit tibi quasi anima tua: quasi fratrem sic eum tracta. Nec soli spiritui disciplina est vtilis, sed etiam corpori. In libro de vita solitaria. Nihil magis expedit stulto, quàm seruire sapienti. Et iuxta verbum Bernardi: Nihil melius corpori quàm salutem animæ prouidere. Prouidendo enim animæ salutem, prouidet & suam: procurando eius damnationem, procurat & suam. Si fidelis fuerit socius in labore, socius erit in mercede. Circa tertium notandum, quòd defectus disciplinæ indecens est in viro religioso. Est enim nuditas, qua hominibus manifestatur eius turpitudo. Beatus qui custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet. & videãt homines turpitudinem eius. Qui nunc nuditatem hanc nõ erubescit, in futuro de ea erubescet coram toto mũdo. Reuelabo pudenda tua in facie tua: & ostendã in gentibus nuditatẽ tuam, & regnis ignominiã tuã. Turpitudo spiritualis maximè est erubescenda. Sen. Omnia tolerabilia, præter turpitudinẽ, crede. Religiosus sine disciplina

Pro.12.

Eccl.33.

Apocal. 16

Naum.3.

est velut animal excoriatum, quod à muscis sanguinem sugentibus molestatur: & cuius aspectu oculi intuentium offenduntur. Sic religiosus indisciplinatus à sanguisuga infernali, sanguinem humanum sitiente, molestatur: & homines in eo
Pro. 30. scandalizantur. Sanguisugæ duæ sunt filiæ, quæ semper clamant, affer, affer. ~~Qui in nuptiis visus est à Rege, non habens vestem nuptiis cõgruentem~~, inter conuiuas habuit cõfusionem: & post
Matth. 22. damnationem. Ligatis manibus, &c. Sic in ordine qui non habet vestem congruentem, scilicet ordinatam cõuersationem suam, peruersa conuersatione sua alios scandalizans, in præsenti habet confusionẽ, in futuro verò habebit damnationem. Vestimentum mixtum sanguine, erit
Isa. 6. in combustionem. Vbi deest disciplina, spiritus qui naturaliter est Dominus, seruus est corporis, quod ei ad seruiendum datum est: quod valde indecens est. Non decet seruum dominari prin-
Pro. 19. cipibus. Non decẽt stultum diuitiæ: nec seruum
Ibid. dominari principibus. Hæc seruitus est spiritui multum ignominiosa, aspera, sumptuosa, periculosa. Ignominiosa est, cùm spiritus naturaliter sit creatura valde nobilis, cuius comparatione corpus est creatura vilis & debilis. Hieron. Nihil vilius quàm à carne vinci. Aspera est, quia asperius nihil est humili, cùm surgit in altum. Non belua sæuior est vlla, quàm serui rabies in libera colla furentis. Per tria mouetur terra, &
Prouerb. 3. quartum sustinere non potest: per seruum cùm regnare cœperit. Corpus tanquam vilis seruus si dominetur, vilia imperat, vt scilicet intendatur vnius sacci refectioni, & ventris, loci immundi,

reple-

repletioni. Sumptuosa est, seruitur enim dominæ gulæ, cui singulis diebus parantur varia fercula,& multoties in die, de quibus nihil retinet: sed postquam de istis gustauerit, in locum turpitudinis & quasi perditionis transmittit. Vlulate qui bibitis vinum in dulcedine,periit ex ore vestro. *Ioel.1.* Bernar. Voluptas gutturis,quæ tantum hodie æstimatur,vix duorum habet longitudinem digitorum. Non durat delectatio illa,nisi quantum durat transitus ille per gulam. & pro illo transitu tot & tanta Dominæ gulæ parantur.Periculosa est hæc seruitus. Corpus enim, tanquã dominus maleuolus,noxia imperat: aliquando etiam mortem spiritus. *In tract. de conuers. ad cler.cap.12.* Circa quartum notandum, quòd multum nocet defectus disciplinæ, sicut defectus clausuræ in vinea. Velut sepes est disciplina.Pater cælestis vineæ sepem circundedit. Vbi hæc sepes defecit,bona auferũtur. Isa.5. *Isai.5.* Auferam sepem eius,& erit in direptionem. Eccleſiast.36. *Matth.21.* Vbi nõ est sepes, diripietur possessio. Vbi sepes hæc deficit, coluber infernalis intrat & interficit. Eccl. decimo. Qui disipat sepem, mordebit eum coluber. Mordet primò morsu culpæ, secundò morsu pœnæ internæ, tertiò morsu pœnæ æternæ. Deut. 32.Deuorabunt eos aues morsu amarissimo. Item defectus disciplinæ nocet viro religioso, defectum bonitatis indicando. Amictus corporis & risus dentium, & ingressus hominis enunciant de illo. *Eccl.19.* Gregorius in Pastorali. Qui statum mentis perdidit foris,in inconstantia motionis defluit: atque exteriori mobilitate indicat, quòd nulla interius radice subsistat. Proximo etiam nocet,quem malo ex-

emplo corrumpit. Disciplina viri religiosi Deũ glorificat, proximum ædificat, angelos bonos lætificat,& malos contristat. Deum glorificat,sicut ornatus templi eius. secundum illud: Glorificate & portate Deum in corpore vestro. Glossa Augustini: Si non parcis tibi propter te, parce tibi propter Deum,qui sibi te fecit domum.Proximum ædificat: cui exemplum bonum monstrat. Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.Angelos bonos lętificat, quibus bonitatem illorum indicat, quorum salutem desiderant: quos habent in custodia, & propter quos sunt in hac valle miseriæ. Angelos malos contristat.Sicut ille qui carnalitati suę dat concupiscentias suas, fit in gaudium inimicis suis: sic ille qui refrenat eam à concupiscentiis suis, contristat inimicos suos. Disciplina in viro religioso multum placet Deo. Isaac vt sensit vestimentorum filij sui fragrantiam, benedixit ei. Fragrantia vestimentorum sponsæ, etiam laudatur à sponso. Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.Defectus disciplinæ in viro religioso multum Deum offendit. Multum doluit Iacob, videns tunicam filij sui Ioseph præ cæteris dilecti sanguinolentam. Defectus disciplinæ Deum blasphemat. Super illud: Siue comeditis, siue bibitis, siue aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite. Dicit Glossa Augustini. Si modum naturæ debitum immoderatione voracitatis excedis, & vinolentia ingurgitas: quantascunque laudes lingua sonet,vita blasphemat. Non est honor regis cælestis, quòd sponsa vadit induta

1. *Corint.* 6.
Glos. ordin. ibid.

Matth. 5.

Gen. 27.

Cant. 4.

Gen. 37.

1. *Cor.* 10.

induta veſte vili: veſte ſcilicet veteri, aſſuta ei aliqua particula panni noui. Non eſt talis veſtis reginarum, ſed vilium perſonarum.

SECVNDA PARS HVIVS LIBRI oſtendit, quòd ſex ſunt quæ ad obtinendam diſciplinam multum valere poſſunt. Primum eſt doctrina. Secundum eſt exemplum. Tertium eſt frequens inſpectio operum. Quartum pudor. Quintum obedientia. Sextum perſeuerantia.

CAPVT I.

Quòd doctrina valet ad obtinendam diſciplinam.

DOctrina ad obtinendam diſciplinã, multum eſt neceſſaria. Seneca. Citò nequitia ſubrepit: difficilè virtus inuenta eſt: ducẽ rectoremq; deſiderat. Idem: Deſperandum eſt, poſſe caſu tantum bonum influere nobis. Etiam in artibus minoribus ad neceſsitatem corporalem pertinentibus, non poſſunt homines ſine doctore eſſe quod cupiunt, iuxta verba Hieronymi. Quanto magis doctrina eſt neceſſaria ad virtutem diſciplinæ. In libro de vita ſolitaria dicitur de nouitio: Si callet ingenio, ſi viget arte, ſi prę eminet intellectu: inſtrumenta habet tam vitiorum quàm virtutum. Non ergo refugiat doceri vti eo in bono, quo etiam in malo vti poteſt: quod proprium virtutis opus eſt. In eod. Doceri vult virtus cum humilitate, quæri cum labore, haberi cum amore. In eod. Primum docendus, ſecundum Apoſtolicam inſtitutionem, vt exhibeat corpus ſuum hoſtiam viuentem, ſanctam,

Epiſt. 51. circa med.

Bernard.

Deo placentem, rationabile obsequium suum. Hostia viuens debet esse corpus, vt mortificentur vitia, & seruetur natura. Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram: scilicet membra veteris hominis, quæ sunt vitia. Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Mortuum debet esse corpus, scilicet, sibi & mundo: viuens Deo. Viuens est hostia, si adsit charitas quę est vita animæ, & vita operum, quæ ex ipsa procedunt. Mortua est hostia in illis, qui sine charitate sunt: & ieiunando vel aliter in Dei seruitio corpus suum affligunt. Hostia sancta est, si macula culpæ desit: Placens Deo, si recta intentio adsit, vt purè propter Deũ fiat. Leuit. 2. Quicquid sacrificij obtuleris, sale condies. Mar. 9. Omnis victima sale salietur. In libro de Vita solitaria: Si vigilię & ieiunia, & alia huiusmodi ex indiscretionis vitio sic agantur, vt vel deficiente spiritu, vel languente corpore, spiritualia impediãtur: qui sic est, tulit corpori suo boni operis effectum, proximo exemplum, honorem Deo: sacrilegus est, & horum omnium in Deum reus. Necessarium est ei qui in religione nouus est, tanquam ille qui peregrinationem magnam facturus est, habere equum, qui labori viæ suæ sufficiat: scilicet corpus suum disciplinatum: quòd spiritui sit adiumentum, non viæ impedimentum. Non est cõmendabile in equo, quòd annonam suam non sumit: nec in nouitio, qui de his quæ sibi apponuntur, ad sustentationem corporis sufficienter non accipit. In eodem libro: Durius est tractandum corpus ne rebellet, ne insolescat: sic tamen, vt seruire sufficiat,

Col. 3.

Gal. 5.

Bernard.

ciat, quia ad seruiendum spiritui datum est. Nec sic habendum est tanquam propter illud viuamus: sed tanquam sine quo viuere non possumus. Fœdus enim quod habemus cum corpore, non quandocunque volumus, abrumpere possumus: sed legitimam eius resolutionem patienter nos expectare oportet: & interim quæ legitimi fœderis sunt, obseruare. In eodem dicitur de nouitio: Docendus est sic habere corpus suum, sicut ęgrum commendatum: cui etiam multum volenti inutilia sunt neganda, vtilia verò etiam nolenti ingerenda: sic agere de eo, sicut non de suo, sed eius à quo pretio magno empti sumus. In eodem: Docendus est cauere, quod peccatori populo Dominus per Prophetam improperat: Proiecisti me post corpus tuum. Ezechielis 23. Multumq; cauendum, ne pro necessariis vitæ huius vel commodis, à propositi rectitudine, vel dignitate naturæ, in amorem corporis sui sinat in aliquo aliquando degenerare spiritum suum.

Quòd exemplum multum valet ad obtinendam disciplinam.

CAPVT II.

EXemplum multum valet ad obtinendam disciplinam. ~~Maioris efficaciæ est exemplũ quàm verbum.~~ Seneca. Longum iter per verba: breue & efficax per exempla. Efficacior est vox operis, quàm vox sermonis. Verbum ostendit quid fieri debeat: exemplum ostendit quomodo fieri valeat: & ad operandum animat, & operantem *Epist. 6. post medium.*

rantem confortat. Hugo de ſancto Victore: in bonis ſimilitudinis Dei forma expreſſa eſt: & idcirco cum eis per imitationem imprimimur, ad eius ſimilitudinis imaginem nos quoque figuramur. Sed ſciendum eſt, quòd ſicut niſi cera priùs emollita fuerit, formam non recipit; ſic & homo quidem per manum actionis alienæ ad formam actionis non flectitur, niſi priùs per humilitatem ab omni elationis rigore molliatur. Neque enim per exemplum alterius aliquando poterit in melius transformari, qui adhuc per elationis vitium & bona aliena oppugnat, & ſua mala defendit. Neceſſe eſt ergo, vt ſi bonos veraciter imitari velimus, per veram humilitatem ad obedientiam corda noſtra præparemus: quatenus mens noſtra tantò citius ad nouitatem redeat, quanto promptius in omnem quam viderit virtutis ſpeciem, per voluntariam obedientiam ſe inclinat: & tanto altius ei veſtigium bonitatis incipiat inhærere, quanto arctius ſtudet bona aliorum imitari potius quàm carpere. Ceræ calefactæ imago ſigilli facilè imprimitur. Accendendi ſunt qui in religione ſunt, ad Dei amorem, & ad deſiderium deponendi vitæ vetuſtatem, & aſſumendi vitæ nouitatem: vt exempla bona ad eorum firmationem proficiant. Ad accendendum verò ipſos multum valet verbũ Dei. In Pſal. Ignitum eloquium tuum vehemẽter. Item eloquium Domini inflammauit eum. Omnis ſermo Domini clypeus ignitus eſt. Clypeus quia defendit à malo. Ignitus quia accendit ad bonum. Nunquid non verba mea quaſi ignis? Et ſicut exemplũ bonum ad obtinendam diſci-

Pſal. 118.

Pro. 26.

disciplinam multum valet, sic exemplum malum multum nocet, maximè in illis in quibus viuit amor seculi, emolliens eos vt deformitatem seculi facilè recipiant. Ideo in aliquibus clauſtris disciplina non obtinetur: quia quod doctrina suadet, exempla dissuadent. Verbo homines diriguntur ad salutem: manu impelluntur vel trahuntur ad damnationem. Vnus ædificans, & vnus destruens: quid prodest illis nisi labor? *Eccl.34.*

Quod ad obtinendam disciplinam multum valet frequens inspectio operum, & quotidiana examinatio.

CAPVT VIII.

MVltum valet etiam ad obtinendam disciplinam, si is qui in religione est, quotidiana discussione cogitationes, locutiones, simul & facta sua apud semetipsum examinet, sollicitè attendens non solùm quid agat, sed etiam qua intentione illud agat; frequenter cogitans, an quod faciendum est faciat: an bono operi malum aliquod admisceat: an quod agit, quanta oporteat diligentia adimpleat: an alterius bonum vt suum diligat: & si suum malũ vt alterius malũ reprehendat. Per singulos dies ad iudiciũ vitam suam vocare debet. Manè considerare quid egerit per noctem: in vespera quid egerit per diẽ. Si quid ex his quæ agenda erant diligenter, neglexerit: aut si quid ex his quę agenda nõ erant, prę-sumpserit: & si in aliquo opere insidiis inimici supplantatus fuerit, excogitare qualiter fraudẽ illius futurã cauere possit: iuxta cohortationem Apostoli, semetipsum debet sollicitè custodire;

& ve

& vt hoc melius posſit facere, ab aliis oculos ſuos multum debet auertere, cum propriis vitiis bellum habere, rixam verò cum alienis declinare. Sapiens: Proprium eſt ſtultitię, aliena vitia cernere, ſua obliuiſci. Dixit Dominus Moyſi: *Exod.* 24. Mitte manum tuam in ſinum tuum. Quàm cùm miſiſſet in ſinum, protulit leproſam. Retrahe, ait, manum tuam in ſinum tuum. Retraxit, & protulit, & erat ſimilis carni reliquæ. Ille quem de mari mundi Dominus ad religionem aſſumpſit, manum in ſinum mittit, quando in corde operationes ſuas diſcutit: in quibus in principio lepram peccati reprehendit: ſed inſpectionem iſtam frequentando, tandem ad puritatem operum peruenit.

Quòd ad obtinendam diſciplinam valet pudor.

CAPVT IX.

AD obtinendam diſciplinã etiam multum valet pudor. Quod patet per hoc, quòd Philoſophus deſcribens modeſtiam, quam dicimus eſſe idem quod diſciplinam, ait: Modeſtia eſt virtus, qua pudor honeſtatis puram & ſtabilem comparat auctoritatẽ. Pudor eſt timor turpitudinis, vel fuga rei indecentis. Declinatio indecentiæ in exterioribus, efficit ordinationem exteriorem, quæ modeſtia eſt: & ſic comparatur auctoritas ſeu grauitas pura, non habens admixtionem ſui contrarij, ſcilicet vtilitatis & inſtabilitatis. Pudor enim qui eam efficit, ipſam ſeruat. Dicitur autem pudor honeſtatis ad differentiam fatui pudoris, quo aliqui fatuè erubeſcunt, vnde gloriari deberent. Et notandum quòd

quòd ſecundum Damaſcenum, Erubeſcentia eſt optima paſsio, & maximè in eo qui nouus & quaſi iuuenis eſt in religione. Comicus de quodam Iuuene: Erubuit: ſalua res eſt. Seneca: Verecundia in iuuene bonum ſignum eſt. Bernard. ſuper Cantic. Neſcio ſi quidquam gratius verecundia in moribus hominum deprehendi poſſit. Verecundia omnium eſt ornatus ętatum: ſed in tenera ætate amplius pulchriuſqúe eniteſcit. Quid amabilius verecundo adoleſcente? quàm pulchra hæc & ſplendida gemma in vultu adoleſcẽtis: quàm vera & minimè dubia bonæ nuntia ſpei, bonæ indolis index? Quid ita turpiloquij & omnis deinceps turpitudinis fugitiuum? Idem: Verecundia ſpecialiter gratia eſt cõſcientiæ, famæ cuſtos, vitæ decus, virtutis ſedes, virtutum primitiæ, naturæ laus, inſigne totius honeſti.

Terent. Epiſt. 11. parum à princip.

Serm. 86. in Cant. paulò à princ.

Serm. 86. in Cant. inter princip. & medium.

Quòd ad obtinendam diſciplinam valet obedientia.

CAPVT X.

OBedientia multum valet ad obtinendam diſciplinam. Qui ad religionem venit, debet habere voluntatem bonam, quaſi materiam totius religionis: quam patri ſpirituali locum Dei tenenti, formandam debet offerre. In libro de vita ſolitaria: Quicunque voluntatem bonam habuerit, ſecum habet quidquid ad bene viuendum opus eſt: quamuis bonæ voluntati non ſemper credere expedit: ſed frenanda & regenda eſt, & maximè in incipiente. Regat ſanctæ obedientiæ regula voluntatem bonam: illa verò corpus. Simplicitatis initium aliquod habens

Bernard.

bens in seipsa creatura Dei, hoc est, voluntatem simplicem & bonam, quasi futuri boni hominis informem materiam: in primordio conuersionis suæ auctori suo offert eam formãdam. Item in eodem dicitur de nouo homine, quòd tanquam à figulo figmentum, lege quadam mandatorum, & manibus alienis faciendus & formandus est, in omni patientia, in rota volubilis obedientiæ. Qualis autem debeat esse eius obedientia, ostenditur his verbis ibidem: Perfecta obedientia, & maximè in incipiẽte, est indiscreta: hoc est, non discernere quid vel quare præcipiatur: sed ad hoc tantum niti, vt fideliter & humiliter fiat, quod à maiore præcipitur. Lignum enim scientiæ boni & mali in paradiso, est censura discretionis, in conuersatione religionis, penes patrem spiritualem, qui diiudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur. Ipsius est discernere, aliorum obedire. Adam gustauit ad malũ suum de ligno vetito: edoctus ab eo qui suggerẽs, ait: Quare præcipit vobis Deus, vt de ligno non comederetis? Ecce discretio cur præceptum sit. Et addidit: Scit enim quia qua die comedetis, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij. Ecce quid præceptum sit, quod Deos fieri non sinat. Discreuit, comedit, inobediens factus est: & de paradiso eiectus est. Sic & nouitium prudẽtem in congregatione durare, impossibile est. Stultus fiat, vt sit sapiens. Et hæc sit omnis eius discretio, vt in hoc nulla sit ei discretio. Hæc omnis sapientia, vt in hac parte nulla sit ei sapientia. Et notandum est, quòd cùm corpus natũra debeat obedire spiritui, rectius ac tutius sæpe obedit in altero,

Eodẽ loco.

Gen. 3.

tero, scilicet aliquo viro spirituali præcipiente, quàm in semetipso. Timendum est corpori regimen illius spiritus, qui tam frequenter illud malè rexit. Suspectum potest esse iudicium illius spiritus, qui amore nimis coniunctus est corpori. Bern. in lib. de considerat. Amor vel odium, veritatis nescit iudicium. Obedientia talis à libidine vitiorum mentem purgat. 1. Pet. 1. Animas vestras castificantes in obedientia charitatis. Ipsa etiam virtutes inserit & conseruat. Greg. Sola obedientia virtus est, quæ cæteras virtutes inserit: insertasq; custodit. Obedientia non tam est virtus, quàm mater virtutum: vt dicit idem Gregorius: Et hæc de obedientia (quæ ad obtinendam disciplinam est maximè necessaria) sufficiant dicta.

In tract. de gradib. humilitatis, cap. Inquirimus.

Lib. 35. moral. cap. 12.

Quòd perseuerantia valet ad obtinendam disciplinã.

CAPVT XI.

PErseuerantia in tali obedientia multum valet ad obtinendam perfectionem disciplinæ. Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ: Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Bern. in lib. de vita solitaria: Audiat hoc, hactenus amicũ corporis sui mãcipium, animalis homo, qui iam incipit corpus subdere spiritui, & adaptare semetipsum ad ea quæ Dei sunt percipienda, & ad exuendam fœdæ seruitutis necessitatem, & contra carnis suæ dominantem consuetudinem se accingat; & necessitatem sibi contra necessitatem faciat

Rom. 6.

faciat, & consuetudinem, & affectum formet contra affectum: donec plenam mereatur accipere delectationem contra delectationem: vt delectationibus seculi ac carnis, secundum consilium Apostoli, saltem tantum delectat eum carere, quantum primum delectabat eas habere. Tantum delectet eum de membris corporis sui seruire iustitiæ in sanctificationem, quantum prius delectabat eum seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: Hæc est enim perfectio hominis animalis in suo statu, vel nouitij incipientis. Obedientia perseuerans nouitium ad perfectionem sanctitatis adducit. In eodem libro: Remedia crebro mutata nocent: naturam turbant, ęgrum disterminant. Nam qui aliquando tendit, si vnam & rectam viam tenuerit, cito perueniet quo tendit: & itineris & laboris facit finem. Si verò multas aggreditur vias, errat: nec laboris aliquando facit finem: qui error non habet finem. Non ergo se mutet, nec aliud pro alio accipiat, sed vsque ad terminum sanitatis perfectæ, medicinalis obedientiæ remedio vtatur. Et notandum, quòd perseuerantia quæ est continuitas boni, seu permanentia in bono diuturna vel finalis, est valde magnæ efficaciæ, Robur enim addit. Seneca: Perseuerandum est & assiduo labore robur addendum. In libro de Vita solitaria: Rusticus duros habet neruos, fortes lacertos. Exercitatio hoc facit. Sine ea enim, corpore molleſcet. Voluntas facit vsum, vsus exercitium, exercitium vires in omni labore subministrat. Item perseueãrtia, difficilia & aspera, facilia & suauia facit. Bernard. in epistolis: Subitò

Bernard.

pro-

procedenti de vmbra ad solem, de otio ad laborem, graue cernitur omne quod incipit: scilicet postquam ab his dissuescere, & ad illa se paulisper assuescere cœperit. Vsus tollit difficultatem, inuenitq; facilè esse, quod impossibile ante putauit. Perseuerantia imperfectum nihil relinquit. Seneca: Non despero indurato. Nihil est quod non impugnet pertinax opera, & intenta ac diligens cura. Videmus debiles mulieres senilis ætatis, perseuerando peregrinationes longas perficere. Item videmus naturam continuè operando, ex modica nuce, additione imperceptibili magnam arborem efficere: & aquam quę adeo mollis est, lapidem valde durum perseuerranti percussione excauare. Perseuerantia in præsenti hostem vincit, & consolationem accipit, ad quam qui non perseuerat, non peruenit. Vincenti dabo manna absconditum. Homo remissus, in seruitute vitiorũ remanet, secundum illud: Manus remissa tributis seruiet. Perseuerantia in futuro coronã apprehendit, secundum illud: Vnus accipit brauium, scilicet perseuerãs. Bernardus: Scias diabolum soli semper perseuerantiæ insidiari, quam solam nouit coronari. Dictum est serpenti: Tu insidiaberis calcaneo eius. Item Bernard. Studete perseuerantiæ, quæ sola coronatur. Chrysostomus: Tolle perseuerantiam, obsequiũ mercedem non habet. Multum est vtilis perseuerantia in bono, seu continuatio boni. Facit enim consuetudinem, quæ est altera natura, & multum necessaria est. Multum noxia & valde timenda est perseuerantia in malo, quæ

Epist. 1. circa finem illius.

Epist. 51. à medio habet aliquid

Apocal. 2.

Pro. 12.

1. Cor. 9.

Gen. 3.

Epist. 129 ad Ianuen.

malam consuetudinem facit: quæ est quasi ca-
Lib.8.ca.5. in princip. thena ferrea, qua aliquis ligatur,& ligatus à diabolo tenetur. Augustinus in lib. Confessionum: Suspirabam ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus: & inde mihi cathenam fecerat,& constrinxerat me. Quippe ex voluntate peruersa facta est libido: & dum seruitur libidini,facta est consuetudo:& dum consuetudini non resistitur,facta est necessitas. Prouerb.5.Iniquitates suæ capiunt impium: & funibus peccatorum suorum quisq; constringitur. In hoc seruit diabolo, qui peccat,quòd opere suo malo se ligat: & ligatum diabolo tradit se cruciandum. Difficile consuetudo mala relinquitur,cùm sit quasi natura. Na-
Pro.22. turam pellas furca, tamen vsque recurret. Prouerbium est: Adolescens iuxta viam suam, etiam cùm senuerit,non recedet ab ea. Hier.13. Si mutare potest Æthiops pellem suam, & Pardus varietates suas: & vos poteritis facere bonum, cùm didiceritis malum. In suscitatione Lazari (quo figuratur qui assuetus est peccatis) infremuit Dominus, lachrymatus est, exclamauit:
Gloss.ordin. ad illud: Voce magna clam. Epist.51. circa.med. quia difficilè surgit,quem moles prauæ consuetudinis premit:vt dicit gloss.super Ioan.11.Consuetudo mala est velut languor inueteratus,qui difficilè curatur. Eccles. 10. Languor prolixior grauat medicum. Eiusdem 18. Ante languorem adhibe medicinam. Seneca: Minus negotij haberet medicus, si ad recens vitium remedium adhiberetur.Non potuerunt discipuli expellere malignum spiritum à quodam,in quo fuerat ab infantia. Matth. 9. Basilius: Sicut non potest aliquis

quis dediſcere linguam maternam, ſic vix longam peccati cõſuetudinem. Conſuetudo mala eſt ſicut gutta quæ ſubintrauit oſſa, quæ vix expellitur. Oſſa eius replebuntur vitiis adoleſcentiæ. Difficilè reuocantur ad ſalutem, qui vi conſuetudinis trahuntur ad damnationem. Eos qui trahuntur ad interitum, liberare non ceſſes. Difficile eſt retinere equum, qui inchoauit curſum ſuum: ſic difficile eſt corrigere eum qui conſuetus eſt malis. Nullus eſt, qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo, dicens: Quid feci? Omnes conuerſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens in prælium.

Iob.20.

Pro.24.

Hier.8.

INCIPIT TERTIA PARS, in qua agitur de quatuor partibus diſciplinæ. Primum caput de diſciplina in habitu, in quo oſtenditur, quid Religioſus debeat cauere, & quid quærere.

CAPVT I.

SEquitur de partibus Diſciplinæ. Hugo de S. Victore. Quatuor ſunt in quibus ſeruanda eſt diſciplina, ſcilicet in habitu, in geſtu, in locutione, & comeſtione. Cauendum eſt ſeruo Dei, qui in religione eſt, ne humilitatem veſtium, quam religio requirit, erubeſcat: & ne veſtibus malè placere quærat: vel ne ex eis apud homines gloriã affectet: & ne ſecundum prudentiã carnis carni ſuæ ſuauia procuret. Ad neceſsitatem veſtes habeat:

quam determinat Bernardus, loquens de illo verbo Actuum 4. Diuidebatur singulis, prout cuique opus erat, hoc est, inquit, quantum ad indumentum, vt nuditatem tegeret, & frigus repelleret. Augustinus: Tibi pura vestis circundetur: non ad pulchritudinem, sed ad necessarium tegumentum: ne de exquisitis vestibus, alteram turpitudinem assumas. Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus. In religione humilitas vestium est glorioſa; superbia verò ignominioſa. Augustinus de se dixisse legitur: Fateor, de pretioſa veste erubesco. Non decet hanc professionem, non decet hanc admonitionem, nec decet hæc membra, nõ decet hos canos. Tu scis quòd abominer signum superbiæ, & glorię meæ. Non debet quęrere seruus Dei corporalem ornatũ, quo placeat mundo: sed spiritualem, quo placeat Deo. Augustinus in regula: Nõ affectetis vestibus placere, sed moribus. Confusi sunt, qui per talia hominibus placent, quoniam Deus spreuit eos. Non debet etiam ex vestibus gloriam quærere. In vestitu ne glorieris vnquam. Bernardus: Qui de veste gloriatur, similis est furi glorianti de cauterio: quia propter peccatum Adæ introductus est vsus vestium. Non est glorioſus homini (cùm sit creatura valde nobilis) ornatus, quem à vilibus creaturis (vtputa irrationalibus inanimatisq;) mendicat. Omnis gloria filiæ regis ab intus esse debet. Ornatus decet animam tanquã dominam: & non carnem, ancillam. Bernard. Magna abusio, & nimis magna, dominam ancillari, & ancillam

In Apolog. ad Guliel. Abbatem, cap. penult. post. med.

1. Timot. 6.

Hester. 14.

In 3. regula cap. 18.

Eccl. 11.

In meditat. cap. 2. à. med.

cillam dominari. Superbus vult ornari exterius, humilis interius. Ioan. 6. Eum qui venit ad me, non eiiciam foras. Gloſs. Superbi eſt foras eiici, qui nihil habet in bono interiori : nec hic, nec in futuro. Bernard. Fuſi ſumus exterius, & de regno Dei, quod intra nos eſt, relictis veris & perennibus bonis, foris quærimus vanam conſolationem de vanitatibus & inſaniis falſis : & iam religionis antiquæ non ſolum virtutẽ amiſimus, ſed nec ſpeciem retinemus. Ecce ipſe habitus noſter, quod & dolens dico, qui & humilitatis ſolebat eſſe inſigne, à Monachis noſtri temporis in ſignum portatur ſuperbiæ. Vix in noſtris prouinciis inuenimus quo veſtiri dignemur. Miles & monachus ex eodem panno partiuntur ſibi cucullam & clamydem. Cõſcientiæ & non carni, procuranda eſt ſuauitas. Bernard. Chriſtus qui non fallitur, elegit quod carni moleſtius : id ergo melius, & magis eligendum eſt. Idem. Memento quod aſperior cardo facit pannum leuiorem, & conuerſatio conſcientiam.

Gloſſ. ordin. ad illud : ad me veniet. In Apolog. ad Guliel. Abbat. cap. penult. poſt medium.

Quòd 12. poſſunt eſſe reprehenſibilia in habitu.

CAPVT II.

ET notandum quòd in habitu multa poſſunt eſſe reprehenſibilia : de quibus 12. tangere ſufficiat. Primum eſt nimia pretioſitas. Secundum eſt nimia ſubtilitas. Tertium mollities. Quartum nimius nitor. Quintum compoſitio irreligioſa ſecundum ſæculi vanitatem. Sextum indecens coaptatio, quę attẽditur in modo portandi. Septimum exquiſita extraneitas. Octauũ immũditia. Nonum nimia breuitas. Decimum

nimia magnitudo. Vndecimum ſuperflua veſtium multitudo. Duodecimum cùm periculoſè acquiſitus eſt habitus, ſcilicet vel cum peccato eius cuius eſt, vel cum peccato alterius. Aliqua horum tangit Hugo de ſancto Victore his verbis: Amatores religionis plus debent hic amare veſtimenta vilia, quàm pretioſa: plus groſſa quàm ſubtilia: plus aſpera quàm mollia: plus fuſca quàm nitida: plus neglectè quàm curatè compoſita vel adaptata. In libro de Vita ſolitaria: Intentum interioribus ſuis animum magis decent omnia exteriora inculta & neglecta. Diligentia circa vanitatem exterioris ornatus, ſignum eſt negligentiæ circa interiorem ornatum. Bernardus: Non tantum curaretur corporis cultus, niſi prius neglecta fuiſſet mens inculta virtutibus. Ornatus corporalis eſt impedimentum ornatus ſpiritualis. Cyprianus: Serico & purpura indutæ, Chriſtum induere non poſſunt: auro & margaritis, & monilibus adornatę, ornamentum cordis & pectoris perdiderunt. De pretioſitate veſtium dicit Gloſs. ſuper illud Luc. 16. qui induebatur purpura & byſſo. ſi cultus pretioſarum veſtium culpa non eſſet, ſermo Dei non tam vigilanter exprimeret, quòd dives purpura & Byſſo indutus apud inferos torqueretur. Gregorius: Nemo pretioſa veſtimenta, niſi ad inanem gloriam quærit: videlicet, vt honorabilior cæteris videatur. Nemo vult ibi pretioſis veſtibus indui, vbi à nemine poteſt videri. Nolebat Apoſtolus mulieres in veſte pretioſa orare. Quid ergo faciendum viris? Mercator ſapiens torſellum etiam pretioſum vilibus operit:

Bernard. In Apolog. ad Guiliel. Abbat. cap. Dicitur. à medio.

Gloſs. ordin. & Greg.

Hom. 40. in Euang. ante medium.

1. Tim. 2.

ex

ex quo satis patet, quòd insipienter agit, qui corpus vile pretiosis induit. Idem patet ex eo, quòd Rex gloriæ in mundum veniens, in sacco carnis nostræ mortalis hominibus apparere voluit: de quo ipse in Psalmo ait patri suo: Conscidisti saccum meum. Cùm Deus spiritum pretiosum vili carne induerit, verisimile est, quòd carnem vilem pretiosis indui noluerit. Vestium subtilitatem in fratribus suis reprehendit Bernardus his verbis: Quæritur ad induẽdum, non quod vilius, sed quod subtilius inueniatur: non quod frigus expellat, sed quod superbire compellat. Non denique iuxta regulam, quod vilius comparari potest, sed quod venustius, imò vanius ostentari potest. Idem de mollitie vestium: Mollia, inquit, indumenta, animi mollitiem indicant. Non decent eos qui ad desertum claustri confugiunt, indumenta mollia. Qui mollibus induuntur in domibus Regum sunt. Et super illud Matth. 3. Ipse Ioannes habebat vestimenta de pilis Camelorum. Dicit Glossa: Seruus Dei non debet habere vestimentum ad decorem vel ad delectationem, sed tantum ad tegendum nuditatem. Non decet hominem virilem habere vestem muliebrem. Hieron. Non tenera vestis, sed munditia mentis ornatum facit clericum. Non induetur vir veste fœminea. De nitore qui attendi videtur in colore, & de immunditia, dicit Seneca: Non splendeat toga, nec sordeat. Hieronymus: Ornatus & sordes pari modo fugienda sunt: quia alterum delitias, alterum gloriam redolet. Idem: Nec affectatæ sordes, nec exquisitæ

In Apolog. ad Guliel. Abbat. in cap. dicitur à med.

Matth. 11.

Gloss. ordin. ibid.

Deut. 22.

Epist. 5. parum à principio.

delitiæ laudem pariunt. Et de Augustino legitur: Vestimenta eius & calceamenta, nec nitida nimium, nec abiecta plurimum. Color naturalis videtur congruere viris religiosis. Cùm iuxta verbum August. homo implens mandatum euangelicum de duabus tunicis, det vnam non habenti; sufficere debet homini mendicanti color, qui sufficit eleemosynam danti. De veste extranea habetur. Visitabo super omnes qui induti sunt veste peregrina. Longitudo vestis nimia insinuatur reprehẽsibilis à Domino dicente: Attendite à Scribis qui volunt ambulare in stolis. Stola est vestis longa: frequenter quem puluis vanæ gloriæ delectat, cauda vestis suæ, quam post se trahit, aliis puluerem terræ concitat. Vestis nimis breuis virum religiosum non decet. Decurtatione vestium dehonestati sunt serui Dauid à Domino filiorum Amon. De multitudine vestium superflua dicit Bernard. Clamant nudi, clamant famelici, & conqueruntur nobis, fame & frigore miserabiliter laborantes. Quid conferunt tot mutatoria vestium, vel extensa in perticis, vel plicata in manticis? Agite nunc diuites, plorate vlulantes miseriis vestris, quæ aduenient vobis. Vestimenta vestra à tineis comesta sunt. Valde est etiam cauendum homini qui est in religione, ne vestis sanguinolenta sit sanguine peccati. In alis tuis inuẽtus est sanguis animarum. Alæ istæ intelligi possunt extremitates superborum palliorum. His alis volatur in infernum, non in cælum. In alis istis inuenitur duplex sanguis. Sanguis pauperum, scilicet spolia eorum, ex quibus est vestis illa, quæ iudicio scri-

Soph.1.

Luc.20.

2.Reg.10.
Epist.42.

Iac.5.

Iere.2.

scripturæ sunt sanguis & vita pauperum. Ecclesiast. 34. Panis egentium vita pauperum est: qui defraudat eum homo sanguinis est. Alius sanguis personæ, quæ illud defert, sciens illud esse de re iniustè acquisita. Mors enim sua, vt frequenter iacet ibi.

De disciplina in gestu.

CAPVT III.

EST autem gestus, motus vel dispositio membrorum corporis: & indicat corporis gestus dispositionem animi & motus, sicut effectus causam. Bernard. Ex cordis thesauro procedit quidquid foris apparet vitiosum. Vanum cor vanitatis notam ingerit corpori. Debet sertus Dei, & interius coram Deo, & exterius coram proximo indecentiam cauere. Seneca: Si cõtinens es, etiam tui corporis motus obserua: ne indecori sint. Et notãdum quòd inter gestus corporis aliqui sunt reprehensibiles: & aliqui cõmendabiles. De reprehensibilibus verò octo modos tangere sufficiat. Primus pertinet ad superbiam, de quo habetur: Pro eo quòd eleuatæ sunt filiæ Syon, & ambulauerunt collo extento, &c. Sex sunt quę odit Dominus, & septimum detestatur anima eius: Oculos sublimes. Cucurrit aduersus Deum erecto collo. Secundus pertinet ad iracundiam. Cùm animus ira commotus est, cor accensum stimulis iræ palpitat, corpus tremit, lingua præpeditur, facies ignescit. Vnde verum est illud Poetæ. Deprehendas animi tormenta latentis in ægro corpore. Tertius pertinet ad lasciuiam seu petulantiam. De quo

In Apolog. ad Guliel Abbat. in cap. dicitur. à med.

Isa. 3.

Prouerb. 6. Iob. 15.

habetur: Plaudebant & ambulabant pedibus suis, composito gradu incedebant, &c. Quartus pertinet ad pigritiam, & est cum nimia tarditate. Nimia tarditas ministri multum displicet Domino, secundum illud: Sicut acetum dentibus, & fumus oculis: sic piger his qui miserunt eum. Molestat enim eos sicut acetum dentes, & fumus oculos. De stercoribus boum lapidatus est piger, & omnis qui tetigerit eum, excutiet manus suas. E conuerso velocitas ei multũ placet, secundum illud: Vidisti virum velocem in opere suo: coram regibus stabit. Quintus pertinet ad inconstantiam, de quo habetur: Homo apostata, vir inutilis, graditur ore peruerso, terit pede, digito loquitur. Sextus pertinet ad mollitiem, quæ est nimia teneritudo, siue impatientia rei duræ, de qua habetur Deuteronomij 28. Tenera mulier & delicata, quæ super terram ingredi non valebat, nec pedibus vestigium figere, propter mollitiem & teneritudinẽ nimiam, inuidebit viro suo. Et Isaias: Non vocaberis mollis & tenera. Qui mollis est & dissolutus, frater est sua opera dissipantis. Mollis cedit duritiei, cùm in opere occurrerit, & illud non perficit. Dissolutus, qui nullo amore ligatus est ad opus quod facit. Septimus pertinet ad negligentiam. In eo est negligentia, in quo deficit diligentia: qui non curat qualiter opus perficiat, vtrum benè vel malè: sed solum vt de illo se expediat. Multum decet, vt qui regi gloriæ ministrat, in ministerio suo diligentiam habeat. Hæc est quæ Deum honorificat. Mulier diligens corona est viro suo. Anima enim diligens, spõsum

suum

ſuum Chriſtum honorat. Ad diligentiam monemur. Diligenter exerce agrum tuum. Octauus pertinet ad diſſolutionem, quæ eſt nimia timiditas: de qua; Væ diſſolutis corde, qui nõ credunt Deo, & ideo non protegentur ab eo. *Pro.24.* *Eccl.2.*

De geſtu commendabili.

SEquitur de geſtu commendabili. quem Hugo de S. Victore notificat his verbis: Primùm diligẽter obſeruandũ eſt, vt ſingula membra ſuum teneant officium: nec vſurpent alienum. Deinde vt vnumquodq; ſuum opus tam decenter ac modeſtè impleat, vt per indiſciplinam oculos inſpicientium non offendat. Item diſcretio actionum in membris obſeruanda eſt, vt ſcilicet id agat vnumquodq; membrorũ, ad quod factum eſt, vt nec loquatur manus, nec os audiat, nec oculus linguæ officiũ aſſumat. Sunt quidam, qui neſciunt auſcultare, niſi buccis patentibus. Alij loquentes digitum extendunt, ſupercilia erigunt, aut oculos rotãtes, aut profunda põderatione defigentes, cuiuſdã intrinſecus magnificentiæ conatus oſtendunt. Alij caput iactant, comam excutiunt, veſtimenta adaptando componunt, & latera cubitando pedesq; extendendo ridiculam ſatis oſtentationis formã fingunt. Alij quaſi ambæ aures ad audiendum factæ non ſint, alteram tantùm collo detorto voci venienti opponunt. Alij nauigant brachiis incedentes: & duplici quodam monſtro, vno & eodem tempore pedibus deorſum in terra ambulant: & lacertis ſurſum in aëre volant. Quid eſt, quæſo, monſtrum hoc, quod ſimul in ſe fingit *In tract. de nouit. inſtruend. ca. 12. à med.*

fingit hominis inceſſum, & nauis remigium, & auis volatum. Prima igitur cuſtodia diſciplinæ in geſtu eſt, vt vnumquodque membrorum in eo officio, ad quod creatum eſt, ſe contineat: vt id quod facit, eo modo faciat, quo faciendū eſt: nec plus, nec minus, nec aliter. Et vt in paucis exemplificemus: Ridere debet ſine apertione dentium, videre ſine defixione oculorum, loqui ſine extenſione manuum, & extentione digitorum, incedere ſine vētilatione brachiorum, & ſine geſticulatione ſcapularum, ſedere ſine alterutra ſuperiectione pedum: ſine extenſione vel agitatione tibiarum, & ſine accubatione laterum.

De diſciplina in riſu.

CAPVT IIII.

ET notādum quod virum religioſum multum decet, vt diſciplinam ſeruet in riſu. Quis riſus ſit reprehenſibilis, oſtendit Seneca *Lib. 4. Virt.* his verbis: Miſcebis interdum ſeriis iocos, ſed temperatos: & ſine detrimento dignitatis & verecundiæ. Nam reprehenſibilis riſus eſt, ſi immodicus, ſi pueriliter effuſus, ſi muliebriter fractus. Odibilem hominem facit riſus aut ſuperbus & elatus, aut malignus & furtiuus, aut alienis malis euocatus. Idem: Riſus ſit ſine cachinno. Luctus in hac valle lachrymarum debet eſſe frequens & multus: riſus verò rarus & modicus. Ad hoc monemur exēplo Chriſti, de cuius luctu habetur in multis locis ſacræ Scripturæ: ſcilicet Lucæ 19. Iohan. 11. Hebreor. 5. De riſu verò eius in hac vita preſenti nuſquam legimus.

Riſus

Risus habet maledictionem eius. Væ vobis qui nunc ridetis. Luctus verò habet eius benedictionem. Beati qui lugent. Inter risum disciplinatum & indisciplinatum distinguitur. Fatuus in risu exaltat vocem suam: vir autem sapiens vix tacitè ridebit. Risus indisciplinatus est velut ebullitio stultitiæ. Os fatuorum ebullit stultitiam. Est etiam velut sonitus spinarum in igne. Sicut sonitus spinarum crepitantium sub olla, sic risus stulti. Risus indisciplinatus aliquando est inuidiæ, aliquando perfidiæ, aliquando insanię. De primo dicit Poeta: Risus abest, nisi quem visi fecere dolores. De secundo dicitur: Quasi per risum stultus operatur scelus. De tertio Augustinus: Malunt sapientes se gerere sanos lugentes, quàm freneticos ridentes.

Luc.6. *Matth.5.* *Eccl.21.* *Pro.15.* *Eccl.7.* *Pro.10.*

De disciplina in locutione. Et primò quòd custodia oris est custodia animi.

CAPVT V.

NOtandũ quòd maximè est necessaria oris disciplina: eò quòd ex oris custodia sit custodia cordis. In custodia oris pro magna parte est custodia cordis. Qui custodit os suum, custodit animam suam. Os est quasi porta hominis. Vnde custodia oris tam necessaria est in homine, sicut in castro custodia portæ. Vnde quando aliquis habet castrum, simplicẽ habens murum, ad portam habet turrim: sic custodia oris est custodia animæ. Valet etiam custodia oculorũ ad custodiam cordis: quia frequenter per oculos mors intrat in animam. Sic intrauit ad animam matris nostræ Euæ. Videns enim quòd bonum

Pro.13.

Gen.3. bonum esset lignum ad vescẽdum, & pulchrum oculis, aspectuq; delectabile, tulit de fructu eius & comedit. Simile accidit in Dauid, cui aspectus mulieris, occasio fuit adulterij & homicidij. Custodia etiam aurium valet ad custodiam animæ. Frequenter enim per aures mors intrat ad animam. Hier. 9. Intrauit mors per fenestras nostras. Aurium portæ sunt multum timendæ, & diligenter custodiendæ: cùm sint semper apertæ. Vnde sepiendæ sunt secundum illud: Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire. Aures sepiuntur, cùm ostentatione tristis faciei detractor repellitur. Ventus aquilo dissipat pluuias: & facies tristis linguam detrahentem. Hieronymus: Nemo inuito auditorio libenter aliquid narrat. Præcipuè ad custodiam cordis valet custodia oris: quia non solum nocent animæ quæ per os intrant, sed etiam quæ ex ore exeunt, secundum illud: Quę de ore procedunt, & de corde exeunt, ea coinquinant hominem. Habet os duo officia, scilicet officium sumendi cibum & potum toti corpori: & officium loquendi. Vtrobique verò potest accidere periculum: Quantum ad primum, maius periculum est, si custodia oris negligatur, quàm oculorum: quia per oculos intrant rerum similitudines: per os verò ipsæ res mansuræ corpori viuenti, quæ hominem multum immutant. Vnde qui custodit os suum, quantum ad sumptionem cibi & potus, custodit animam suam: quia custodit vitam naturæ & gratiæ. Vitam naturæ: quia hoc multum valet ad sanitatem. Eccles. 37. Qui abstinens est, adiiciet vitam. In eodem: In

2. Reg. 11.

Eccl. 28.

Pro. 25.

Matth. 15.

multis

multis escis erit infirmitas. Valet etiam ad custodiendam vitam gratiæ. Sobrietatem enim comitatur continentia. Vnde super Matth. 4. cap. dicit Glossa: Diabolus victus de Gula, non tentat de libidine. Si tentetur aliquis de ira, vel luxuria, vel loquacitate, post excessum in cibo & potu, facilè acquiescit: non sic est, si sobrietatem seruauerit. Custodiendum est os à cibis & potibus, quasi proditoribus: qui quanto cum maiori gaudio recipiuntur, tanto plus nocent. Prouerb. 23. Dicitur de vino: Ingreditur blandè, & in fine mordebit vt coluber. Seneca: Voluptates inter res inuisissimas habe, & præcipuè exturba, quæ more latronum in hoc nos amplectuntur vt iugulent.

Gloss. ordin. super illud: Hæc omnia tibi dabo.

Epist. 52. in fine.

Custodia verò oris quantum ad locutionem, specialiter valet ad custodiam animæ. & pro illa specialiter videtur dixisse Salomon illud verbum: Qui custodit os suum, &c. Vnde subdit: Qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala. Loquentem incõsideratè sequuntur hæc mala. Primò, conscientiæ remorsio. Qui multis vtitur verbis, lædit animam suam. Secundò, gratiæ euacuatio. Sapiens in verbis amabilem se reddit, gratiæ autem fatuorum effundentur. Tertiò, confusio. Os stulti confusioni proximum est. Impius confundit, & confundetur: In futuro verò damnatio. Mors & vita in manibus linguæ.

Eccl. 20.

Eccl. 20.

Pro. 10.

Ibid.

Ibid.

Secunda pars huius Capit. Quòd magna diligentia est adhibenda in custodia linguæ quadruplici ratione.

QVadruplici ratione magna diligentia est adhibēda circa custodiam linguæ. Primò, quia eius custodia est valdè difficilis. Secundò, quia est valde vtilis. Tertiò, quia valde indecens est circa eius custodiam negligentia. Quartò, quia hæc negligentia est valde periculosa. Difficultatem custodiendi linguam, primò ostendit nobis natura; quæ linguam inclusit, sicut solent includi crudelia animalia, & indomita, ne noceant. Secundò, scriptura. In Psal. Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstātiæ labiis meis. Propter difficultatem custodiēdi linguam, rogat Dauid Dominum de eius custodia. Domini est gubernare linguam. Non sufficit ad hoc virtus, vel discretio humana. Quis dabit ori meo custodiam? ori tuo facito ostia, vt scilicet possit custodiri lingua. Omnis natura bestiarum, & volucrum, & serpentum, & cæterorum domatur, & domita est à natura humana: linguam autem nullus hominum domare potest. Et subditur: Est enim inquietū malum. Vtilis est valde custodia linguæ. Si enim lingua debito modo regatur, de fructu eius potest homo ditari. De fructu oris sui vnusquisq; replebitur bonis. Pretiosi fructus linguæ, quam Spiritus sanctus regit, qui in specie linguæ apparere voluit, sunt, modestia in loquendo, oratio, Dei laudatio, gratiarum actio, peccatorum confessio, proximi eruditio, & consolatio. Linguæ vtilitatem ostendit Salomon, dicens. Vena vitæ os iusti:

Prouerb. 19

Eccl. 22.
Eiusd. 28.
Iac. 3.

Pro. 12.

Pro. 10.

iusti. Sermo est instrumentum sapientiæ: circa quod intendunt tres magnæ scientiæ: scilicet Grammatica, Logica, & Rhetorica. Et circa idem pro magna parte intendit diuina scientia. Magnum reputatur scire ea quę tres dictę scientiæ circa sermonem attendunt: sed valde magnum est seruare ea quę in sermone diuina scię-tia requirit. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Qui moderatur labia sua, prudentissimus est, non solùm prudens vel prudentior. Sermone perpenditur an aliquis sit sapiens. In lingua, sapiętia dignoscitur. Ante sermonem non laudes virum: Hæc enim tentatio est hominum. Hieron. In pondere verborum, probatio existit humanæ vitæ. Valde indecens est, cùm custodia linguæ negligitur: & lingua inquinationi exponitur. Lingua enim est nobile membrum: rationis organum speciale. In quo membro homo specialiter est honoratus à Deo, quod specialiter deputatū est diuino officio, electum specialiter à Spiritu sancto: quo fit instrumętum sapientiæ & gratiæ, scilicet sermo. Valde seruandum est ab inquinatione os humanum, & quantum ad labia, & quantum ad linguam. Indecens est valde ibi immunditia propter eius nobilitatem. Qui ori suo ab inquinatione non parcit, ab homine quasi degenerauit: & in porcum transiit. Porcus non plus parcit ori ab inquinatione quàm pedi, vbi ponit pedem ponit & os. Lingua quantum ad vsum loquelæ naturaliter est organum rationis: nec inuenitur naturaliter quantum ad vsum istum, nisi in habente rationem, ideo à ratione regi debet, & ad eius imperium in

Pro. 10.

Iacob. 3. *Pro.* 10.

Eccl. 4. *Eiusd.* 27.

actum ſuum exire. Cùm ad iumentum non pertineat loquela, iuſtè poſſet illi Dominus loquelam auferre, qui vt iumentum factus eſt: & ratione linguam ſuam non regit. Cùm in membro iſto homo præ omnibus creaturis ſit honoratus à Deo, valde ingratus eſt, ſi eo Deum inhonorat. Creaturæ irrationales vt aues, lingua ſua Deum laudando honorant; vnde multum poteſt offendi Deus, videns ſe ſola lingua humana inhonorari: à qua maximè debuit honorari. Lingua deputata eſt diuino officio. Ea enim homo Deum orat & laudat. Quia illa Deus oratur: multum cauendum eſt, ne illa Deus offendatur: quia (vt ait Gregorius) cùm is diſplicet, qui ad interpellandum mittitur: irati animus ad deteriora prouocatur. Et quia Deus ea laudatur, à peccato ſeruanda eſt: quia non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Cùm electa ſit à Spiritu ſancto, non debet ſeruire ſpiritui maligno. Sermo eſt inſtrumẽtum ſapientiæ. Sapientia eſt in corde quaſi in quiete: in ſermone verò quaſi in vehiculo. Per ſermonem enim quaſi transfertur de vno in alterum. Etiam eſt quaſi gratiæ vehiculum: quia per ſermoné datur audiendi gratia. Omnis ſermo malus de ore veſtro non procedat, ſed ſi quis eſt ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus. Vnde verba Chriſti dicuntur verba gratiæ. Mirabantur omnes in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore Dei. Negligentia circa cuſtodiam linguæ valde periculoſa eſt. Multum enim nocet ſi non cuſtodiatur. Vnde dicitur de ipſa, quod eſt inquietũ malum, plenum veneno mortifero. Et ibidem dici-

In Paſtorale prima p. cap. 11.

Eccl. 15.

Epheſ. 4.

Luc. 2.

Iac. 3.

dicitur: Lingua nostra ignis, vniuersitas iniquitatis. Gloss. Vniuersitas, quia per eam ferè cuncta facinora, aut cõtinuantur, vt latrocinia, stupra: aut patrantur, vt periuria, falsa testimonia: aut defendũtur, vt cùm quilibet scelus excusat quod cõmisit. Nocet lingua ei qui loquitur, euacuando mentem eius bonis. Bern. Leuis res est sermo: sed gratiter vulnerat: aptissimum euacuandis cordibus instrumentum. Eccl. 28. Multi ceciderunt in ore gladij: sed non sic quasi qui interierunt per linguã suam. In eod. Flagelli plaga liuorem facit: plaga autem linguæ comminuet ossa. Nocet lingua audienti. Bern. Vnus est qui loquitur, & tantùm vnum verbum profert: & tamen vnum verbũ, vno momento, multitudinis audientiũ aures dum inficit, animas interficit. Nocet his de quibus loquitur etiã valde remotis: vt lingua eius qui est in Gallia, nocet ei qui est vltra mare, vel in Hispania, dum eum infamat. Imo lingua eius qui est in terra, nocet ei qui est in cælo: dum Deum blasphemat. In Psal. Posuerũt in cælũ os suum, &c. Et notandũ quòd cùm homo constet ex corpore & spiritu, sermo qui est eius instrumentum, habet aliquid quasi corporale, scilicet vocem: & aliquid quasi spirituale, scilicet significationẽ: ratione cuius attingit non solum creaturã, sed etiam creatorẽ, qui sermone oratur, laudatur, vel blasphematur. Item attingit spiritum creatum. Sermone enim, volũtas vnius spiritus alteri manifestatur. Item attingit non solum præsentia, sed etiam præterita & futura: & non solùm propinqua, sed etiam remota: ideo multum potest nocere

Gloss. ordin. ibid.

In serm. de triplici custodia, scilicet manus, linguæ, cordis.

Sermon. 24. in Cant. paulò ante medium.

Vna mala lingua, scilicet vnius mali consiliarij
Eccl.28. destruit patriam vnam. Dicitur de lingua tertia.
Ciuitates muratas diuitum destruxit.

Tertia pars huius capituli, quæ sunt attendenda in locutione, distinctim explanat.

AD disciplinam linguæ pertinet attendere, quis loquitur, & cui, & de quo, & quid, & vbi, & quando, & quomodo. Circa primum in-
In tract. de instruct. nouit. cap. 13. struit Hugo de sancto Victore his verbis. Qualitas personarum quatuor modis consideratur: scilicet secundum ætatem, secũdum scientiam, secundum officium, & secũndum cõditionem. Secundum ætatem: quia aliud cõuenit locutionibus senum, aliud locutionibus iuuenum. Secundum scientiam: quia aliud conuenit locutionibus sapientum, & aliud locutionibus simplicium. Secundum officium: quia aliud conuenit locutionibus eorum qui negotia terrena tractant: & aliud locutionibus eorum qui sanctioris vitæ quieti, & studio contemplationis inuigilant. Secundum conditionem: quia aliud conuenit locutionibus eorum, qui sunt prælati: & aliud locutionibus eorum qui sunt subditi. Senes debent loqui de discretione bene consulendi; iuuenes de instantia benefaciendi. Sapientes de mysteriis scripturarum: simplices verò de exemplis bonorum operum. Hi qui tractant exteriora negotia, de solertia acquirendi: hi qui quietam vitam ducunt, de disciplina bene viuendi. Prelati de diuisione & prouisione rerum: subiecti de obediẽtia præceptorum. Circa idem
Pro.17. instruimur: Non decent stultum verba compo-

sita.

sita. Non est speciosa in ore stulti parabola. Item: Quomodo pulchras frustra habet claudus tibias: sic indecens est in ore stulti parabola. Et intelligas stultum, non solùm cui deest scientia: sed etiam cui deest bona vita. Circa secundum, scilicet secundùm personam cui loquimur, instruit Hugo de S. Victore his verbis: Boni prauorum colloquia aliquando appetere, aliquando vitare debent. Appetere, quando sua exhortatione illos sperant posse corrigi: & de sua stabilitate confidunt, vt non timeant de eorum suggestione praua corrumpi. Quando verò & illorum duritiam, & suam infirmitatem considerant: expedit eis vt fugiant: ne dum illos non valent suis admonitionibus corrigere, paulatim incipiant ipsi ad prauitatem illorum declinare. Cùm ergo propter nostram ædificationem loquimur, cum illis loquamur, quorum doctrina possumus ad virtutem instrui. Cùm autem loquimur propter ædificationem proximi, cum illis loquamur, quos speramus per nostram exhortationem à prauitate sua posse emendari: alioquin & sapientes velle docere, superbia est: & obstinatos corripere, insipientia. Circa illud instruimur: In auribus insipientium ne loquaris: quia despicient doctrinam eloquij tui. Noli arguere derisorem. Cum stulto ne multum loquaris. Nolite sanctum dare canibus: neq; mittatis margaritas vestras ante porcos. Canes sunt detractores, porci cõtemptores. Loquens cum illo, quem sperat exhortatione sua posse corrigi, instruitur ab Hugone de S. Victore his verbis: Id profecto maius dici conuenit, quod ad illud,

Eccl. 20. *Pro.* 26.

In tract. de instruct. nouit. cap. 14.

Pro. 23.

Ibid. 9. *Eccl.* 22. *Matth.* 7.

In tract. de instruct. nouit. cap. 14. *à med.*

in quo tempore plus laborat, malum sanãdum, consilio commodiori occurrit. Verbi gratia: Quando constantiam laudare volumus, ad pusillanimes, nõ ad superbos sermonem nostrum dirigere debemus: quia cùm vitium superbiæ nonnunquam sub prætextu constantiæ se contegat, si superbis cœperimus laudare constantiã, dum eos ad virtutẽ hortari credimus, amplius eos in suo vitio confirmamus. Exhortemur ergo ad constantiã timidos, ad timorem superbos, ad frugalitatẽ prodigos, & ad liberalitatem auaros. Similis instructio habetur: Cum viro irreligioso tracta de sanctitate, & cum iniusto de iustitia. Admonitio debet esse secundum defectum gratiæ, quem habet ille quẽ admonemus. Item secundum capacitatẽ auditorum, formãdus est sermo doctorum: vt dicit Greg. Et hoc non solùm quantum ad sublimitatẽ vel subtilitatẽ doctrinę, sed etiam quantum ad prolixitatẽ. Aliqui minus capacibus tot & tanta dicere volũt, quod nihil retinent. Ipsi volunt ponere dolium vnum vini in lagenã vnam, vel cyphum vnũ. Attendere debet etiã qui loquitur, vt sermo eius materię congruat. Senec. Vitiosum est in re seria delicatum inferre sermonẽ. Non decet etiam cùm de diuinis loquimur, vt exemplis vilibus vtamur. Reprehensibile est etiam, circa paruã negligentiam nimium zelum ostẽdere. Alij quærunt ensem ad muscã occidendam, & securim ad ouum frangendum. Tales sunt qui erga modicam negligentiam ita mouẽtur, ac si esset magnum peccatum: quod non debet fieri, maximè cùm hoc facilè potest corrigi. Circa quartum, scilicet circa id

Ecc. 37.

In prologo 3. prin. in pasto. in med.

ea id quod dicendum est, instruimur: Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat: sed si quis bonus ad ædificationẽ fidei, vt det gratiam audiẽtibus. Semper vester sermo in gratia sit sale conditus. Benedictus in regula sua: Scurrilitates vel verba odiosa, & ad risũm mouentia, æterna clausura in omnibus locis damnamus: & ad tale eloquium discipulum os aperire non permittimus. Bern. in lib. de consideratione: Inter sæculares nugæ sunt nugæ: in ore sacerdotũ blasphemiæ. Interdũ si incidant, ferendæ fortasse, referendę nunquã. Consecrasti os tuum Euangelio: iam talibus aperire illicitum est: assuescere sacrilegium. Idem: Verbum scurrile, quod faceti vrbanive nomine colorant, non sufficit peregrinari ab ore: etiam ab aure relegandum est. Fędè ad cachinnos moueris: fædius moues. Tacendum esse etiam propter defectum intelligentiæ, ostenditur; Si est tibi intellectus, responde proximo tuo: sin autẽ, sit manus tua super os tuum, ne capiaris verbo indisciplinato. Propter reuerentiam auditorum tacendum esse etiam, ostenditur; In medio seniorum ne adiicias loqui. Quòd propter obstinationem malitiæ sit tacendum, ostensum est prius. Circa modum loquendi instruit Hugo de sancto Victore his verbis. Modus loquendi in tribus consistit: hoc est, quo gestu, quo sono, qua significatione quid dicatur. Disciplina iubet, vt loquentis sit modestus gestus & humilis, sonus demissus & suauis, significatio vera & dulcis. Modestiam debet habere gestus loquentis, vt nec inordinatè, nec impudicè, nec turbulentè inter

Eph. 4. Coll. 4.

Cap. 6. in fine illius.

Lib. 2. paulò à fine illius

Eccl. 5.

Eccl. 11.

In tract. de instruct. nouit. cap. 17. in princip.

loquendum membra moueat: aut aliqua indecenti conformatione, aut transmutatione vultus, prolationem sui sermonis imminuat. Humilis debet esse gestus loquentis, vt apud auditores gratiam sermo eius inueniat. Sonus loquentis, debet esse remissus: ne strepitu aut immoderata clamositate auditores suos aut iniustè terreat, aut iustè offendat. Porrò detrahere vel detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facilè dixerim. Seneca. Sermones vtiles magis quàm facetos & amabiles, ama: rectos potius quàm obsecundantes. Idem: Si tempus iocos exigit, hos cum dignitate sapientię gere. Non erit tibi scurrilitas, sed grata vrbanitas. Sales tui sine dente sint: ioci tui sine vilitate. Idem: Non sis aliorum curiosus scrutator, neq; acerbus reprehensor: sed sine reprehensione & exprobratione correptor: ita vt admonitionem hilaritate præuenias: & errori facilè veniam dato: nec extollas quẽquam, nec deiicias. Requirenti facile responde, contendenti facile cede: nec in iurgia detractionesq; descendas. Idem: Rari sermonis sis ipse, sed loquẽtium patiens; seuerus sis, non sæuus, sed hilarem non aspernans. Circa locum vbi loqui debemus, instruit Hugo de sancto Victore his verbis: Cùm aliquid dicere volumus, prius vbi illud dicere conueniat consideremus. Nam quædam sunt loca, vbi silentium seruandum est: quædam verò in quibus humanos sermones, id est, confabulationes edere ad alterutrum non licet: exceptis his verbis, quibus homo cum Deo, vel ad Deum loquitur, quando in orationibus vel in lectio-

In tract. de instruction. nouit. ca. 15. in princip.

lectionibus, siue in hymnis & canticis, manifestè vel occultè prolatis Deo famulatur. Vnde & beatus Augustinus in regula: in oratorio nihil agendum esse dicit, præter id ad quod factum est. Et intelligit illud August. in oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod factum est: non solùm de opere, sed etiam de locutione. Item Hugo: Non debemus ea quæ sunt pluribus dicenda, in occulto edere: nec ea quæ sunt paucis reuelanda, in manifesto propalare. Sapiens: Quidam ea quæ solis amicis committenda essent, his quos habuerunt obuiam, narrant. Non possunt aliqui auditum verbum tenere. Sagitta infixa femori canis: sic verbum in ore stulti. In eodem: A facie verbi parturit fatuus, parturiens non quiescit donec partum emiserit: nec fatuus donec verbum protulerit. Attendendum est etiam tempus loquendi. Sermo oportunus est optimus. Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo. Homo sapiens tacebit vsque ad tempus. Ex ore fatui reprobabitur parabola, quia non dicit illã in tempore suo. Tempus tacendi, & tempus loquendi. Hugo de sancto Victore: Tempus tacendi, tempus loquendi præcedere debet: quia prius per silentium, tempore tacendi discitur: quod postea per verbum, tempore loquendi proferatur. Aliquando debemus tacere, quia alter prior cepit loqui; ne forte si sermonem verborum nostrorum prolatione interrumpimus, & eum qui loquitur, & eos qui audiunt pariter offendamus. Aliquando tacendum est: quia ad id quod dicere volumus, animos auditorum paratos adhuc non esse

In 3. regula non procul à princip.

Senec. epist. 3. à med.

Eccl. 19.

Pro. 15.

Ibid. 25.

Eccl. 20.

Ibid.

Eccl. 3.

In tract. de nouitiorum instruct. ca. 16. tom. 2.

consideramus. Aliquando tacendum est: propter multiloquium vitandum, vel quia ipsi qui locuturi sumus, nõdum apud nosmetipsos congruam loquendi formam inuenimus, quia profectò animus auditorum magis offenditur, si sermo qui ædificare debet, confusus & inordinatus proferatur. Aliquãdo tacendum est: quia hi qui præsentes habentur, nequaquam tales sunt, ad quos verbum debeamus facere. Quod duobus modis fieri potest: scilicet vel dum reuerentia dignitati personę impenditur: vel dum malitia incorrigibilis, & ideo indigna admonitione existimatur. Et subdit; quòd sermonem eorum qui priores nobis cœperunt loqui, non debeamus interrumpere, ostendit Iob: qui cùm de disciplina sua & aliorum reuerentia erga se loqueretur, inter cætera sic ait: Qui me audiebant: expectabant sententiam meam: & intenti tacebant ad consilium meum, &c. Sæpe propter infirmitatem auditorum tacendum est, vt Dominus suo exemplo docet: qui cùm Apostolos suos adhuc imbecilles, & ad sublimioris doctrinæ eruditionem imparatos aspiceret, ait: Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modò. Multiloquium timendum esse insinuat Salomon, dicens: In multiloquio non deerit peccatum, qui autem moderatur labia sua, prudẽtissimus est. Vnde de Christo legitur: Non clamabit. Seneca. Vox sit sine clamore. Suauis debet esse: ne prolationis asperitate tantò fiat animis audientium onerosior, quantò ad aures durior venit & iniucundior. Significatio, id est, sententia sermonis debet esse vera. Aug. in libro de

Iob 29.

Ioan. 16.

Pro. 10.

Isa. 42.

de doctrina Christiana: Minus intelligantur, minus placeant, minus moueant quæ dicantur: vera tamen dicantur & iusta. Hugo de sancto Victore: Cum veritate necesse est vt sermo loquẽtis dulcedinem habeat: quia sæpe etiam veritas auditori amara efficitur, si aut sine ratione, aut sine dilectione, hoc est, si vel importunè vel impiè contra eum proferatur. Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos. qui sapiens est corde, appellabitur prudens: qui dulcis est eloquio, maiora reperiet. Magis enim proficiunt, qui habent dulcedinem linguæ, quàm qui habent magnam sapientiã in corde. Et notandum quòd sermo noster debet esse purus. Purus sermo, pulcherrimus, firmabitur à Domino. Purus debet esse à falsitate, purus à noxietate proximi, & purus à contumelia Dei.

In tract. de instruct. nouit. cap. 17. circa med.

Eccl. 6.

Ibid. 16.

In quarta parte huius capituli, quatuor quæ multum ad linguæ custodiam valent, enumerantur.

QVatuor sunt, quæ multum valere possunt ad linguæ custodiam. Primum est, quod ante portam oris barræ ponantur. Secundum est, vt porta oris rarò aperiatur. Tertium est, vt aperta porta citò claudatur. Quartum, vt in ea clauis habeatur. Quasi barræ ante portam oris, sunt firma proposita declinandi illas personas, cum quibus per linguã peccare solemus, vel loca illa in quibus habemus occasionẽ peccandi per linguam; Vel tenendi silentium in illis horis, in quibus homo facilius per linguam labitur: vt est hora post sumptionem cibi & po-

& potus, & alia similia proposita salubria, valentia ad custodiam linguæ. De his barris habetur:
Pro.18. Frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma, & iudicia quasi vectes vrbium. Proposita ex iudicio rationis facta, sunt quasi vectes vel quasi barræ. Rarò aperienda est porta oris, & citò claudenda. Sapiens: Ad summam perfectionem te volo esse breuiloquum, rariloquum, & submissa voce loquentem. Sit omnis homo tardus
Iacob.1. ad loquendum. Seneca: Tardiloquum te esse iubeo, & propè erit tibi Deus. Idem: Aurem verbis frequentius, quàm linguam accommoda. Sicut multiloquiũ frequenter habet peccatum,
Pro.10. secundum illud: In multiloquio non deerit peccatum: sic breuiloquium valet ad hoc, vt caueatur peccatum. Triplicem clauem debet habere porta oris. Primam in arca cordis. Secundam in manu Prælati. Et tertiam in manu Dei. Locutionem viri religiosi debet præcedere mentis deliberatio, id est, prius veniat sermo ad lumẽ quàm ad linguam. Eccles. 5. Ne temerè quid loquaris.
Eccl.4. Noli citus esse in lingua. Eiusd. 21. Verba prudentum statera ponderabuntur. Sapiens habet os in corde, in cordis scilicet potestate & dispositione: stultus cor in ore. In eodem: In ore fatuorum cor illorum: & in corde sapientum os illorum. Religiosus etiam antequam loquatur, à Prælato suo licentiã debet petere. Qui nescienter & nolente Prælato ad loquendum portam oris aperit, postquam clauẽ ei tradidit, fractor templi spiritualis esse videtur, & quasi fur, faciendo clauem contra clauem. Orationem etiam debet ad Deum præmittere, cuius est linguam guber-

nare

nare: vt linguam regat, ne in ea offendat. In Psal. Domine labia mea aperies.

Quinta pars huius capituli, quantum valet claustrale silentium ad linguæ custodiam: bonaq; ex eiusdem custodia prouenientia lucidè ostendit.

CIrca claustrale silentium notandum, quòd pro eius obseruantia zelare multum debent Prelati, qui claustra habent in sua custodia. Claustrum absque obseruatione silentij, est velut equus sine freno: Si equis frena in ora mittimus, ad consentiendum nobis, & omne corpus eorum circumferimus, & cetera. Sessor equi licet cæteris membris eius libertatem concedat, ori tamen frenum imponit. Sic rector claustri, frenum silentij debet ori imponere. Absq; freno silentij vana est religio: Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum: huius vana est religio. Religio absque silentio, est quasi claustrum habens guerram absque porta, & absq; muro. Memento belli, nec vltra addas loqui. Ori tuo facito ostia. Sicut vrbs patens, & absque muri ambitu: ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. Religiosus vir qui non seruat silentium, potest dicere illud: Quasi rupto muro & aperta ianua irruerunt super me. Silentiũ, quasi bestiam crudelem & indomabilem, lingua inclusam custodit: Linguam nullus hominum domare potest. Foueam obstruit, per quam infiniti perierunt: Propter peccata labiorum ruina proximat malo. Beatus qui non est lapsus verbo ex ore suo. Silentium os claudit, vnde

Iac.3.

Iacob.1.

Iob.40.

Eccl.28.

Pro.25.

Iob.30.

Iacob.3.

Pro.12.

Eccl.14.

flamma

Iacob.3. flamma infernalis exit. Lingua ignis est, inflammata à gehenna. Silentium malitiam suffocat.

Eccl.19. Qui odit loquacitatẽ, extinguit malitiam. Linguam maledicam emendat. Hieronymus: Linguam maledicam indictum emendat silentium. Hominem roborat. In silentio & spe erit fortitudo vestra.

Isa.30. Sicut ad fortitudinem obsessorum in castro valet clausura bona cum forti adiutorio: sic ad spiritualem fortitudinem valet silentium cum spe de cęlesti adiutorio. Abbas Pastor. Omnis labor quicunque euenerit tibi ex taciturnitate, superabitur. Sicut pugil nunquam vel rarò vincitur, nisi verbum malum dixerit: sic vix vincitur homo à diabolo, si à verbis malis cauerit. Clausirum pacificat. Prouerb. 26. Qui imponit stulto silentium, iras mitigat. Silentium diuino eloquio auditum præparat. Tren.3. Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei. Verbum increatum non reuelat secreta sua in tumultu. Ecclesiast. 32. Vbi auditus non est, non effundas sermones. 1.Regum 3. Loquere Domine quia audit seruus tuus. Silentium feruorem deuotionis seruat. Sicut solet obstrui vas, in quo fit vinum ferratum, vt vinum fit fortius: sic oportet vt clausiralis seruet silentium, vt feruor deuotionis sit in eo. Si verò os eius ad loquacitatem sit apertum: quidquid deuotionis est in eo, exhalat. Eccles. 20. Gratiæ fatuorum effundentur. August. Loquela sit in necessitate, taciturnitas in iocunditate. Ad taciturnitatem monemur exemplo Christi: Quasi agnus coram tondente se obmutescet, &c. Glos. Pilato vel Herodi pauca respondit, ne salus humani gene-

Isa.53. Glos. ord. ad illud, nõ aperuit os suum.

ris

ris differretur. Libenter ergo & tu tacere debes: ne impediatur salus tua. Abbas Agathon per triennium lapidem in ore suo mittebat, donec taciturnitatem disceret. Qui non habet discretionem loquendi, habeat discretionem tacendi. Seneca. Taciturnitas homini stulto pro sapientia est. Prouerb. 17. Stultus si tacuerit, sapiens reputabitur. Rarò tamen gratia tacendi in stulto inuenitur. Sapiens: nemo stultus tacere potest.

De disciplina in comestione. Et primo disciplina in mensa commendatur.

CAPVT VI.

DIsciplina in mensa multum est commendabilis. Ipsa in loco illo immunditiam cauet, in qua multum hominibus displicet, scilicet ad mensam. In membro illo etiam munditiam seruat, in quo immunditia maximè indecens est, scilicet, in ore. Per eam, offensam Dei cauemus, quando eam maximè debemus cauere, scilicet quando bonis eius vtimur. Magna peruersitas est Deum offendere, cùm in mensa eius sumus. Cauent latrones aliquot diebus, ne eis noceant, cum quibus comedunt. Per eam etiam fit, vt cùm reficitur corpus, reficiatur & animus. Iustus comedit & replet animam suam. Ipsa etiam facit, vt cùm pascitur homo, pascatur & Deus. Puritatem enim seruat, qua delectatur Deus. Canticorum 2. Qui pascitur inter lilia, &c. *Pro. 13.*

Secunda pars huius capituli: in quibus disciplina seruanda sit in mensa.

QVantum ad quatuor est seruanda disciplina in mensa, scilicet quantum ad taciturnitatem, quantum ad visum, quantum ad continendi se modum, & quantum ad cibi & potus sumptionem. De tribus primis dicit Hugo de S. Victore his verbis: Debet quisque inter epulas conseruare disciplinam in semetipso, videlicet vt linguam suam à loquacitate restringat, & oculos suos à circumspectione cohibeat: & vt cetera membra omnia cum modestia, & quiete contineat. Idem de taciturnitate. Taciturnitas inter epulas necessaria est, idcirco, quoniam lingua, quæ omni tempore prona est ad peccatum, labitur periculosius, cùm per crapulam inflammata fuerit: si ad loquendum relaxetur. Propterea diues qui inter epulas loquacitati seruierat, pòst in inferno positus vehementius in lingua ardebat. Idem: Custodia oculorum inter epulas propterea necessaria est, quia non decet, ibi præcipuè, vt vagos quis habeat oculos, neque curiosè respiciat, & vt amplius aliquid dicam, impudenter ea quæ apud alios aguntur circumlustrando perspiciat: sed vt potius dimissis luminibus, ea tantùm quæ sibi apposita sunt, attendat. Idem: Custodia quoque se continendi ibi negligenda non est, quatenus videlicet neq; in habitu, neque in gestu indecens aliquid aut inhonestum agatur: nihil cum strepitu aut tumultu fiat: sed omnia mẽbra cum modestia & tranquillitate in disciplina contineantur.

In tract. de inst. nouit. cap. 18.

Eod. cap. nunc antea citato.

Eod. lib. & cap. citatis.

Ad

Ad disciplinam in sumptione cibi & potus pertinent, quid, quantum, & quomodo sit sumendum. In libro de vita solit. Cura carnis agenda est sobriè, & cum quadam spirituali disciplina: vt neq; in modo eius, nec in qualitate, neq; in quantitate aliquid appareat, quod non deceat seruum Dei. In eod. Ipsa necessitas non secularitèr, non carnaliter, expleatur: sed sicut conuenit seruo Dei. Nam etiam ad sanitatem corporis cibus quantò honestius & ordinatius ingeritur, tantò facilius & salubrius digeritur. Obseruandus est ergo sumendi modus, & tempus, cibi qualitas & quantitas. Tempus, ne ante horam. Qualitas, qua scilicet vtitur communitas fraternitatis: excepta caussa manifestæ necessitatis. Qui tempus comedendi præuenit, nõ expectat donec salsa parata sit, scilicet fames: vnde cibum insipidum comedit. Seneca: Solus panis, bonus fiet tibi; cum tenerum & similagineum fames reddit: ideo non edendum, antequam illa imponat. Expectabo ergo, nec antè edam, quàm aut bonum panem habere potero: aut malum fastidire desiero. Ber. Prudenter sobrieq; conuersanti satis est ad omne condimentum, sal cum fame. Sapiens: Desideriis omnia condiuntur. Qui in religione est, non debet nimis preciosa vel delicata expetere: nec rara vel insolita requirere: nec nimis accuratè & lautè præparata concupiscere.

Bernard.

Epist. 120. *habet aliquid de hoc.*

Epist. 1. *declinando ad finem.*

Quod precioſi cibi non ſunt quærendi. Tertia pars huius capituli.

AD non expetendum precioſa, primo debet eum monere profeſsio voluntariæ paupertatis. Qui parum vult habere conſequens eſt, vt parum velit expendere. Qui precium non habet, precioſa quærere non debet. Senec. Pauper, vbi diuites cœperit imitari, perit. Secundo, affectio pietatis, quã debet habere ad pauperes Dei filios & fratres ſuos: inter quos multi ſunt qui etiam panem nõ poſſunt habere. Qualis eſt fraternitas, quod alij non habeant neceſſaria, alij habeant ſuperflua? Magna peruerſitas quòd vilis ſeruus precioſa quærat: cùm Dominum ſuum in pauperibus egere ſciat. Non videtur verè membrum eſſe illius, cuius Chriſtus eſt caput qui indigentiæ membrorum eius non compatitur: Si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra. Fidem poſside cum amico tuo in paupertate illius: vt in bonis eius læteris. Bernardus: Noli putare gratuitũ, quod impendis proximo: velis nolis debitor es.

1. *Cor.* 12. *Eccl.* 22.

Tertiò, peccatum quod eſt in acquirendo. Frequenter enim ſumptus quibus precioſa habentur, acquiruntur vel cum periculo eius qui eis vtitur: vel illius à quo dantur. Noluit Dauid bibere aquam quam ſibi attulerant tres fortes ſed libauit eam Domino, dicens: Propitius ſit mihi Dominus, ne faciam hoc. Num ſanguinem hominum iſtorum, qui profecti ſunt, & animarum periculum bibam? Melius eſt ſine periculo tantùm panem & aquã ſumere, quàm cum peri-

2. *Reg.* 23. 1. *Mach.* 5.

culo

culo precioſa habere. Iudas ſeceſsit in deſertum locum, ibiq; inter feras vitam in montibus cum ſuis agebat: & fœni cibo veſcentes demorabantur, ne participes eſſent coinquinationis. Quartò, conditio corporis. Cum enim corpus vas ſit, vbi corrumpitur quod infunditur: fatuum videtur eſſe, ibi precioſa ponere. Vlulate omnes qui bibitis vinum in dulcedine: quoniam periit ab ore veſtro. *Ioel.1.* Non ſic eſt in aliis ſenſibus. Non enim corrumpitur res pulchra, cum ſemel viſa fuerit: nec res odorifera, cùm ſemel odorem eius aliquis perceperit. Non videtur quòd Deus voluerit hominem quærere cibos pretioſos, qui eandem aſsignauit cum iumentis eſcam. Ecce dedi vobis herbam afferẽtem ſemen ſupra terram, & vniuerſa ligna quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, vt ſint vobis in eſcam & cunctis animantibus terræ. *Gen. 1.* Quòd cibi precioſi quæruntur, hoc frequenter accidit, vel ex delectationis amore, vel ex ambitione, & vtrobiq; eſt magna fatuitas. Fatuum eſt ſumptus magnos facere pro breui delectatione, quantum tranſitus cibi per guttur durat, ſolùm durante. Item valde fatuum eſt & peruerſum paſcere oculos mundi de hoc, quod ſubtrahitur in pauperibus famelico ori Dei.

Quòd deliciæ non ſunt quærendæ corpori. Quarta pars huius capituli.

MVltis de cauſsis fatuum eſt corpori ſuo delicias procurare. Primò, quia qui delicatis vtitur, infirmitati corporis ſui medium adhibet, vnde infirmitas aggrauatur. Se-

Lib. 10. *cõfes. cap.* 31. *in prin. tom.* 1. cundum Augustinuum sumenda sunt alimenta, sicut medicamenta; sed, sicut dicit Gregor. Medicamentum in vulnus vertitur, quando exquisito remedio paulo diutius inhærentes, ex eo grauius deficimus, quod improuidè ad refectionem paramus. Secundo, quia dum aliquis delicatis vtitur, hosti eius consuetudo mala super eum acquiritur, quæ vix excutitur. Seneca:

Epist. 39. *post mediũ.* Voluptatibus se immergunt, quibus in consuetudinem adductis carere non possunt: & ob hoc miserrimi sunt, quòd eò peruenerunt, vt illis quæ sunt superflua, facta sint necessaria. Consuetudo mala pertinens ad vitium gulæ vix deponitur. Coruus non est reuersus ad arcam. Actus, vnde generatur hoc vitium, & augetur, & multum frequentatur: ideo hoc vitium vix dediscitur. Glutinum est valde forte, & quasi indissolubile. Vxorem duxi, ideo non possum venire. Ad matrimonium pertinet indissolubilitas. Vxorista est voluptas carnis. In hoc matrimonio, in quo diabolus coniungit, solus Deus separat.

Gen. 8.

Luc. 14.

Tertiò, quia qui delicata corpori suo parat, adiutoria hosti suo procurat. In libro de vita solit. De condimentis sufficit vt fiant comestibiles cibi nostri, non autem concupiscibiles vel delectabiles. Sufficit enim concupiscentiæ malitia sua: quæ cùm vix aut nullo modo pertransire possit ad finem explendæ necessitatis, nisi per viam quantæcunq; delectationis: si cœperit accipere irritamenta ab eis, qui perpetuum susceperunt bellum aduersus eius oblectamenta, fiunt duo contra vnum, & periclitatur conscientia.

Bernard.

tia. Quartò, quia vsum deliciarum frequenter excessus comitatur, vnde corporis infirmitas & sæpe mors sequitur. Seneca. Potest sæpe nostra prouidentia huic corpusculo moram prolongare lõgiorem, si voluptates, quibus maior pars corporum perit, poterimus regere & coërcere. Idem: Ipsæ voluptates in tormenta vertuntur. *Epist. 24. à medio.* Idem: Quis hostis in quenquam tam contumelioſus fuit, ſicut in quosdã voluptates ſuæ ſunt? Sufficit alicui, ſi hoſtem ſuum excœcat, ſed voluptates non ſolum excœcant voluptuoſos, ſed etiam impotentes reddunt, & contractos & leproſos, & aliis infirmitatibus affligunt eos, & tandem interficiunt. Chryſoſt. Hi qui in deliciis & luxuriis vitam ducunt, reſoluta corpora & omni cera molliora circumferunt, atq; infirmitatibus repleta: quibus ad culmen malorum podagræ tremor, & immatura ſenectus accedit: & eſt ſemper vita in medicis & medicamentis: ſenſus autem tardi, & graues, & obtuſi, & quodammodo ſepulti. Seneca. Victus tibi ſit ex re facili: nec ad voluptatem, ſed ad cibũm accede, palatum tuum fames excitet, non ſapores. Cùm os non ſolùm ſibi cibum ſumat, ſed toti corpori, nec quod ſumit ſibi retineat, ſed ad membra tranſmittat, nõ eſt habendus reſpectus in ſumptione cibi, ad os tantum, ſed ad corpus. Aliquando enim quod nimis eſt corpori, parum eſt gulæ: & quæ gulæ ſunt delectabilia, corpori ſunt noxia. Vnde ſi ille qui habet multitudinem ciborũm delicatorum, tantum vult inde ſumere quod ſit ſatiata gula, poteſt inde incurrere infirmitatem, vel etiam mortem. Similiter accidere

potest in illo, qui in cibis non attendit, nisi vt gulæ sint delectabiles. Quod enim est gulæ delectabile, potest esse corpori mortiferum. Non congruunt deliciæ tempori, in quo sumus. Bernardus. Vniuersum tempus præsens pœnitentiæ, vigilia quædam est solennitatis magnæ, & æterni sabbati quod præstolamur. delitiæ solennitati conueniunt, non vigiliæ. Non congruunt etiam delitiæ loco in quo sumus. Locus enim est exilij, vallis lachrymarum & miseriarum, non locus delitiarum. Non eiecit Dominus hominem de loco delitiarum, vt hic sibi delitias procuraret. Item non congruunt delitiæ statui corruptionis, in quo nunc est humana natura. Quæ facilè corrumpuntur, melius seruatur in aqua salsa, quàm in aqua dulci. Homo, etiam in statu naturæ bene institutæ, positus in delitiis, corruptionem incurrit: quem tribulatio quasi aqua salsa in statu naturæ destitutæ custodit. Non congruunt etiam delitiæ seruili conditioni corporis. Seruo maleuolo, tortura & compedes congruunt: non delitiæ. Prouerb. 29. Qui delicatè à pueritia suum nutrit seruum: postea sentiet eum contumacem. Item nō congruunt delitiæ stultitiæ corporis; ad cuius correctionem virga necessaria est. Virga in dorso eius qui indiget corde: Non decent stultum deliciæ. Per stultum cibo satiatum mouetur terra: Stultus cibo satiatus, est homo carnalibus deliciis repletus. Non congruunt etiam statui Christiani. Bernardus. Christus qui non fallitur, elegit quod carni molestius est: id ergo melius, id vtilius, id magis eligendum est. Exemplo ergo

In serm. in vigilia B. Andreæ.

Pro. 10.
Pro. 19.
Pro. 13.
Serm. 3. in natali Domini ante medium.

ergo Christi, non carni delectabilia, sed molesta debet Christianus eligere. Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Qui non accipit crucem suam, & sequitur me: non est me dignus. Christianus debet potius eligere cum populo Dei carnis afflictionem: quàm inordinatam cum seruis diaboli consolationem, sicut de Moyse legitur: Magis eligens affligi cum populo Dei, quàm corporalis peccati habere iocunditatem. Specialiter, statui religionis non congruunt delitiæ. In deserto religionis non sunt quęrendæ delitiæ carnales: sed à Deo quærendæ & sperandæ spirituales. Tunc Deus filiis Israël, manna dedit in deserto, cùm cibus terrenus defecit. Afflixi te penuria, & dedi tibi manna. Qui terrenas delitias non vult habere, cœlestes potest sperare. Gregor. Si à carne quod libet abscindim⁹: mox in spiritu quod delectat inuenimus. Columba fugit aquam, scilicet aquam carnalis voluptatis. Bernar. Delicata est diuina consolatio: & non datur admittentibus alienam. Ioan. 16. Nisi ego abiero, paracletus non veniet ad vos. Bern. Quis audeat de cætero carnis illecebris phantasticis deditus paracletum expectare? Qui claustrum ingreditur, carcerem prælegit, in quo pro peccatis suis puniatur: ne pro eis infernali carceri tradatur. Nō est autem carcer locus deliciarum. Qui religionem intrat, exemplo & amore Christi crucem ascendit, Non est crux locus delitiarum. Non est ibi propinatum Christo vinum electum: sed vinum mirrhatum, vel acetum felle mixtum. Religio locus est, vbi intendendum est

Gal. 5.

Matth. 10.

Hebr. 11.

Deut. 18.

Gen. 8.

Ad sensum hoc habet serm. 3 & 6. de ascensio. Domin.

Matth. 27. Luc. 23.

veræ ſapientiæ percipiendæ: quod impediunt multum deliciæ. Iob. 29. Sapientia non inuenitur in terra ſuauiter viuentium. Pulchrè dicitur apud Græcos. Pinguis venter non gignit ſenſum tenuem. Seneca: Copia ciborum ſubtilitas intellectus impeditur; Abſtinentia verò à deliciis valet ad intelligentiam. Daniel. 1. Pueri qui cibos regios contempſerunt, groſsis cibis contenti, intelligentiores cæteris inuenti ſunt. Deliciæ ergo viro religioſo non congruunt.

Epiſt. 15. parum à prin.

Quinta pars huius capituli, quod non ſunt quærendi cibi inſoliti.

RAra & inſolita, qui eſt in religione, non debet quęrere: & labori miniſtrantium debet parcere. Hugo de ſancto Victore, Alij noua quædam & inſolita ciborum genera exquirunt: ita vt ſæpe propter vnius hominis ventrem per omnes circumpagos turba famulorum diſcurrat. Hoc aliquando per tumorem elationis accidit. Qui enim appetunt aliis excellentiores eſſe in ieiunio ſuo, aliquid ſpeciale volunt facere. Hieron. Sint tibi pura ieiunia, caſta, ſimplicia, moderata, & non ſuperſtitioſa. Quid prodeſt oleo non veſci, & moleſtias quaſdam difficultatesq; ciborum quærere? Carica, piper, nuces, palmarum fructus: tota hortorum cultura vexatur, vt cibario non veſcamur pane. Idem. Audio præterea quoſdam contra naturam rerum hominumq; aquam non bibere, nec veſci pane: ſed ſorbitiunculas delicatas & contrita olera. Proh pudor, non erubeſcimus huiuſmodi ineptiis, nec tædet ſuperſtitionis: inſuper etiam famam

In tract. de inſtitut. nouit. cap. 19.

famam abstinentiæ in deliciis quærimus. Fortissimum ieiunium est aqua & panis: sed quia gloriam non habet,& omnes pane & aqua viuimus, quasi publicum & commune ieiunium nō putatur.

Sexta pars huius capituli, & dissuadetur ciborum studiosa præparatio.

QVi in religione est,non debet studiosè prę-parata appetere. Cibos enim studiosè & lautè præparare, est gladium sui hostis acuere. Hugo de sancto Victore: Alij superstitiosi nimis in præparandis cibis studium adhibent, infinita decoctionū & frixurarum,& condimentorum genera excogitantes: modò mollia,modò dura: modò frigida, modò calida: modò cocta aqua, modò assa:modò pipere, modò allio,modò cumino,modò sale condita: secundū consuetudinem regnantiū desiderantes. Bern. Quis dicere sufficit (vt cætera taceam) quod modis oua sola versantur & vexantur: quanto studio euertuntur,subuertuntur,liquantur, durantur?Et nunc quidem frixa, nunc assa:nunc mixtim,nunc separatim apponuntur. Vt quid autem hæc omnia, nisi vt soli fastidio consulatur? Ipsa deinde qualitas rerum talis decoris apparere curatur, vt non minus aspectus quàm gustus delectetur. Et cùm iam stomachus crebris ructibus sese repletum indicet,necdum tamen curiositas satiatur: sed dum oculi coloribus, & palatum saporibus illiciuntur, infelix stomachus, cui nec colores lucent, nec sapores demulcent, dum omnia suscipere cogitur, oppressus magis obruitur,

In tract. de instítut. nouit. cap. 19. à med.

In Apolog. ad Guilielmum abbatem in cap. Dicitur.

tur, quam reficitur. Studiosa ciborum præparatio frequenter est occasio quod nimis de cibo sumatur. Bernardus. Tanta quippe accuratione & arte coquorum cuncta apparantur, vt quatuor vel quinq; ferculis deuoratis, prima non impediant nouissima: nec satietas minuit appetitum. Venter quidem dum vescitur, oneratur: sed varietas tollit fastidium. Quia enim puras, vt eas Deus creauit, epulas fastidimus, dum alia aliis multifariè permiscentur, & spretis naturalibus, quos Deus indidit rebus, quibusdam adulterinis gula prouocatur saporibus, transitur nimirum meta necessitatis, sed necdum delectatio superatur.

In Apolog. ad Guilielmum abbatem, cap. Dicitur.

Septima pars huius capituli. De quantitate cibi.

DE quantitate cibi sumendi, dicit Hugo de sancto Victore; Mensura hæc mihi videtur, vt neque contra honestatem, neque supra necessitatem. Non omnis venter idem sapit alius sic, alius verò sic. Cui minus sufficit: iste priusquam ad turpitudinem edacitatis veniat in superfluitatem offendit. Cui multum opus est, in eo sæpe honestas comedendi læditur: etiam priusquam ad superfluitatem veniatur. Ergo illi cui parum satis est, superfluitatem caueat: ille verò cui multum opus est, magis ad honestatem attendat. Cibus tuus quo vesceris, erit in pondere. Multum noxia est animæ & corpori sumptio nimia cibi & potus. Propter crapulam multi obierunt. Attendite ne grauentur corda vestra crapula & ebrietate. Crapula est cruda epula. Seneca: Ede citra cruditatem: bibe citra

In tract. de institut. nouit. cap. 20.

Ezech. 4.

Eccl. 37.

Luc. 21.

citra ebrietatem. Sobrietas verò in cibo & potu, animæ & corpori multum est vtilis. Chrysostomus, Nihil sic salutem, nihil sic sensuum acumen operatur, nihil sic ægritudinem fugat, sicut moderata refectio. Excessus in cibo frequenter est occasio ferculorum multitudo: quæ non solùm animæ, sed etiam corpori est nociua. Seneca: Fastidientis stomachi est, multa degustare. Quæ vbi varia sunt, & diuersa, inquinant, non alunt. In multis escis erit infirmitas. Seneca de antiquis loquēs, ait: Simplex erat ex caussa simplici valetudo: morbos multos multa fercula fecerunt.

Epist. 2. circa mediū.

Epist. 96. ante mediū habet aliquid de hoc.

Vltima pars huius capituli, de modo sumendi cibum.

AD modum sumendi cibum pertinēt munditia & temperantia. Munditiam cibi multi non seruant: de quibus Hugo de sancto Victore: Quidam ferculorum frusta adipem distillantia mensalibus inuoluunt aut superiiciunt: Alij vnctas manus ad vestimenta sua detergentes, rursus ad cibaria tractanda redeunt. Alij nudis articulis cochlearis vice piscantur, ita vt in eodem iure & manus ablutionem, & ventris refectionem, quærere videantur: Alij semirosa crustula cibariis iterum infigunt, & reliquias dentium suorum offas facturi in poculis demergunt. Et subdit; Hæc à dicentibus erubescenda fuerant: si à facientibus præsumpta non fuissent. Nunc autem sustineant in audiendo verecundiam, qui in faciendo noluerunt habere disciplinam. Idem: Temperantiam manducandi intelligimus, si tractim homo

In tract. de instituit. noui. cap. 21.

Eodem cap. citato à medio.

&

& non cum nimia festinatione comedat. Ad hanc temperantiam pertinet, refrenare nimium appetitum cibi & potus: & se non effundere super escam. Noli esse auidus in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam. Eccl. 37.

Augustin. Fieri potest, vt sine omni vitio cupiditatis vel voracitatis, pretiosissimo cibo sapiens vtatur: insipiens autem fœtidissimæ gulæ flammam in vilissimum cibum inardescat: & sanius quisque more Domini, maluerit pisce vesci, quàm lenticula, more Esau. Non propter hoc continentiores sunt nobis plæreque bestiæ, quia vilioribus escis aluntur. Effusio vultus interioris super escam est, quando animus ad cibum sic trahitur, vt aliud cogitare non sinatur. Comitari solet fœdam auiditatem inordinatio in scindendo panem, & sumendo cibum, & comedendo. Valet contra hanc auiditatem, Psalmi interpositio cum aliqua oratione. Ad idem etiam valet auditus sacræ Scripturæ, vel recordatio.

Bernard. In libro de vita solitaria: Cùm manducas, nequaquam totus manduces; sed corpore tuo suam refectionem procurante, non omnino anima suam negligat: sed de memoria suauitatis Domini, vel Scripturarum, aliquid quod eam pascat meditando, vel saltem memorando secum ruminet & digerat.

In 3. regul. cap. 13. Augustin. in regula: Cùm acceditis ad mensam, donec inde surgatis, quod vobis secundum consuetudinem legitur, sine tumultu & contentione audite: nec solæ vobis fauces sumant cibum, sed & aures audiant verbum Dei.

Matth. 4. Saluator diabolo tentanti de peccato gulæ, ait: Non in solo pane viuit homo, sed in omni

omni verbo quod procedit de ore Dei: insinuás cibum corporalem despiciendum esse propter spiritualem. Contemnentes cibum spiritualem, & appetentes corporalem reprehendit Bernardus his verbis: Nobis conuenientibus in vnum, vt verbis Apostoli vtar, iam non est Dominicam cœnam manducare. Panem quippe cœlestem nemo est qui requirat: nemo qui retribuat. Nihil de salute agitur animarum: sed nugæ & risus proferuntur in ventum. Idem: Inter prandendum quantum fauces dapibus, tantum aures pascuntur rumoribus, quibus homo totus intentus modum nescit in edendo.

In Apolog. ad Guilielmum abbatem, cap. Dicitur.

Secundi libri eruditionis religiosorum finis.

TER-

TERTIVS LIBER, QVI INSTRVIT RELIGIOSVM contra aduersarium. Et complectitur quatuor partes. In quarum prima ostenditur, quod multum tentẽtur mundum relinquentes, & quod dæmones tentent homines, & hoc per duo capitula.

CAPVT I.

Quòd multum tententur mundum relinquentes.

STENSO quomodo qui in religione est, se debeat habere ad mundum, & ad corpus proprium, nunc agendum est de tentationibus, quæ multum solent vexare nouitium. Persecutus est Pharao cum magno exercitu filios Israël, qui recesserunt ab eo. Spiritus immundus multum desiderat redire ad domum vnde exiuit: & vt illi, qui eum contempsit, possit prævalere, assumit septem spiritus nequiores se. In deserto tentatur Saluator. Glos. In deserto fit tentatio: quia non ante hostis se erigit, quàm homo de mundo exit. Ideo accedenti ad seruitutem Dei dicitur; Præpara animam tuam ad tentationem. Eccleſiast. 2. Gregorius in Moral. Lucem rectitudinis, vmbra sequitur tentationis.

*Exod.*14.

*Matth.*12. *Luc.*11.

*Glos. ord. circa initium, cap.*4.

*Lib.*8.*cap.*10.*à med.*

Quòd

Quòd dæmones tentent homines.

CAPVT II.

CIrca tentationes ostenditur primò, quòd dæmones impugnant & tentant homines. Secundò, quod tentationes amicis Dei sunt vtiles. Tertiò, ostenduntur modi impugnandi quos tentator habet. Quartò, quibus modis qui tentatur, repugnare debet. Ostensio primi multum est necessaria. Cùm enim dæmones sint inuisibiles, eorum pugna est inuisibilis, nec sensu corporali percipitur: imò oportet vt ad lumen fidei oculis cordis manifestetur. Ignorantia huius impugnationis periculosa est. Non enim repugnat, qui se impugnari ignorat. Bernardus. Diabolus, quem videre non possum, & ideo minus cauere, tetendit arcum suum, & in eo parauit sagittas suas: parrauit vt absconderet laqueos, & dixit: Quis videbit eos? Hieronymus: Tunc maximè impugnaris, cùm te impugnari nescis. Grande periculum est, iuxta se habere hostem suum, & nescire hoc. Circa primum notandum, quòd impugnatio, quam diabolus facit homini, certificari potest ex tertio capite Geneseos: Vbi serpens mulierem decepit: vbi etiam Dominus ostendit Dæmonis impugnationem esse duraturam, dicens: Inimicitias ponam inter te & mulierem: & semen tuum & semen illius. Secundò, ex libro Iob 1. & 2. capite vbi sathan petiit à Domino, vt daret ei licentiam flagellandi Iob. Item: Matth. & Lucæ 4. vbi legitur, diabolum tentasse Dominum. Et secundum Augustinum assum-

In med. ca. 14. ante medium.

assumpsit formam humanam : quod permisit Dominus, vt tentatio ista certior fieret. Item, 1. ad Corinth. 7. Reuertimini in idipsum, ne tentet vos sathanas. Et Ephes. 6. Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates tenebrarum harum. Et, Cur tentauit sathanas cor tuum? Et de beato Martino legitur, quod diabolus multoties apparuit ei in forma humana. Similiter de beato Antonio, cui apparuit in forma pueri nigri : & in forma animalium diuersorum generum. Simile legitur de multis aliis Sanctis.

Actor. 5.

SECVNDA PARS HVIVS TERTII vno tantùm clauditur capitulo. In quo ostenditur, quod tentationes amicis Dei multùm sunt vtiles.

CAPVT I.

CIRCA secundum notandum, quod tentatio est multum vtilis. Bernardus: Necesse est vt tentationes veniant. Quis enim coronabitur, nisi qui legitimè certauerit? Aut quomodo certabit, si desit qui pugnet? Quid mihi cum victoria : si nec in prælio fui? Impudentissimè mihi arrogo vel gloriam sine victoria : vel victoriam sine pugna. Tentatio primo erudit. Armorum experientia militibus est necessaria. Militia est vita hominis super terram. Hæ sunt gentes quas reliquit Dominus, vt in his erudiret Israëlem. Qui non est tentatus, quid scit? In eodem. Qui tentatus non est, quid scit? Secundò, humiliat; & sic à præcipitio superbiæ

Serm. 64. super Can. in prin.

Iob. 7.

Iob. 3.

Eccl. 34.

biæ conseruat. Gregorius. Dum vitia nos tentant, proficientes in nobis virtutes humiliant. Idem. Iebusæum Israël tolerat: vt humana mens de se humilia sentiat: dum minima non superat. Cùm per tentationem humilitas proficit: prospera est ipsa aduersitas: quæ mentem a b elatione custodit. Idem; Cùm tentamur vitiis, dispensatione diuina nobiscum agitur, ne virtutibus, quibus proficimus, extollamur. 2. ad Corinth. 12. Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, &c. Tertiò, negligentiam repellit. Vnde glos. dicit super illud Psal. Proba me Domine, & tenta me. Nisi tentaremur, negligentes essemus. Timor hostium facit homines vigilantes: securitas verò facit eos pigros. Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Quartò, virtuti adiicit. Seneca: Multum sibi adiicit virtus lacessita. Canis prouocatus bellicosior efficitur. Gregorius: Ignis flatu premitur, vt crescat: aqua inuento obstaculo, maiores vires exercet. Sic certamen tentationis occasio est, vt ei qui tentatur, gratia augeatur. 1. ad Corinth. 10. Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere. Quintò, virtutem hominis notificat: Tentat vos Dominus Deus vester, vt palàm fiat si diligatis eum, an non. Gregorius: Nemo vires suas in pace cognouit. Si enim bella desunt, virtutum experimenta non prodeunt. Idem, Mira nobiscum dispensatione agitur, vt mens nostra nonnunquã pulsatione culpæ feriatur. Nam esse se magnarum virium, vel

Glossa ord. ibi ex Cassio.

Matth. 27.

Epist. 13. parum à prin.

Lib. 6. registri, cap. 19. à princip.

Deut. 13.

virtutum, homo crederet, si nullum vnquam earundem virium defectum intra mentis arcana sentiret. Sextò, Deum glorificat. In Psal. Eruam te, & honorificabis me. Septimò, populum ædificat. Tob. 2. Hanc tentationem ideo permisit euenire illi Deus, vt posteris daretur exemplum patientiæ eius. Octauò, ei qui tentatur honorem in præsenti acquirit. Vnde legitur de beato Antonio: qui cùm quadam nocte à dæmonibus esset laceratus, subitò venit radius lucis, & dæmones & tenebras effugauit. statimqúe Christum, præsentem intelligens, dixit: Vbi eras, bone Iesu, vbi eras? Quare à principio non affuisti, vt curares vulnera mea? Et vox ad eum ait: Antoni hîc eram: sed expectabam videre certamen tuum. Nunc autem qui viriliter dimicasti, faciam te in toto orbe nominari. Nonò, in futuro coronat: Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. Et dicitur de sufferente tentationem, quod cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Hoc pro certo habet omnis qui colit te: quia vita eius, si in probatione fuerit, coronabitur: si autem in tribulatione fuerit, liberabitur: & si in corruptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit.

In Vita ipsius quam scripsit Athanasius.

1. Tim. 2.

Iacob. 1.

Tob. 3.

TERTIA

TERTIA PARS HVIVS LIBRI TRIA in se habet capita. In quorum primo dicitur, quòd diabolus mendaciis multum vtitur: & aliqua mendacia specificantur.

CAPVT I.

CIRCA modos impugnandi quos diabolus habet est notandum, quòd diabolus multum vtitur mendaciis tentando. Ipse mendax est & pater eius. Mendacio vsus est, tentando mulierem, cùm ait: Nequaquam moriemini. Item tentando Saluatorem: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. Matthæi 4. Illi, qui est in peccato, promittit longam vitam, vt differat venire ad pœnitentiam. Hæc est promissio nequissima, quæ multos perdidit, Ecclesiastici 29. Cùm pater cœlestis tempora & momenta in sua, non in diaboli potestate posuerit, valde fatuus est, qui credit diabolo de sua futura vita disponenti. Valde fatuum est credere mendacio illi, quo diabolus plus quàm centum millia hominum duxit ad infernum. Dicebat enim eis: bene adhuc facietis pœnitentiam: & voluntatem & spem habebant faciendi eam: nunc verò in inferno sunt, & non possunt facere eam. Licet Deus peccatori, si pœnituerit, promittat peccatorum remissionem: tamen non promittit ei crastinum diem. Illi qui pœnitentiam assumpsit, nititur diabolus suadere, vt abiiciat onus pœnitentiæ. Ad quod multis fraudibus vtitur. Primò, mentitur exonera-

Ioan. 8.
Gen. 3.

tionem, quod non est exoneratio, sed leuis o-
neris in grauissimum onus commutatio: vt fe-
stucæ in trabem vel montem. Vnde ille qui ten-
tatur, debet dicere tentanti: Si hoc onus depo-
suero, nunquid sine onere ero? Cui quæstioni s
planè respondere voluerit, dicere poterit: Imò
ponetur super te mons magnus, scilicet infer-
nalis pœna, monte grauior, Apocalyp. 6. Dicen
montibus, cadite super nos, & abscondite nos
facie sedentis super thronum, & ab ira agni
quoniam venit dies magnus iræ ipsorum, Bo
num est ergo leue onus ferre, vt tantum onu
Apoc. 2. possimus vitare. Non mittam aliud pondus su
per vos: tamen id quod habetis tenete. Secun
dò, ea quæ diuisim portanda sunt, simul ostен-
dit, dicens: Quomodo hoc possis portare to
annis? Cui dicendum est: Hoc hodie cum De
adiutorio portabo: & cras tantundem portab
leuius cum Dei adiutorio, propter assuetud
nem. Sic vbi fallit compositio soluit diuisi
Matthæi 6. Sufficit diei malitia sua. Tertiò, vi-
tutem hominis à Dei virtute diuidit, dicens: To
debilis es, nullo modo posses hoc portare. C
dicendum est: Si intelligis, mea virtute sola, di
cis verum: cùm scriptum sit Ioan. 15. Sine me nи-
hil potestis facere: si verò intelligis, quod no
possim Dei virtute adiutus, euidens est me-
Phil. 1. dacium. Confidimus in Domino Iesu, quoni-
Ibid. 4. am qui cœpit in nobis bonum opus, perficie
Omnia possum in eo qui me confortat. Quar
tò, spoliationem mentitur exoneratione. sicu
quando latro simplicem scholarem exonera
cappa sua. Aurum vel lapides pretiosos debe
repu-

reputare pœnitentiam, quam tibi vult auferre. Vnde debes eum cauere, ſicut ſpoliatorem rei pretioſiſsimæ. Suadeo tibi à me emere aurum. *Apoc.3.* Aurum emere, eſt fructũ pœnitentiæ pręparare. Quintò, quęrit pondus diminuere, ad quod cœleſte gaudiũ tibi tradendum eſt. Id quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. *2. Cor.4.*

De quatuor tentationibus diaboli.

CAPVT II.

MVltiplicem diaboli tentationem oſtendit Bernardus, loquens de illo verbo: Scuto circundabit te veritas eius, non timebis, &c. Sunt, inquit, quatuor tentationes, in quibus vndiq; circundati, neceſſe habemus ſcuto Domini circundari ante & retro: à dextris & à ſiniſtris. Timor afflictionis nocturnus & planè tenebroſus: quia abſcondit ab oculis, quod non ſunt condignæ paſsiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis: ſed facile hunc radius veritatis exuperat. Ingerit enim oculis cordis nunc peccata quæ fecimus, nunc æterna ſupplicia, nunc æterna præmia, nunc ea quæ pro nobis pertulit Chriſtus. Ad lucem ergo tam multiplicis veritatis nox receſsit. Sed time ſagittam, quæ in die leüiter volans, non leue vulnus infligit. Hæc ſagitta eſt vana gloria, quam oportet cauere ferüentiores: ne deſerant ſcutum veritatis. Quid enim tam contrarium veritati? Et ſubdit: Primò à ſiniſtris pulſat diabolus puſillanimitate; deinde à dextris, *Serm.5. ſuper Pſal. qui habitat. à medio.*

humanis laudibus. Si sic non proficit, dicit: Viribus deiicere nequeo: sed fortè deiicere potero alicuius ingenio proditoris. Negotium perambulans in tenebris, est ambitio, subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, liuoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum ærugo, tinea sanctitatis. Contempsit enim, ait, vanam gloriam, quoniam vana est: fortè aliquid solidius affectaret, fortè honores, fortè diuitias. Quid nisi veritas, inuestigat hunc proditorem, & negotii arguit tenebrarum? Non restat callido inimico contra eos, quos videt omnimodis diligere iustitiam, & odisse iniquitatem, nisi vt iniquitatem palliet virtutis imagine. Quos enim nouit perfectos boni amatores, malum eis sub specie boni non mediocris, sed perfecti suadere conatur vt facile qui currit, incurrat. Ipse sathanas transfigurat se in angelum lucis. Sola autem est veritas, quæ palliatam detegit falsitatem.

2. Cor. 11.

Quòd quinq; aduertenda sunt & timenda circa diaboli impugnationem.

CAPVT III.

CIrca diaboli impugnationem quinque nobis aduertenda sunt & timenda, scilicet, dolositas, crudelitas, continuitas, varietas, & vniuersitas. Dolosè impugnat, non solùm quia mendaciis vtitur, vt prius ostensum est, sed etiam quia tortuosè incedit: nec agnoscitur ab eo qui tentatur, quid intendit. Tria sunt mihi difficilia, &c. vnum illorum est, via colubri supra petram.

Pro. 30.

tram. Glos. Viam colubri vocat venenati hostis astutiam, quæ insidiari non desinit his, quos in petra fundatos esse conspicit. Item quod delectabile est proponit: quod molestum est, subticet. Sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aues capiuntur laqueo: sic homines capiuntur tempore malo, scilicet tempore tentationis. Pisces capiuntur esca hamo superposita. Secundò, crudeliter & immisericorditer impugnat: vt patet in Iob, cui abstulit sua & suos, & afflixit in propria persona. Et si in aliquo videtur parcere, etiam in hoc intendit impugnare: vt patet in vxore Iob, quam ei reliquit, per quam eum postea impugnauit: quæ dixit ei, cùm amisisset sua & suos, & percussus esset vlcere pessimo; Adhuc tu permanes in simplicitate tua? Benedic Deo, & morere. Irrisio est, quasi dicat: Si perseueraueris in benedictione tua, morieris. Tertiò, continuè impugnat. Bernardus. Tot tentationibus plena est vita nostra, vt non immerito tota ipsa debeat tentatio appellari. Gregorius. Diabolus assidua tentatione nos tentat, vt saltem tædio vincat. Quartò, variis impugnationibus impugnat: vt quem non vincit vna, vincat altera. Paulinus Episcopus Augustino ait: Hostis noster, cui mille sunt nocendi artes, tam variis repugnãdus est telis, quàm impugnat insidiis. Ipse tentat secundum complexionem, vel mores, vel statum hominis. Gregor. Intuetur inimicus humani generis vniuscuiusq; mores, cui vitio sunt propinqui: & illud ponit ante faciẽ: ad quod cognoscit facilius inclinari mentẽ: vt blandis ac lætis mentibus sæpè luxuriã, non-

Glossa ord. ibid.

Eccl. 9.

Iob. 2.

Serm. 5. super Psalm. Qui habitat. ante medium.

Li. 20. moy. cap. 14.

nunquam vanam gloriam: Asperis verò mentibus iram, superbiam, vel crudelitatem proponit. Eos qui sunt in paupertatis deserto, incitat ad iram vel impatientiam: vnde eius tentatio talibus est ventus vrens. *Deut. 8.* Dicitur de solitudine in qua fuerunt filij Israël, quòd in ea erat serpens flatu adurens. His qui sunt in prosperitate suadet pigritiam; & talibus est tentatio, vt ventus Aquilo. Eccles. 43. Ventus Aquilo flauit, & gelauit cristallus ab aqua. Illos quos videt feruentes ad bonum, incitat ad hoc, vt ascendant vt de alto possit eos præcipitare: quod est multum periculosum. *Serm. 19. super Can. circa finē.* Bernardus super Cant. Non habet callidus hostis machinamentum efficacius ad tollendum de corde dilectionem, quàm si efficere possit, quòd in ea incautè ambuletur & non cum ratione. *Ephes. 5. 1. Pet. 4.* Videte fratres quomodo cautè ambuletis. Nolite peregrinari in feruore qui ad tentationem vobis fit. Quintò, impugnatio eius vniuersalis est: vnde dicitur, sagena, quæ est rete totam aquam occupans. *Abac. 1.* Expandit sagenam suam, & semper interficere gentes non cessat. Impugnatio eius vniuersalis est quantum ad tempus. Bernardus in sermonibus. *Serm. 5. super Psal. qui habitat. à med.* Præmonitos vos esse volo, neminem super terram absque tentatione esse victurum: vt cui fortè tollitur aliqua, aliam securus expectet; aut fortè non securus, sed pauidus magis; & sic petat ab ea liberari, vt nunquam sibi in corpore mortis huius libertatem perfectam seu requiem audeat polliceri. Qua in re consideranda nobis est tam benigna erga nos diuinæ pietatis dispensatio, vt quibusdam tentationibus nos patiatur diutius

occu-

occupari, ne fortè periculosiores occurrant: ab aliquibus verò citius liberet, vt posſimus aliis, quas nobis vtiliores fore prouidet, exerceri. Impugnat diabolus non solum vigilantes, sed etiam dormientes. Gregorius: Sanctos quos minus valet vigilantes, grauius tentat diabolus dormientes; quod benignè permittit Dominus, ne saltem somnus à passionis præmio vacet. Sustinentia passionis, quæ est in dormiente, per se non habet meritum: sed repressio, quæ est in vigilante, eius ad quod incitatio facta est; vnde occasionaliter dictum est verbum Gregorij. In fine vitæ fortius impugnat, sciens quòd si tunc aliquam vicerit, post non vincetur ab eo. vnde dicitur calcaneo insidiari, quod est pars extrema corporis. Genes. 3. Gregorius. Sciendum quod plerumque eis quos cepit, tunc grauiores culpas ingerit, cùm præsentis vitæ termino illos appropinquare cognoscit. Item vniuersalis est quantum ad loca; Circuiui terram, & perambulaui eam. Circuit quærens quem deuoret. Tentat in deserto, ciuitate, etiam in loco sacro: vt patet in tentationibus Christi. Item vniuersalis est quantum ad personas. Impugnat enim diuites & pauperes. Pauperes capit, eorum ditationem procurando: vt occasione diuitiarum fiant mali. Difficile enim est non corrumpi à contubernio earum. Ipse super omnem munitionem ridebit, comportabit aggerem, & capiet eam. Diuites & potentes superat, quia diuitiis & potentia faciens eos abuti, quasi proprio gladio eorum ipsos vulnerat. Ipse de regibus triumphabit: & tyranni erunt ridiculi

Lib. 8. mor. ca. 18. circa medium.

Lib. 1. mor. ca. 38. à medio, id habetur in sententia. Iob. 1.

1. Pet. 5.

Matth. 4.

Abac. 1.

Abac. 1.

eius. Ipse illos potius nititur acquirere, per quos
1. *Reg.* 31. sperat se plures acquisiturum, scilicet illos qui
præsunt. Totum pondus belli versum est in
3. *Reg.* 22. Saul. Non pugnabitis contra maiorem vel mi-
Li. 26. *mor.* norem quempiam, nisi contra regem Israël.
cap. 5. Item magis impugnat sanctiores. Gregorius:
Iob 40. Crescentibus virtutibus magis sæuit diabolus
Li. 33. *mor.* ad tentandum. Et super illud: Absorbebit flu-
cap. 8. *à med.* uium, &c. Antiquus hostis pro magno non habet, cùm sub iure suæ tyrannidis terrena quærentes tenet, qui per ipsa vitæ suæ studia deorsum tendunt: sed illos magnopere rapere nititur, quos despectis terrenis studiis iã iungi cœlestibus contemplatur. Vniuersalis est etiam impugnatio, quantum ad ea quibus impugnat, vtitur enim ad impugnandum & bonis & ma-
Sap. 14. lis. Creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationem animæ hominum, & in muscipulam pedibus insipientium. Omnibus se iuuat diabolus contra homines, quibus homines contra ipsum se debuernnt adiuuare. Etiam propinquissimi eorum diabolum iuuant. Ipse procurat, vt homines donis Dei contra Deum vtantur: & bonis propriis in malum proprium abutantur. Maximè verò potest in amatoribus ter-
Gen. 3. renorum. Vnde dictum est: Terram comedes.
Iob. 18. Abscondita est in terra pedica eius. Laqueus su-
Isa. 24. per te qui habitator es terræ. E contrario
Pro. 1. dicitur; Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum.

SEQVI-

SEQVITVR QVARTA PARS HVIVS libri: quæ continet ſex capitula. In quorum primo agitur de modo repugnandi ſerpenti infernali, per contritionem capitis.

CAPVT I.

DE modo repugnandi diabolo. Circa quod primo notandum eſt, quòd conuenientiſsimus modus repugnandi ſerpenti infernali eſt per cõtritionem capitis eius: quem modum docet Dominus, loquens ad ſerpentem de muliere, quæ figuram tenet Eccleſię; *Gen. 3.* Ipſa conteret caput tuum. Serpens præ cæteris caput cuſtodit. Et non eſt caput nequius ſuper caput colubri: Ideo totis viribus debemus co- *Eccl. 25.* nari ad eius contritionem. Caput verò intellige vel ſuperbiam, vel principium tentationis: vel peccatum cordis, antequam per locutionem, vel operationem, exierit extra. Contritio capitis primo modo, ſcilicet deſtructio ſuperbiæ, multum valet ad repugnandum ei: & hanc facit humilitas, quæ multum valet ad triumphandum in diabolo. Humilitas gloriam victoriæ tantùm Deo attribuit: & propter hoc totum pondus prælij eidem imponit. Cuius enim eſt victoriæ gloria, eſt & pugna. Humilibus à Deo adiutorium gratiæ datur: à quo ſuperbis reſiſtitur. Ideo non eſt mirum ſi humiles triumphent, & ſuperbi vincantur: Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Item caput *Iacob. 5.* ſerpentis infernalis eſt conterendum, quia in prin-

principio tentationis est ei resistendum. Poëta: Principiis obsta, sero medicina paratur, Cùm mala per longas conualuêre moras. Gregorius in moral. Si tentationi in corde nascenti festinè non resistitur, hac eadem, qua nutritur, mora roboratur. In Psal. Beatus qui tenebit & allidet paruulos suos ad petram. Diabolus quasi paruulus est in principio tentationis: vnde tunc facilius potest occidi in homine. In morte primogenitorum liberati sunt filij Israël de seruitute Pharaonis. *Exod.12.* Primogenita Pharaonis infernalis sunt principia tentationum: quibus si viriliter resistatur, cito liberatur homo à diabolo. Qui verò in principio non resistit ei, vix ab eo se expedit. Hieronymus. Lubricus est antiquus serpens, & nisi capite teneatur, totus statim illabitur. Conterendum est etiam caput serpentis infernalis, vt peccatum cordis antè destruatur, quàm per locutionem vel operationem extra egrediatur. Summopere debet homo cor custodire, sicut caput suum, iuxta admonitionem illam: Estote prudentes sicut serpentes. Diabolus tanquam superbus & ambitiosus supremam partem nostri, scilicet cor obtinere nititur, tanquam arcem in castro nostro: vt in omnibus perfectè dominetur. *Li.14. mor. cap.20. à med.* Vnde cum cordi cogitationes immittit, affectum ad malum incendit. Gregorius super illud Iob. 19. Simul venerunt latrones eius, & fecerunt viam per me: Maligni spiritus, qui exquirendis hominum mortibus occupantur, quia viam sibi in afflictorum cordibus faciunt: inter aduersa quæ exterius tolerantur, cogitationes prauas immittere non desistunt. *Li.33. mor. cap.40. à med.*

sistunt. Itẽ Gregorius super illud Iob. 41. Halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egreditur: Quid prunas, nisi succensas in terrenis concupiscentiis, reproborum mentes appellat? Tanto igitur Leuiatan halitu in prunas flat, quanto annisu suggestionis occultæ humanas mentes ad illicita inflammat. Flamma oris eius, est instigatio occultæ locutionis. Damascenus. Potens est diabolus immissiones facere: in nobis autem eas suscipere, vel non suscipere. Et notandum, quod cogitationes malæ diuersis de caussis in corde insurgunt. Vna caussa est corruptio, quæ est ex peccato primorum parentum. Illud enim: Spinas & tribulos germinabit tibi: intelligitur de terra quam calcamus, & de terra, quam gestamus. In vtraque enim inutilia, vel noxia gratis nascuntur: vtilia verò cum labore. Aliquando verò insurgunt occasione rerum visarum vel auditarum: vel alio sensu corporeo perceptarũ. Cùm enim aliquis ad mentem redit, volens intendere orationi vel meditationi, vix potest se expedire ab his quibus videndo vel loquendo, vel audiendo paulò antè intentus fuit. Limosa enim est substantia animæ, sicut & corporis: & quidquid contrectat; facilè ei adhæret: iuxta verbum Bernardi. Aliquando insurgunt instinctu diaboli, vt prius ostensum est. In libro de Ecclesiasticis dogmatibus. Non omnes cogitationes nostrę malæ semper diaboli instinctu excitantur: sed aliquando ex nostri arbitrij motu emergunt. Concupiscentia etiam est caussa malarum cogitationum in nobis. In vitis Patrum quidam frater dixit Abba-

Gen. 3.

Cap. 82. habetur hic lib. in Aug. tom. 3.

Abbati suo: Quare non recedunt à me tentationes? Et dixit ei senex: quia vasa earundem tentationum intra te sunt. Hæc vasa intelliguntur concupiscentiæ, vnde cogitationes oriuntur. Vbi enim amor, ibi oculus. In libro de vita solitaria. Qui redit ad conscientiam, si nondum vicit cõcupiscentiam suam, inuenit ibi de concupiscentia sua vel suaues delectationes, vel graues corrosiones: & inde multiplicat cogitationes. Qui verò iam concupiscentiam vicit, quamdiu tamen maioris boni concupiscentia, vel maior delectatio mentem non obtinuerit: cum exosa quadam voluptate, gestorum, visorum, auditorum patitur imaginationes. Vnde in vtroque lumbi implentur illusionibus delectationum: & ad cogitanda diuina vel spiritualia lumen oculorum suorum ipsum non est secum. Vna etiam cogitatio est caussa aliarũ. Quidam frater interrogauit senem quendã, dicens: Quid faciã, quia multæ cogitationes sollicitant me: & nescio quomodo repugnem eis? Qui respondit: Non repugnes contra oẽs, sed contra vnam: quæ est caput aliarum. Cõtra cogitationes malas luctari nos oportet. In vitis patrum dixit quidam senex de antiquis patribus: Non sumus eradicatores cogitationum: sed luctatores. In eod. dixit quidam Abbas: Si cogitationes nõ habes, spem non habes, quòd opera habes. Vnde remedium contra malas cogitationes est, quòd non permittantur exire extra per locutionẽ vel operationem. In vitis patrum dixit Abbas pastor cuidam Abbati: Sicut capsa plena vestibus, si dimissa fuerit, tempore longo putrefiunt vestes

Bernard.

In 2. part. in lib. contra fornicationem, ante medium.

ſtes in ea: ita ſimiliter cogitationes in cordibus noſtris, ſi non fecerimus eas, tempore longo exterminabuntur. Idem ad Abbatem Ioſeph: Sicut ſi quis claudat ſerpentem vel ſcorpionem in vaſe, & obſtruxerit illud, procedente tempore ſerpens morietur: ita malæ cogitationes, quæ ſtudio dæmonum pullulant, patientia eius cui immittuntur, paulatim deficiunt. Et ſpecialiter expedit, quòd cogitationes iracundię, ad verba nõ procedant. Requiſiuit quidam frater Abbatem Iſaac, quare eum tantum dæmones timerent? Qui reſpondit: Ideo me timent dæmones: quia ex quo factus ſum monachus, ſtatui apud me, ne iracundia mea extra guttur meum procederet. Super illud Prouer. 12. Fatuus ſtatim indicat irã ſuam. dicit gloſſa: Natura iræ eſt, vt prolata ferueat, occultata langueſcat. Aliud remedium eſt reuelare eas ſanctis patribus. Vnde quidam ſeniorum cuidã impugnato à ſpiritu fornicationis, dixit: Fili non abſcondas cogitationes tuas, ita enim confuſus ſpiritus immundus diſcedet à te. Nihil ita confundit & allidit virtutem dæmonum: quomodo ſi quis ſecreta immundarum cogitationum ſuarum reuelauerit ſanctiſſimis ac beatiſsimis patribus. Aliud remedium eſt meditatio ſacræ Scripturæ. In libro de vita ſolitaria: De quotidiana lectione aliquid in ventre memoriæ eſt demittendũ, quod fidelius digeratur, & rurſum reuocatũ crebrius ruminetur, quod propoſito conueniat, quod intentioni proficiat, quod animum detineat, vt aliena cogitare non libeat. In lege eius meditabitur die ac nocte: In corde meo abſcondi eloquia tua,

In Vitis patrum in 2. part. ca. 85.

Bernard.

vt non peccem tibi. Et notandum quod cogitationes bonæ multum faciunt ad robur & decorem animæ: cogitationes verò malæ, quibus non resistitur, faciunt ad corruptionem & debilitatem animæ. Sampson rasis crinibus debilis fuit: Crines caput cordis ornantes, sunt sanctæ cogitationes. Seneca: Cogitationes vagas & inutiles, & velut somnio similes non recipies: quibus si oblectaueris animum tuum, cùm omnia disposueris, tristis remanebis. Hier. 4. Vsquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ? Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.

Iud. 16.

Isa. 1.

Et notandum quòd quandoque aliquis tentatur cogitationibus animæ exosis & molestis quæ magis esse pœnales videntur, quàm culpabiles: quibus diabolus affligit animam, cui scit displicere Dei contumeliam, quasi conuiciando Deo, & blasphemando eum coram ea: quod fieri potest, non solùm sine animæ periculo, sed etiam cum merito. Contumelia enim creatori ab inimico eius dicta, coram Dei amico, cui displicet multum, non est caussa quòd Deus offendatur ei qui ex ea molestatur. Legitur in vitis Patrum, quòd quidam cuidam Abbati aperuit, quòd spiritu blasphemiæ impugnaretur. Cui Abbas ait: Quando hæc cogitatio te arripuerit, dic: Blasphemia ista super te sit sathana. Hanc enim caussam anima mea non vult. Et innuitur his verbis duplex caussa, quare non est tantum periculũ in ista blasphemia, sicut multi credunt. Vna est, quia animæ non placet: sed vehemens timor offensæ diuinæ adducit has cogita-

In 2. *parte, cap.* 53.

gita-

gitationes animæ nolenti, ſicut homini timido, qui eſt in tenebris ſolus, adducit timor terribilia ante oculos cordis, licet hoc ſibi multum diſpliceat. Præterea illæ blaſphemiæ, diaboli ſunt, quaſi conuiciantis Deo. vnde diſplicentia mereri poteſt, qui eas audit. Contra hanc tentationem eſt neceſſaria patientia: quæ ſi deſit, poterit accidere, quod cooperabitur diabolo ira ipſius, qui has cogitationes patitur: & erit tunc ipſius culpa.

De quibuſdam quæ multum valent ad triumphandum de diabolo.

CAPVT II.

SEcundo ad repugnandum diabolo multum valet honeſta occupatio. Eſt enim velut murus prohibens, ne tentator acceſſum habeat ad ſeruum Dei. Homo otioſus eſt ſicut villa abſq; muro. Aſcendam ad terram ſine muro: veniam ad quieſcentes habitantesq; ſecurè. Hieronymus. Semper aliquid boni operis facito: vt te diabolus inueniat occupatum. Nolite locum dare diabolo. Auguſtinus: Non facile capitur à tentatore, qui bono vacat exercitio. In libro de vita ſolitaria. Omnium tentationum & cogitationum malarum & inutilium ſentina, eſt otium. Summa enim mentis malitia eſt otium iners. Nunquam otioſus ſit ſeruus Dei. Iob. 40. Circundabunt eum ſalices torrentis. Salices torrentis ſunt homines infructuoſi, & in aquis deliciarum nutriti: qui ſunt circa diabolum, parati ei obedire. Quantum cauendum ſit otioſi-

Ezech. 3.

Eph. 4.

Pro.12. tas, patet ex illo verbo: Qui sectatur otium
stultissimus est. Non dicit solùm stultus, v
stultior, sed stultissimus. Aduertenda est tr
plex stultitia in otioso. Prima est, quod vitæ
ternæ prouidere necessaria negligit. Secund
est, quod hostibus suis se exponit, vt prius o
stensum est. Tertia, quòd hostes suos pascit
nutrit: vitia scilicet, quæ otio nutriuntur
impinguantur, vt boues, & cætera animali
Sicut difficile vel impossibile est cauere, ne i
utilia in agro nascantur, nisi per diligentem cu
turam procuretur, vt vtilibus impleatur: s
difficile vel impossibile est cauere à malis, n
Pro.24. homo occupetur bonis. Per agrum homin
pigri transiui: & per vineam viri stulti: & ec
totum repleuerant vrticæ: operuerant superf
ciem eius spinæ. In vitis patrum dicebat qu
dam senex, quod tres sunt virtutes sathanæ. Pr
ma est obliuionis. Secunda negligentiæ. Te
tia concupiscentiæ. Diabolus vt in obliuione
inducat, rapit semen verbi Dei de corde hom
Marc.13. nis. In negligentibus verò zizania seminat. Ci
Luc.8. dormirent homines, venit inimicus, & supe
Matth.13. seminauit zizania. Concupiscentia verò i
flammat, vt prius ostensum est. Seruus Dei q
est in religione, otiositatem timens, quæ mul
mala docuit, eligendo sibi operationem, tale
debet eligere, quæ eum occupet: & potius qu
occupet animum quàm corpus. Debet etiam
ligere talem quæ habet vtilitatem. In lib. de vi
solitaria: Pro vitando otio otiosa sectari ridic
lum est. Spiritualia etiã exercitia debet præpo
nere corporalibus; & inter corporalia illa qu
sun

sunt propinquiora spiritualibus. In eodem lib. Non vir propter mulierem: sed mulier propter virum. Non spiritualia exercitia sunt propter corporalia: sed propter spiritualia, corporalia. Propterea sicut viro creato collatum est adiutorium simile sibi, & ex ipsa ipsius hominis substantia: sic etiam ad adiutorium spiritualis studij necessaria sunt corporalia. Non tamen semper in hoc conuenire videntur omnia corporalia exercitia: sed quæ cum spiritualibus propinquiorem videntur habere similitudinem & affinitatem: vt scribere eò quòd legatur. Corporalia enim exercitia & opera, sicut sensus distrahunt, sic sæpe spiritum exhauriunt. In eodem: Quæris quid agas, in quo te occupes? Primum, vltra quotidianum sacrificium orationis, & lectionis studium, conscientiæ quotidianæ discussioni, emendationi, compositioni, pars sua diei neganda non est: deinde operandum etiam manibus aliquid quod iniungitur, non tam quod animum delectando detineat, quàm quod spiritualibus studiis delectationem cõseruet & nutriat: in quo remittatur ad horam animus, non resoluatur. Vnde se facilè, mox vt sibi ad seipsum redeundum esse visum fuerit, expediat, absq; contagio contractæ dilectionis, vel memoriæ imaginantis. Debet etiam seruus Dei, cùm operatur, non solùm attendere ad id quod agit: sed etiam ad id pro quo agit. In eodem libro: Serius animus & prudens ad omnem se comparat laborem, nec in eo dissoluitur, sed per eum magis in seipsum colligitur: semper pre oculis habens non tam quod agit, quàm quod

Bernard.

Bernard.

agendo intendit. Omnis consummationis at
tendit finem. Cui in quantum verius innititur
in tantum fidelius & feruentius manibus ope
ratur.

De vigilantia quæ valet ad idem.

CONtra impugnationem diaboli multum
est necessaria vigilantia. Cùm timor hosti
um visibilium, qui sunt minoris potentiæ, astu
tiæ & malitiæ, faciat homines vigilare armatos
& ad suam defensionem paratos: quid debet fa
1. *Mach.* 12. cere timor inuisibilium hostium? Præcepit Io
nathas suis vigilare, esse in armis paratos ad pu
gnam. Vigilate & orate, vt non intretis in tenta
Matth. 26. tionem 1. Petri 5. Vigilate, quia aduersarius ve
ster diabolus tanquam leo rugiens, circuit, quæ
rens quem deuoret. Cùm non dormiat qui im
pugnat, dormire non debet somno pigritiæ ve
negligentiæ, qui repugnat. Gregorius: Vigilan
dum semper est, vt mens sollicita nunquam re
laxetur ab intentione superna. Semper cum
occultas insidias, cautela est prouidenda. Ab
cuc 2. Super custodiam meam stabo. Cant. 3. V
niuscuiusq; ensis super femur suum. Pugna is
multum est habenda in memoria. Iob. 40. Me
mento belli. Habenda est memoria huius pu
gnæ in manè, vt præmuniamus nos oratione
tanquam campum certaminis ingressuri. Item
in vespere, vt Deo gratias agamus, si de hoste tri
umphum habuerimus. Si verò victi fuerimus
non debemus intrare lectum, donec Deo per
humilem pœnitentiam reconciliati simus. Ti
mendum est valde, in potestate inimici sui ob
dormire

dormire. Quasi continuè habenda esset huius pugnæ memoria. Valet enim ad hoc, vt homo sit humilior, cautior & deuotior. Humilior est, qui sine gloriatione est: sciens se esse adhuc in prælio: Non glorietur accinctus, æquè vt discinctus. Cautior est, intelligens se pugnam habere cum hoste callidissimo. Bernardus: Magnum discrimen, aduersus diabolicæ fraudis astutias tam crebros, imò tam continuos sustinere conflictus; quem tam astutum fecit, tam subtilis natura, quàm malitiæ huius exercitatio longa. Deuotior est Deo, quem vitę suæ cognoscit protectorem, cùm hostem habeat tam potentem: Non est super terram potestas, quæ comparetur ei. Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti. Habemus pugnam cum gigante, cùm simus quasi locustæ. Origenes: Vult Dominus Iesus mirabiles res facere. Vult enim de locustis superare gigantes: & de his qui in terris sunt, cœlestes vincere nequitias. Etiam in pugna diaboli multum valet sobrietas. Ideo Petrus de hac pugna instruens, primo monet ad sobrietatem; Sobrij, inquit, estote. Diabolus primo impugnat hominem ea parte, qua homo est eo inferior, scilicet, ex parte carnis. In Psal. Minuisti eum paulo minus ab angelis. Primò, tentauit hominem de peccato gulæ: similiter & Christum. In via laqueum ponit: per quam homo necesse habet ire. In Psal. In via hac qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi. In foueam magis propinquam conatur hominem præcipitare. Vix diabolum perfectè vincit, qui in hoc primo conflictu succumbit. Bernardus: Diabo-

3. *Reg.* 20.

In meditat. ca. 15. *in fine, & ser.* 5. *in quadrag.*

Iob. 41.

Tren. 3.

1. *Pet.* 5.

In med. ca.

15. *parum à princ. Eodē cap.* 15. *in med. & ser.* 5. *in quadrages.*

lus plus in adiutorio carnis confidit: quia plu nocet domesticus hostis. Idem, Hac vtitur tot tuosus ille serpens humani generis inimicus, cu nullum est aliud desiderium, nullum negoci um, nullum studium, nisi perdere animas no stras. Idem, Hic est qui baculo nostro nos cedi & manus nostras proprio cingulo ligat, vt car quæ data est in adiutorium, fiat nobis in ru nam & in scandalum. Grauis lucta & grande pe riculum aduersus domesticum hostem pugna re, maximè cùm nos aduenæ simus, & ille ciui ille suam inhabitet regionem, nos exules simu & peregrini. Ad triumphandum etiam de di

*Ephes.*6. bolo multum valet fides. In omnibus sument scutum fidei, in quo posfitis omnia tela nequi

1. *Thess.*5. simi ignea extinguere. Induti loricam fidei. Sa

Hebr. 11. cti per fidem vicerunt regna. Cui resistite fo

1. *Petr.*5. tes in fide. Fides diabolum de arce mentis ex pellit, ponens ibi vexillum, Christum in cru pendentem, quod diabolo multum displicet, quia superbus est, & quia hoc vexillum ei exi sum est, eo quòd in crùce fuerit deuictus. F des pugnantibus ostendit Christum triplicite Primò, vt strenuum ducem, exemplum stre nuè pugnandi dantem. Secundò, vt potentis mum adiutorem. Tertiò, vt liberalissimum re muneratorem. Primo modo, ostendit eum a

1. *Mach.*6. exacuendum eos in prælium. Elephantis ostet derunt sanguinem vuæ & mori, ad acuendu

*Apoc.*12. eos in prælium: Ipsi vicerunt eum propter san

Luc. vlt. Ioan. pen. guinem agni. Sic ostendit se Apostolis, cùm essent clausi propter metum Iudæorum. Se cundo modo ostendit se Stephano, pro eo l pidan

pidando: qui vidit Iesum stantem à dextris Dei, tanquam paratum ad adiuuandum. Tertio modo ostendit se Abraham, dicens ei: Noli timere Abraham. Ego protector tuus sum: & merces tua magna nimis. Pone me Domine iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me. Fides verò non solum ponit Deum iuxta hominem, sed etiam intra hominem. Per fidem enim Christus inhabitat in cordibus nostris. Item fides ostendit infernale patibulum eis paratum, si victi fuerint: & regnum eis paratum si vicerint. Ostendit etiam eis Deum, & angelos bonos & malos: & aspicientes certamen eorum. Boni aspiciunt, vt si vicerint, gaudeant: mali vt si victi fuerint, irrideant. Spectaculum facti sumus mundo, & angelis, & hominibus. Bernardus, Dæmonum est suggestiones malas ingerere: nostrum est non consentire. Nam quoties resistimus, diabolum superamus, angelos lætificamus, & Deum honorificamus. Ipse nos hortatur, vt pugnemus: adiuuat vt vincamus. Certantes spectat, deficientes subleuat, vincentes coronat. Quæ autem dicta sunt, intelligenda sunt de fide viua, non mortua. Bernardus: Non mirum videri potest, si fides nequaquam vincit, quæ nec viuit. Item ad vincendum diabolum, multum valet spes vel fiducia in Deo. In Psalm. Qui confidunt in Domino, sicus mons Syon. Item: Qui saluos facis sperantes in te. Prouerbior. 28. Qui sperat in Domino, saluabitur. Non est pugna vestra, sed Domini. Et postea: Non eritis vos, qui dimicabitis, sed tantummodo confidenter state, & videbitis auxilium

Actor. 7. *Gen. 15.* *Iob. 17.* *1. Cor. 4.* *In meditat. cap. 14. circa finem.* *Serm. 1. in Oct. Paschæ paulò ante medium.* *2. Par. 20.*

Domini super vos. Isaiæ 40. Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, scilicet, propriam in diuinam. Bernardus: Nihil sic omnipotentiam verbi clariorem reddit, quàm quòd omnipotentes facit eos, qui in se sperant. Denique omnia possibilia sunt credenti. Idem: Quoties tentationibus resistis, quoties vincis malignum, noli propriis viribus tribuere, noli in te, sed magis in Domino gloriari. Quomodo enim ille fortis armatus tuæ cederet infirmitati? Etiam ad vincendum diabolum multum valet dilectio, quæ est vnitio hominis cum Deo & proximo. Fortis est vt mors dilectio. Sicut diabolus dispergendo impugnat: sic Christus in militibus suis colligendo & vniendo de ipso triumphat. Qui non colligit mecum, dispergit. Melius est duos esse simul quàm vnum. Si quis præualuerit contra vnum, duo resistent ei. Sapientia etiam multum valet in bello contra diabolum cùm ipse astutia, non potentia pugnet nobiscum. Exemplum de hoc habemus in Christo duce huius belli, qui prudentia, eius percussit superbiam. Ipse tribus verbis sacræ Scripturæ diabolum prostrauit in deserto. Vir sapiens fortis est, & vir doctus, robustus & validus. Dicebam ego, sapientiam meliorem fortitudine. In eodem. Melior est sapientia quàm arma bellica. Melior est sapientia quàm vires: Sapientiam non vincit malitia. Sicut castrum forte est quod vndique profunda aqua cinctum est: sic facit ad fortitudinem mentis, si cingatur aqua sapientiæ salutaris. Non nocebunt, neque occident in vniuerso monte sancto meo, quia repleta est terra scientia

Ser. 85 super Cantica, parùm ante med.

Cant. 8.

Luc. 11.

Eccl. 4.

Iob. 29.

Matth. 4.

Pro. 24.

Eccl. 9.

Sap. 6.

Ibid. 7.

Isa. 11.

tia Domini. Loquitur de serpentibus infernalibus. Item ad vincendum diabolum valet misericordia, sicut ad casum facit incompassio & indignatio, quam habet aliquis ad peccatores. Qui ad indignandum facilis est, erit ad peccata procliuior. Nouit Dominus pios de tentatione eripere. Et super illud Psal. Misericordia mea & refugium meum. dicit glossa: De nulla re ita vincitur inimicus diabolus, sicut de misericordia. Ecclesiast. 29. dicitur de eleemosyna: Super scutum potentis, & super lanceam, aduersus inimicum tuum pugnabit. Et notandum, quòd licet omnis tentatio possit esse à diabolo, specialiter tamen diaboli tentationes dicuntur, quæ incitant ad iram & amaritudinem. Bernardus in Meditat. Caro suggerit mihi mollia, mundus vana, diabolus amara. Quoties aliqua carnalis cogitatio mentem meam importunè pulsat de cibo, de potu, de somno, cæterisq; similibus ad carnis curam pertinentibus, caro mihi loquitur: quando verò de ambitione seculi & iactantia, & de arrogantia, cogitatio vana in corde versatur, de mundo est. Quando autem ad iram & iracundiam, & ad amaritudinem animi prouocor, diabolica suggestio est, cui non aliter quàm ipsi diabolo resistendum est. Et contra hanc diaboli tentationem valet lætitia spiritualis. Antonius: Vnica ratio vincẽdi inimicum est lætitia spiritualis. Cõtra amaritudinem hanc, quam incurrit aliquando qui est in religione, aduertendum est, quod non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Et super illud:

Pro. 29.
2. Pet. 2.
Glossa ord. ibid.
In med. ca. 14. à med.
Glossa ord. ibid.

lud: Omne gaudium existimate fratres cum in tentationes varias incideritis: dicit glossa. Spe illius boni ad quod tenditis, quicquid in via cõ tigerit, gaudere debetis. In Psal. Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Dominiibi mus. Beati eritis, cum maledixerint vobis ho mines, & cùm vos persecuti fuerint, &c. Gaude te & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.

Rom.8.
Iacob.1.
Matth.5.

De solatiis humanæ ignorantiæ & fragilitatis contra astutiam & potentiam diaboli.

CAPVT III.

ITem notandum, quòd licet hostes nostri in uisibiles sint multò nobis potentiores & astu tiores: habent tamen serui Dei multa solatia & contra eorum potentiam, & contra eorum astutiam. Et possumus ostendere decem sola tia, quæ habent contra eorum potentiam. Pri mum est, liberi arbitrij nobilis potestas, quæ diabolo cogi non potest, de qua Bernardus. Ar bitrij libertas est planè diuinum quiddam, pra fulgens in anima tanquam gemma in auro. Et hac nempe inest illi inter bonũ & malum, nec non inter vitã & mortem, & inter lucem & te nebras, cognitio iudicij & optio eligendi. In hac libertate homo non est inferior diabolo: imò ei præcellit, quia liberum arbitrium diaboli adeò inclinatũ est ad malum, & depressum, quòd ad bonum surgere nõ valet. Propter hanc libertatem arbitrij quæ est in homine, dicit Gregorius:

Serm.1. super Cant. parùm ante med.

Non

Non est timendus hostis, quia non potest vincere nisi volentem. Et super illud Matthæi 4. Mitte te deorsum. Glossa. In quo infirmus ostenditur, cùm nulli nocere possit, nisi prius ille se deorsum miserit. Secundum est gratia Spiritus sancti, quæ in seruis Dei est: quam diabolus non habet, nec habere potest. Non est timendus spiritus malus ei, cuius infirmitatem iuuat Spiritus sanctus. Spiritus adiuuat infirmitatem nostrã. Gratia ista Apostolos fecit inuincibiles. Sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto: Accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes. Gratia ista Dei armatura est, quæ si ab homine non abiiciatur, homo à diabolo non superatur. Boëtius in libro de consolatione: Talia contuleramus arma, quę nisi prior abiecisses, inuicto te, firmitate tuerentur. Tertium est ligatio diaboli, quæ non finit eũ inferre violẽtiam seruis Dei, nec in eorum corporibus, nec in rebus, nisi accepta licentia à Deo: vt patet in Iob, cui vnam ouiculam diabolus auferre non valuit, donec licentiam à Deo accepit. Quartum est refrenatio diaboli à tẽtatione seruorũm Dei, vt non incitet eos ad malum quantum vellet: Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis: sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere. Nunquid illudes ei quasi aui, aut ligabis eum ancillis tuis? Deus diabolo quasi aui illudit: dum in sanctis carnis fragilitatem attendẽs, virtutem mentis quæ latet, non perpendit; qua agnita ipse eos metuit. Gregorius: Si antiquus hostis à mẽte ceperit expelli, ex diuina largitate ple-

Glossa ord. ibid.

Rom. 8.

Luc. vlt. Actor. 1.

Iob. 1.

1. Cor. 10.

Iob 40.

Lib. 3. dial. c. 20. in fin.

plerumq; agitur, vt non solum iam timeri non debeat, sed ipse etiam bene viuentium virtute terreatur. Ancillis ligatur, quando adeò potestas eius refrenatur, vt etiam à puellulis superetur. Virgo vna aliquando tenet contra diabolum castrũ fragile corporis sui 40. annis. Quintum est angelorum custodia: quam Deus vocat sepem: Auferàm sepem eius, & erit in direptionem. Angelis suis Deus mandauit de te: Raphaël religauit dæmonem in deserto: Dixit Elizeus ad ministrum suum. Noli timere. Plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis. Sextum est adiutorium fratrum. Prouerb. 18. Frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma. Gregorius. Electorum multitudinem eo maligni spiritus pertimescunt, quo eos per charitatis concordiam vnitos contra se, & conglobatos conspiciunt. Septimum est adiutorium sanctorum. Bernardus super Cantic. Bene tecum agitur, ô mater Ecclesia, bene tecum agitur in loco peregrinationis tuæ: de cœlo & de terra venit auxilium tibi. Octauum est gratia diuinæ protectionis seruis Dei promissa: quam Dauid vocat scutum, dicens: Scuto circumdabit te veritas eius. Bernardus: Quemadmodum vndique sunt bella, vndique sunt præsidia. Idem: Veritas circumdabit, quia verax est qui promittit, & sic exhibet vt promittit. Fidelis Deus est, &c. vt supra. Idem: Non incongruè scuto comparatur gratia diuinæ protectionis: quod in superiore parte latum est, vt caput humerosq; custodiat: in inferiori verò strictius vt minus oneret, maximè quòd graciliores sunt tibiæ, nec tam facilè vulnerentur.

Isa.5. Psal.4. Tob.8. 4. *Reg.6.*

Hom.8. in Ezech. inter prin. & medium.

Serm. 77. super Cant. circa med.

Serm.5. super Psa. qui habitat circa med.

1. *Cor.10.*

tur: sed nec adeò periculosum sit in illis partibus vulnerari. Sic omnino militibus suis Christus, ad inferiora tuenda, magnam strictúram & penuriam rerum temporalium donat, nec vult eos illarum multitudine prægrauari: sed vult vt victum & vestitum habentes contenti sint. In superioribus verò dat latitudinem abundantis gratiæ spiritualis; ideo serui Dei debent intendere, vt sanctorum suffragia & Dei protectionem habeant. Bernardus: Oratione opus est, ne inducamur in tentationem. Vnde est illud in oratione Dominica: Et ne nos inducas in tentationem. Item: Lucæ 18. Oportet semper orare, & non deficere. Eiusdem 21. Vigilate omni tempore, orantes, &c. 1. ad Thessal. 5. Sine intermissione orate. Bernardus: Qui sumus nos, aut quæ est fortitudo nostra, vt tam multis tentationibus resistere valeamus? Et subdit: Hoc erat in te, quod quęrebat Deus. Hoc erat ad quod nos perducere satagebat, vt videntes defectum nostrum, & quod non sit nobis auxilium: aliúnde ad eius auxilium tota humilitate curramus. Cum ergo impetum tentationis sentimus in cogitatione, statim fugiamus ad ipsum, & postulemus eius auxilium. Nonum est suppositio manus diuinæ in casu seruorum Dei. Bernardus: Omnes aliquando est necesse cadere, dum in hoc seculo detinentur: sed alij colliduntur, alij non, quia Dominus supponit manum suam. Sed quomodo eos discernere poterimus: vt segregemus iustos ab iniustis? Et subdit: Hoc interest inter eorúm casus, quòd iustus suscipitur à Domino, ideoq; resurget fortior: iniustus cùm

Serm. 5. super Psa. qui habitat.

Serm. 5. in quadrag. parùm ante mediũ.

Serm. 2. super Psalm. qui habitat inter princip. & medium.

cùm ceciderit, non adiiciet vt resurgat, imò aut in pudorem noxium, aut in impudentiam cadit. Aut enim excusat quod fecit, & hoc est pudor adducens peccatum: aut fit ei frons meretricis, & iam nec Deum timet, nec hominem reueretur. Decimum est benigna Dei ordinatio: qua diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundùm propositum vocati sunt sancti. Bernard. Iocundum Dei iudicium: quod ille superbus malleator humilium, nesciens fabricat eis coronas perpetuas, omnes impugnando, & omnibus succumbendo. Idem: Stat propositum, stat sententia Dei super timentes eum, ipsorum dissimulans mala & remunerans bona: vt miro modo non solùm bona, sed etiam mala cooperẽtur in bonum. Idem: Nónne casus nobis cooperãtur in bonum: vnde humiles efficimur & cautiores?

Ser. 17. super Cant. à medio illius.

Cõtra astutiam diaboli habent etiam solatia serui Dei, de quibus quinq; tangere sufficiat. Primum est sacræ Scripturæ documentum. Secundum spiritualium virorum consilium. Tertium exemplum Christi & Sanctorum. Quartum instructio angelorum. Quintum Spiritus sancti magisterium, qui errore periculoso eos errare non permittit. Ille vos docebit omnia, &c. Vnctio eius docebit vos de omnibus. Sapientia Christi & seruorum eius prævalet astutiæ dæmonum. Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus: & etiam dæmonibus. Serpens qui factus ex virga Mosi, deuorat serpentes factos ex virgis Magorum. In serpente astutia designatur. Contra hoc quod diabolus omnibus creaturis

Ioan. 14.
1. Ioan. 2.
1. Cor. 2.

Exod. 7.

turis vtitur ad seruorum Dei impugnationem, solatium est quod serui Dei eisdem possint vti ad sui defensionem. Creaturæ enim incitant ad Dei timorem, amorem & laudem. Contra hoc quod serui Dei castrum cordis contra hostes inuisibiles habẽt defendere, quod maius est mundo, cum creatoris & creaturarum capax sit: solatium est, quòd porta huius castri clausa, hostes non timentur. Hæc porta est intellectus, per quẽ noxia & salubria ad animam intrant. Hæc porta clausa est, cum intellectus salubri meditatione occupatur. Cum oraueris, intra in cubicũlum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum. *Matth. 6.*

Quomodo repugnandum sit hosti, cùm impugnat molestiis, & cùm impugnat delitiis.

CAPVT IIII.

ITem notandum quòd diabolus qnandoque impugnat molestiis, quandoque delitiis. Cùm impugnat molestiis, non est fugiendum. Bonæ enim sunt, & fugientes magis grauãt. Mi Domine Deus quid dicam, videns Israëlem hostibus suis terga vertentem? Sen. Quemadmodũ pernicioſior est hostis fugientibus: sic omne fortuitum incommodum magis instat cedenti ex aduerso. Salustius: Fugientes sæpius videas capi & occidi: fortissimum quemq; tutissimum. Bern. in epist. Sola causſa qua perdere possis victoriam, fuga est. Fugiendo, illam poteris amittere, moriendo non potes. Et beatus es si pugnando moriaris: quia mox coronaberis: væ autem tibi, si declinando pugnam, perdis simul *Iosue 7.* *Epist. prima in fine illius.*

simul & victoriam, & coronam. Idem: O vere tuta pro Christo, & cum Christo pugna: in qua nec vulneratus, nec prostratus, nec conculcatus, nec millies si fieri posset, occisus, fraudaberis à victoria: tantum ne fugias. Iacob. 4. Resistite diabolo, & fugiet à vobis. Bernardus: Libentius insequitur aduersarius fugientem, quàm sustineat repugnantem. Impugnatio quæ fit delitiis: vincitur fugiendo, 1. ad Corinth. 6. Fugite fornicationem.

Epist. 1. circa finem illius.

Epist. prima, parũ à fine illius.

Sex documenta quæ multum valent in pugna diaboli.

CAPVT V.

ITem notandum, quòd sex sunt quæ in hac pugna homini multum valent. Primum est vt tempestiuè arma accipiat. Aliqui tunc & primo arma accipiunt, quando iam vulnerati sunt. Armorum acceptio, est ad tentationem præparatio, excogitando modum resistendi tentationi: quod ante tentationem est faciendum. Secundum est, vt ex ea parte qua debilior est, & magis à diabolo impugnatur, magis se muniat. Si ad loquacitatem pronum se videat, magis taciturnitatem amplexetur. Tertium est, vt in loco vbi facilius potest resistere hostibus, resistat. In loco alto & arcto debilis resistit forti: & paucitas multitudini. In alto eminentis vitæ ponere se debet: quod multis occupationibus faciendum est angustum: vt hosti via non pateat. Ad portas etiam sensuum resistendum est hosti. Quartum est, vt inter eos qui sunt pro eo, & qui sunt

sunt contra eum, prudenter discernat. Cùm peiores inimici quos habemus, sint proprius sensus, & propria voluntas; contradictiones quæ impugnant proprium sensum, & persecutiones quæ impugnant propriam voluntatem, pro nobis sunt: fauores & applausus qui nos decipiunt, contra nos sunt, & ideo nobis sunt timendi. Quintum est, vt repugnando, magis contraria, quàm similia eligat. Sicut aqua pugnatur contra ignem: sic sapientia pugnandum est contra stultitiam, bonitate contra malitiam, amore cõtra odium, taciturnitate contra loquacitatem. Sextum est, vt non inutiliter se fatiget in hostium impugnatione, quando gloriosius potest vincere sine labore: qui modus vincendi pertinet ad patientiam. Melior est patiens viro forti: *Pro.16.* Ne dicas, reddã malum pro malo. Expecta Dominum, & liberabit te. Liberabit, inquam, à labore, & à periculo vindicandi te. *Ibid.20.*

De tentatione pusillanimitatis.

CAPVT VI.

CIrca tentationem pusillanimitatis, notandum, quòd sæpe causa pusillanimitatis est complexio: quam etiam augent cibi, ex quibus humores melancholici generãtur. Augetur etiã ex frequenti actu timendi. Auget etiam eam nimium ieiuniũ, vel nimiæ vigiliæ, vel nimia solicitudo studij, vel alterius modi. Et hostis callidus quem pusillanimem cõspicit timore vano, vult vel incitare ad malum, vel impedire à bono. Illi verò qui tentationem pusillanimitatis habet, vtile est, vt pusillanimitati non nimis ce-

dat: sed cum discretione ei resistat. Hanc tenta-
tionem multi errores comitantur : & tristitia
Pro.15. multa. Sicut enim secura mens est quasi iug
conuiuium, sic mens pusillanimis, habet mul-
tum tormentum. Et sicut qui modicum luctum
vult nimis vitare, solet aliquando in luctũ ma-
gnum incidere: sic qui nimis vult vitare quo
pusillanimitas reputat malum, aliquando inci-
dit in magnum malum: & ita arctatur ei via pa-
radisi, vt non appareat ei per eam transitus, pro-
pter quod eam dimittit, & manifestè per viam
inferni incedit. Talis quod turpius est tantum
quærit : propter quod periculum magnum in-
currit. Item illi qui habet hanc tentationem
multum vtile est, vt visionem quam timor ill
introducit, non reputet conscientiam: & eo ipso
visionem illam suspectam habeat, quo introdu-
cta est à timore: & sufficienti deliberatione eam
examinet, cum timor cessauerit. Sicut enim im-
impedit animum ne possit cernere verum: ita
timor. Et in his quæ introducit pusillanimitas
magis alieno iudicio credat, quàm suo. Cùm
verò visionem illam, vel per se, vel alio indican-
te, errorem esse deprehenderit, libenter & au-
dacter contra illum errorem faciat. Frequenter
ei timendo timidi : & frequenter aud endo au-
daces efficimur. Valet etiam contra hanc ten-
tationem, vt ab his quæ pusillanimitatem au-
gent, caueatur. Et quia à maligno spiritu pu-
sillanimitas iuuatur, vtilis est con-
tra hanc tentationem
oratio.

Finit tertius liber.

QVAR-

QVARTVS LIBER ERVDITIONIS RELIGIOsorum. In cuius prima parte agitur de eruditione animi.

CAPVT I.

IN præcedentibus ostensum est, quomodo is qui in religione est, se debeat habere ad mundum, ad corpus proprium, & ad inuisibilem aduersarium. In hac parte ostendendum est quomodo debeat ordinare animum. Et primò ordinatio animi commendabitur. Secundò agetur de diuersis ordinationibus. Tertiò tangetur de aliquibus inordinationibus. Circa primum notandum, quòd ordinatio animi multum facit ad pacem & tranquillitatem. Sicut lapis naturaliter non quiescit sursum, imò tendit ad locum sibi congruentem, & cum illuc peruenerit, quiescit: sic animus inordinatus non quiescit. Augusſt. Minus ordinata inquieta sunt: ordinata autem quiescunt. Idem in li. confes. Iussisti Domine, & sic est, vt pœna sibi sit omnis inordinatus animus. Idem in lib. de Ciuit. Dei. Pax omnium rerum, est tranquillitas ordinis. Ordinatio etiam multum facit ad decorem. Creatura rationalis ordinem suum seruans, est creaturarũ pulcherrima. Si verò non seruat ordinem suũ, turpissima. Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregũ tuorũ. Anima dignitatẽ suam agnoscẽs, nec secundum

Lib. 1. ca. 13.

Lib. 19. ca. 13. in prin.

Cant. 1.

eam ordinem suum seruans, brutis inferior es-
ficitur. Adeò facit ordo ad decorem, vt mal
quæ in se sunt turpia, à Deo ordinata, bonorum
pulchritudinem non impediant, sed potius au-
geant: vel in veritate vel in apparentia. Augusti-
nus in lib. de Ciuitate Dei: Mala voluntas, qui
ordinem naturæ seruare noluit, non ideo iu-
Dei leges omnia bene ordinantis effugit. Qui
sicut pictura cùm colore nigro suo loco posi-
venustior est: ita vniuersitas rerum, si quis posi-
intueri, etiam cum peccatoribus pulchra es-
quamuis ipsos per se consideratos sua deform-
tas deturpet. Idem in libro de natura boni: Ma-
lum bene ordinatum, eminentius commend-
bona. Item ordinatio multum facit ad fortitu-
dinem. Anima bene ordinata terribilis est ho-
stibus suis, scilicet dæmonibus & vitiis, vt ca-
Cant.6. strorum acies ordinata. Exercitus inordinatu-
facilè vincitur: ordinatus verò ab hostibus ti-
Pro.24. metur. Cum dispositione initur bellum. Anim-
ordinem suum seruans, cùm sit propinqua-
tissimo, est valde in eminenti loco, hostibus su-
superior: ideo non timet eos. Psal. Super inimi-
cos meos despexit oculus meus. Boëtius in li-
bro de consolatione. Mali circa diripiendas in-
utiles sarcinulas occupantur: boni au-
tem desuper irrident vilissi-
ma quæq; rapi-
entes.

Secun-

Secunda pars principalis de ordinatione rationis quantum ad actum cogitandi.

CAPVT II.

SEquitur de diuersitatibus ordinationum. Et notandum quòd ordinandæ sunt animæ vires: ordinandæ sunt & virtutes. Prouidenda est ordinatio, & respectu temporum, & respectu locorum. In ordinatione animæ quantum ad vires, primo intendendum est ordinationi rationis: quia cum ratio ordinata fuerit, ipsa alias vires ordinabit. Ad ordinationem rationis pertinet, vt eius operatio actus aliarum viriũ præcedat. Bernardus in libro de consideratione. Non te totum, nec semper des actioni: sed considerationi aliquid tui, & cordis & temporis, sequestra. Consideratio ipsius actionis partes, benigna præsumptione suas facit: peragendo quodammodo & præordinando quæ agenda sunt necessario: ne fortè quæ præuisa & meditata, esse poterant proficuo, præcipitata magis periculo fiant. Item ad rationis ordinationem pertinet, vt seruus Dei sibi prius, ampliusq; quam alteri intendat. Bernardus in libro de consideratione: A te tua consideratio inchoet: ne frustra extendaris ad alia, te neglecto. Quid tibi prodest, si vniuersum mundum lucreris, te vnum perdens? noueris licet omnia mysteria, noueris lata terræ, alta cœli, profunda maris: si te nescieris, eris similis ædificanti sine fundamento, ruinam non structuram faciens. Non est sapiens qui sibi non est sapiens. A te incipiat tua consideratio: non solùm autem, sed & in te finiatur.

Lib. 1. circa medium illius.

Lib. 2. inter princip. & medium.

Tu primus tibi: tu tibi vltimus. Considerati
sic progrediatur, vt non egrediatur: sic exeat, v
non deserat. In acquisitione salutis tuæ nemo ti
bi germanior. In libro de vita solitaria. Egreg
um instrumentum corporis oculus: si sicut ca
tera, sic etiam seipsum posset videre. Quod cum
interiori oculo cõcessum sit, si ad exterioris ex-
emplum seipsum negligens, vacat circa aliena
cùm multum vult, non sufficit redire ad se-
psum. Tibi vaca multum: tu ipse tibi sollicitu-
dinis materia es. Pertinet etiam ad rationis or-
dinationem, vt seruus Dei prius audiat, quàm
docere præsumat: prius ea quæ in doctrina fidei
sibi apposita sunt, prudenter intelligat: vt qua-
lia sibi apposita sunt, pòst prępparare studeat. Au-
di tacens, & pro reuerentia accedet tibi bona
gratia. Ordinanda est ratio quantum ad actum
cogitandi, inquirendi, iudicandi, memoran-
di, interrogandi, seu eloquendi. Quantum ad
actum cogitandi, ordinanda est ratio, vt non
solùm cogitationes peruersas, sed otiosas ca-
ueat: cogitationibus verò ad vsum vitæ, vel ad
cultum Dei pertinentibus intendat, ordinatio
rationis quantum ad actum cogitandi multum
dependet ex dispositione voluntatis. In libro
de vita solitaria: Voluntas in omni cogitatio-
ne princeps est: & necessario principatum vo-
luntatis sequitur omnis tenor cogitationis. Tria
enim sunt quæ cogitationem faciunt: volun-
tas ipsa, memoria, & intellectus. Voluntas co-
git memoriam, vt proferat materiam: cogit
intellectum ad formandum quod profertur.
In eodem: Cogitationum, aliæ bonæ & sanctæ

Bernard.

Eccl. 32.

Bernard.

&

& dignæ Deo: aliæ malæ & peruersæ quæ separant à Deo: aliæ vanæ & otiosæ, à quibus aufert se Deus. Hinc etenim dicitur, quòd peruersæ cogitationes separant à Deo: & quia Spiritus sanctus aufert se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu. Intellectus ipse est, qui quocunque seu in bonum, seu in malum applicatus fuerit, naturaliter viget: sed alius inuenitur sibi relictus: alius gratia illuminatus. Ille seculi rebus & seriis & nugatoriis se non negat: hic non nisi dignis se rebus accõmodat. Ille sæpe operatur, sicut sibi relictus, & vitio infect⁹, ex vitio rationis & vitio corruptæ voluntatis texens malas peruersasq; cogitationes, quib⁹ semetipsum qui cogitat spõtè separat à Deo: hic aũt sicut illuminatus & virtuti affectus, operatur pietatẽ, quæ cogitantem cõiungit Deo. Cogitationes sine intellectu ipsæ sunt vanę & otiosæ, neutro intellectui per cogitationis intentionem se applicantes; nõ repente perimentes, sed paulatim corrũpentes; occupantes tempus, necessaria impediẽtes, & animũ inficientes; & nõ tam cogitationes, quã ex veris vel imaginariis recordationibus simulachra quædã cogitationum, seu ipsæ recordationes, vltro multipliciter in memoriã scaturiunt; in quibus passio quędã voluntatis potius esse videtur, quàm actio: cum nulla sit in eis cogitantis intentio: cùm id quod sponte ebullit de memoria, formandum se offert intellectui nõ curanti: & quicquid agitur, potius agi videtur in somno dormientis, quàm in acie cogitantis: vbi tamen & si repellere à seipso Spiritum sanctum non est in voto cogitantis, fit tamen ex culpa ne- *Sap. 1.*

gligentis, vt ſpiritus diſciplinæ meritò ſe auſe-
rat à cogitationibus indiſciplinatis. Ad ordina-
tionem rationis quantum ad actum cogitandi,
quatuor multùm valent. Primum eſt boni tran-
ſitorij contemptus. Amorem boni tranſitorij
comitatur turba cogitationum tumultuoſarū.
E conuerſo. Contemptus boni tranſitorij habet
Iob. 3. ſolitudinem. Gregorius ſuper illud: Qui ædifi-
Lib. 4. cap. 39. in prin. cant ſibi ſolitudines. Omnis terrenus denſis tu-
multibus premitur: & frequentia deſideriorum
Lib. 4. cap. 34. in prin. quaſi turbarum calcatur. Idem: Sancti viri quia
nihil huius mundi appetunt: nullis proculdu-
bio in corde tumultibus premuntur. Secun-
dum eſt ſenſuum exteriorum cuſtodia. Sicut
cuſtodia portæ ad hoc valet, vt non intret, qui
intrare non debet: ſic cuſtodia ſenſuum ad hoc
valet, vt cogitatio mala ad cor non intret: Clau-
Iſa. 26. de oſtia tua ſuper te. Tertium eſt vigilantia, qua
cogitationes malæ quæ oriuntur, & cauſſæ eo-
rum deprehenduntur. Quartum eſt virilitas ad
operandum, qua cogitationes malæ in corde
naſci prohibentur. & ſi natæ fuerint, expellun-
1. Cor. 16. tur. Hæc duo nobis commendantur: Vigilate,
In ſerm. de triplici genere cogitationum. inquit, ſtate in fide, viriliter agite. Qui cogitatio-
nibus malis carere deſiderat, cogitationibus
bonis cor occupare ſtudeat. Bernardus diſtin-
guit diuerſa genera cogitationum, à quibus
multa ſollicitudine cauere neceſſe eſt eos, qui
conuertuntur ad cor: & dignum Deo in ſemet-
ipſis templum exhibere feſtinant. Sunt enim
nonnullæ cogitationes penitus otioſæ, quas tam
facilè abiicere quàm repellere poteſt anima ſe-
cum habitans in corde ſuo, & aſsiſtens domi-

natori

matori vniuersæ terræ. Sunt & aliæ violentę magis & fortius adhærentes, quæ ad necessitatem animæ pertinent: & quasi ex eodem limo assumptæ, de quo & nos: quæ si paululum insederint, euelli nequeunt sine læsione & difficultate. Sæpe enim sic afficit nos carnalis cogitatio de necessariis corporis, vt vix eradicari possit à nobis: & quia limosa cùm sit & viscosa, limosam similiter inuenit terram. Nõ sine caussa dictum est, hominem non plasmatum de terra qualibet, sed de limo. Oportet reprimere, quem extinguere non possumus appetitum, vt quàm cito mentem ingreditur, crescere non sinatur: sed sicut dicit Scriptura, sub nobis sit appetitus, & nos dominemur illius. Est & tertium cogitandi genus immundum nimis & fœtidum, quod nec admittere quidem vlla ratione debemus, sed à longè prędentire fœtorem, & tota virtute repellere, ad gemitus conuersi, lachrymis & suspiriis inuocantes Spiritum sanctum, qui adiuuet infirmitatem nostram. Dico autem cogitationes illas immundas penitus & fœtidas, quæ ad luxuriam, ad inuidiam, & vanam gloriam pertinent, cæteraq; vitia detestanda.

De ordinatione rationis quantum ad actum inquirendi.

CAPVT III.

QVantum ad actum inquirendi, ordinanda est ratio, vt caueat ne nimis difficilia vel inutilia inquirat: Non erigas oculos tuos ad opes quas habere non potes, sed prudentiæ tuæ *Pro.23.*

Eccl.3. pone modum. Altiora te, ne quæsieris: & for-
Rom.12. tiora te, ne scrutatus fueris. Non plus sapere
quàm oportet sapere. Seneca. Id quærere quod
Eccl.3. potes inuenire: id disce quod potes scire. In su-
peruacuis rebus noli scrutari multipliciter. Cõ-
Isa.19. fundentur qui operantur linum: plectentes &
texentes subtilia. Item ordinanda est ratio,
quantum ad actum sciendi, scilicet ordinem,
studium & finem. Bernardus super Cantic. Scias
quo ordine, quo studio, quo fine nosse quæque
oportet. Quo ordine, vt illud prius, quod ma-
turius ad salutem. Quo studio; vt id ardentius
quod vehementius ad amorem. Quo fine: ad
ædificationem tui, & proximi. Sunt enim qui
scire tantum volunt, vt sciant: & turpis curio-
sitas est: & sunt qui scire volunt, vt sciantur,
& turpis vanitas est: & sunt qui scire volunt, vt
scientiam vendant: & turpis questus est: & sunt
qui scire volunt, vt ædificent, & charitas est: &
sunt qui scire volunt vt ædificentur, & pruden-
tia est. De studio eius qui nouus est in religio-
ne, dicitur in libro de vita solitaria. Nouo in
Christo homini ad exercenda eius interiora,
melius & tutius proponuntur legenda & me-
ditanda Redemptoris nostri exteriora: & o-
Bernard. stendendum in eis exemplum humilitatis, pro-
uocatio charitatis, & affectus pietatis; & de Scri-
pturis sanctis, & sanctorum patrum tractatibus,
moralia quæque & planiora. Proponenda eti-
am sunt ei gesta, & passiones sanctorum: vbi
nec laborandum sit ei in planicie historiali: &
semper aliquid occurrat, quod nouitij animum
excitet ad amorem Dei, & contemptum sui.

Porrò

Porrò aliæ hiſtoriæ delectant quidem cùm leguntur, ſed non ædificant: quin potius mentem inficiunt: & in tempore orationis vel ſpiritualis meditationis inutilia quæq; vel noxia ſcaturire faciunt memoriam. Lectionis quidem modum ſequi ſolet ſimilis meditatio. Difficilium etiam Scripturarum lectio fatigat, non reficit teneriorem animum: frangit intentionem: hebetat ſenſum vel ingenium.

De ordinatione rationis quantum ad actum iudicandi.

CAPVT IIII.

ORdinanda eſt ratio, quantum ad actum iudicandi, vt ab his quę non ſunt noſtri iudicij, humiliter ſe temperet: ea verò quæ ſunt noſtri iudicij, diligenter examinet. Noſtri iudicij non ſunt, quæ nobis incerta ſunt. de quibus dicit gloſſa, ſuper illud: Nolite iudicare. Duo ſunt, in quibus temerarium iudicium cauendũ eſt. Sunt enim quędam media & incerta, de quibus ignoramus, quo animo fiant, quæ bene vel malè poſſunt fieri. Neſcimus qualis futurus eſt, qui nunc apparet malus: de cuius correctione deſperare, eumq; quaſi abiectum reprehendere, temerariũ iudicium eſt: Nolite ante tempus iudicare. Inferiores etiam nõ debent iudicare ſuperiores. Gloſ. ſuper Matt. 7. Temerariũ eſt, quãdo quibus cõmiſſum non eſt, iudicant. Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum? Ea quæ noſtri iudicij ſunt, diligenter ſunt examinanda. Senec. Prudentis eſt examinare conſilia: & non facili credu-

Matth. 7.
Gloſſa ord. ibid.
1. Cor. 4.
Matth. 7.
Rom. 14.

Eccl.19. credulitate ad falsa prolabi: Qui cito credit, le-
uis corde est. Non est admittenda sententia in
consensu credulitatis, nisi examinata. Seneca:
Opiniones tuæ iudicia sint. Sicut in disputatio-
nibus non admittimus, nisi manifestè vera: ve
quæ vis probationis extorserit: sic & consen-
sum credulitatis non debemus admittere, nis
vel manifesta sint, vel ea de quibus sit nobis ple-
na fides. quod præcipuè seruandum est in hi
quæ non expedit nobis credere: vt sunt mala de
proximo, vel bona siue alta de nobis. Mala cre-
dita de proximo faciunt ad hoc, quòd eum de-
spiciamus, vel minus eum amemus: quæ nobis
non expediunt. Alta credita de nobis, reddunt
Isa.5. nos tumentes, & bonorum insusceptibiles: Va
qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vo-
Rom.12. *1.Tim.6lt.* bismetipsis prudentes: Nolite esse prudentes a-
pud vobismetipsos: Diuitibus huius sæculi præ-
cipe, non sublimè sapere. Magna æstimatio sui
est velut albugo in oculo interiori, visum im-
pediens. Gregorius in pastorali: Pupilla oculi
Lib.1. pa- *stor. ca.6lt.* *à medio.* nigra videt: & albuginem tolerans nihil videt
quia humanæ sensus cogitationis si stultum &
peccatorem se intelligit, cognitionem claritatis
apprehendit. Si autem candorem sapientiæ seu
Pro.11. iustitiæ sibi attribuit, à luce se supernæ claritatis
excludit. Vbi humilitas, ibi sapientia. Gregori-
us. Prima stultitia angeli fuit elatio cordis. Vera
sapientia hominis, est humilitas suæ æstima-
Bernard. tionis. In libro de vita solitari: Om-
nis superbia est
stulta.

Di

De ordinatione rationis quantum ad actum memorandi.

CAPVT V.

ORdinanda est ratio, quãtum ad actum memorandi. Et notandum quod memoratiuæ rationis triplex est actus. Primus est, species intelligibiles retinere; secundus est eas repræsentare; tertius est amissas reparare, & hoc est reminiſci. Ad ordinationem memoratiuæ pertinet, vt salubria libenter memoremur: noxia verò obliuiscamur. De salubribus, quæ laudabiliter memoramur, aliqua tangamus. Primo commendabilis est memoria benefactoris vel beneficij: & maximè memoria creatoris vel redemptoris. Memento creatoris tui. Hoc facite *Eccl. vlt.* in meam commemorationem. Mementote diei *Luc. 22.* huius qua egressi estis de Ægypto. Gratiam fi- *Exod. 13.* deiussoris ne obliuiscaris. Dedit enim pro te a- *Eccl. 29.* nimam suam. In libro de vita solitaria. Scit, qui- *Bernard.* cunque sensum Christi habet, quantum Christianæ pietati expediat: quantum seruum Dei, seruum redemptoris Christi deceat, & vtile sit ei, vna saltem aliqua diei hora, passionis ipsius ac redemptionis attentius recolligere beneficia: ad fruendum suauiter in conscientia, & recolendum fideliter in memoria. Secundò, me- *Deut. 6.* moria præceptorum Dei. Erunt verba hæc, quæ præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis: & meditaberis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consur- *Iosue 1.* gens. Non recedat volumen legis huius de ore tuo: sed meditaberis in eo diebus & noctibus. *Eccl. 3.*

Quæ

Quæ præcepit tibi Deus, hæc cogita semper. Tertiò, memoria iustitiæ quam Deus exercuit in transgressores mandatorum suorum. In Psal.

Eccl. 18. Memorabor iustitiæ tuæ solius: Memor esto iudicij mei: sic enim erit & tuum. Mihi heri, & tibi hodie. Quartò, memoria diuinæ misericordiæ, quæ valde necessaria est positis in tribulatione,

Eccl. 51. ne in desperationem labantur: Memoratus sum misericordiæ tuæ Domine, & cooperationis tuæ quæ à seculo sunt: qui eruis sustinentes te Domine, & liberas de manibus gentium: Me-

1. *Mach.* 4. mentote qualiter salui facti sunt patres nostri in mari rubro. Quintò, memoria belli spiritualis,

Iob. 40. in quo tot & tanti ceciderunt: Memento belli. Hieronymus. Ne in præterita castitate confidas, nec Dauide sanctior, nec Salomone potes esse sapientior, nec Sampsone fortior. Memẽto semper quod paradisi colonum mulier de possessione sua eiecit. Sexto memoria vitę sanctorum, quam debemus imitari. Gregorius. Facta præcedentium consideremus: & non erunt gra-

Ioan. 15. uia quæ toleramus. Mementote sermonis mei quem dixi vobis: non est seruus maior Domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur. Septimò, Memoria aduersitatis in prosperitate;

Eccl. 11. & prosperitatis in aduersitate. In die bonorum ne immemor sis malorum: & in die malorum

Ibid. 18. ne immemor sis bonorum: Memento paupertatis in tempore abundantiæ, Octauò, memoria

Eccl. 7. mortis. In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua: & in ęternum non peccabis. Nonò, memoria status honorabilis, à quo quis degenerauit: vt est nobilitas carnalium vel spiri-

tualium

tualium parentum: à qua quis cecidit. Sapiens. Ad hoc tantum nobilitatis memineris, vt cum claritate generis, morum sanctitate contendas: & cum nobilitate corporis, animi nobilitate proficias. Attendite ad petram vnde excisi estis. Attendite ad Abraham patrem vestrum. *Isai.51.* Memor esto vnde excideris, & age pœnitentiam. *Apoc.2.* Decimò, memoria propriorum peccatorum, ad dolendum. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. *Isa.38.* Multa etiam sunt, quorum est laudabilis obliuio. Primò, est laudabilis obliuio iniuriarum: Non memoreris iniuriæ ciuium tuorum. Animus obliuiosus beneficiorum, & tenax iniuriarum, est velut colatorium feces retinens: & quod purum est, exire permittens. *Leuit.19.* Secundò, obliuio beneficij alteri dati. Hæc est enim lex beneficij inter duos (vt ait Sapiens) quod alter statim debet obliuisci dati: alter memor esse accepti. Tertiò, obliuio delectationum, quas aliquis habuit in peccatis. Qui recogitat præterita peccata delectando in eis mentem, reuertitur in Ægyptum, vt filij Israël: Recordamur piscium quos comedebamus in Ægypto. *Num.11.* Item hoc est respicere retro, vt vxor Loth, quæ versa est in statuam salis. Memores estote vxoris Loth. *Luc.17.* Quartò, obliuio rerũ temporalium in viris contemplatiuis. *Phil.3.* Quæ retro sunt obliuiscẽs, ad ea verò quę sunt priora, extẽdens meipsum. Philosophus loquens de tẽperantia perfectorum. Temperantia, inquit, est, terrenas cupiditates non reprimere, sed penitus obliuisci. Item ad ordinationem memoratiuæ pertinet, vt in ea pri⁹ necessaria reponatur. Si. n.

primo

primo superuacuis repleta fuerint, necessaria non admittit. Seneca: Liberalium artium consectatio verbosos & sibi placentes facit: & ideò non discentes necessaria, quia superuacua didicerunt. Item ad eius ordinationem pertinet, vt caueatur ne multitudine eorum quæ leguntur vel audiuntur, memoria confundatur. Seneca: Cùm multa percurreris, vnum excipe quod illo die decoquas. Idem; Distrahit animum librorum multitudo. Itaque cum legere non possis quantum habueris: sat est habere quantum legas. Ruminatione etiam longa infigendum est memoriæ, quod nolumus obliuisci. Et qui sentit se habere labilem memoriam, Scriptura eius defectum supplere debet. Sapientiam scribe tempore vacuitatis. Bis scripsit Dominus decalogum populo Iudæorum in tabulis lapideis. Etiam habenti tenacem memoriam necessaria est Scriptura, quia, iuxta verbum Senecę, in memoriam primo senectus incurrit.

Epist. 89. de clinando ad finem.

Epist. 2. à med. illius.

Eccl. 38.

De ordinatione rationis, quantum ad actum interpretandi.

CAPVT VI.

ORdinanda est ratio, quantum ad actum interpretandi. Et notandum quod interpretatiua est vis iudicatiua intellectus, & eius duplex est actus: scilicet excogitatio, & significatio. Excogitatio est informatio cogitationis ad exprimendum quod est dicendum. Significatio verò est demonstratio cogitationis formatę per verba, vel alia signa. Ad ordinationem interpretatiuæ

tatiuæ pertinet, vt quod dicendum est, prius ponderetur in corde quàm proferatur ore. Labia imprudentium, stulta narrabunt: verba autem prudentium statera ponderabuntur. In Psal. Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium. Iustus os suum reputat os cordis, scilicet vim cognitiuam, cuius est sapientiam meditari: vt os cordis prius loquatur iudicium, scilicet sententiam examinatam. De ordinatione pertinente ad locutionem, habitū est supra. 2. lib. *Eccl. 21.*

Secunda pars de ordinatione voluntatis.

CAPVT VII.

SEquitur de ordinatione voluntatis, cui multum intendendum est. Ordinata enim voluntas, fons est omnium bonorum: inordinata verò fons omnium malorum. Nec prodest ordinatio cæterarum virtutum: si voluntas inordinata remanserit. In libro de vita solitaria: Omnis vitij frustra siccatur riuus: si fons non fuerit obturatus. In eodem. Bona voluntas in animo est origo omnium bonorum, & omnium mater virtutum; sicut è conuerso mala voluntas, omnium malorum & vitiorum. In eodem: Remissa voluntas facit leuitatem mentis, ex qua prodeunt instabilitas mentis, inconstantia morum, vana lætitia, sæpè vsque ad lasciuiam carnis: vana tristitia nonnunquam vsque ad ægritudinem corporis: & multa alia in negligentia vel transgressione propositi, ex leuitatis vitio venientia. Sic etiam superba voluntas, in magna sæpè cordis inopia, tumentem efficit animum: *Bernard.*

vnde procedunt vana gloria, fiducia sui, negligentia Dei, iactantia, inobedientia, contemptus, præsumptio, & cæteræ animi pestes: quæ profluere solet ex tumore & vsu superbiæ. In hunc modum omnia genera vitiorum ex aliquo malæ voluntatis affectu, vel malæ consuetudinis vsu ducunt originem: quæ quanto diutius menti inolita est, tanto fortius hæret, & fortioribus remediis eget: & curam requirit diligentiorem. In eodem: Cùm voluntas declinat in ea quę carnis sunt, concupiscentia carnis est: cùm in curiositatem seculi, concupiscentia oculorum est: cùm in ambitionem gloriæ vel honoris, superbia vitæ est. In eodem legitur de ordinatione voluntatis: Voluntas in spiritualibus, & in his quæ ad Deum sunt, cùm vult quod potest, laudanda est: *Bernard.* cùm vult quod non potest, & plusquam potest, regenda est: cùm non vult quod potest, excitanda est & prouocanda. Sæpe enim si non frenatur, impetum facit: & cogitur in præceps. Sæpe si non excitatur, dormit & tardat, & obliuiscitur quo tendebat: & facile declinat quasi à latere in obligationes oblatæ delectationis. Ad ordinationem igitur voluntatis pertinent refrenatio & incitatio. Refrenanda est voluntas à malis: vt *1. Cor. 10.* ea omnino non velit. Non simus concupiscentes malorum. Malum concupiscere: est quasi venenum appetere. Item refrenanda est à minimis bonis: ne nimis ea velit. Bona minima sunt contemnenda: non nimis appetenda. Pluribus sunt *Pro. 1.* nociua quã vtilia. Vsquequo stulti quæ sibi noxia sunt cupient? Item refrenanda est, ne velit propter se, quod propter aliud debet velle, vel

è con-

è conuerſo. In libro de vita ſolitaria. Cuſtos animæ ſuæ valde ſollicitus debet eſſe circa cuſtodiam voluntatis ſuæ, vt prudenter intelligat & diſcernat, quod in totum velit, vel volendum ſibi ſit, ſicut amor Dei: quid propter illud, ſicut amor proximi. Refrenãda eſt ne velit ſimpliciter, quod cum modo vel conditione velle debet: vt bona temporalia. Auguſtinus. Quando temporalia petitis, cum modo petite, & cum timore Deo committite: vt ſi proſint, det: ſi ſcit obeſſe, non det. Incitanda eſt voluntas, vt plus velit vtilia, quàm ea quæ vt frequẽter ſunt noxia: permanentia, quàm fugientia. Bernardus. Magna confuſio. Ardentius deſiderant ſeculares perniciosa, quam nos vtilia: alacrius currunt ad mortem, quàm nos ad vitam. Auguſtinus. O ſi poſſemus homines excitare, & cum illis pariter excitari: vt tales eſſemus amatores vitæ permanentis, quales ipſi ſunt vitæ fugientis. Item incitanda eſt voluntas, vt boni inchoationem non differat: & vt bono inchoato remiſſe non agat. Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Egeſtatem operata eſt manus remiſſa. Item incitanda eſt voluntas ad magna bona: vt ad magna bona, magnum deſiderium habeat. Auguſtinus. Seruat tibi Deus, quod non vult citò dare: vt magna diſcas magnè deſiderare. Qui multum vult, multum poteſt: qui parum vult, parum poteſt. In libro de vita ſolitaria. Ignoſce Domine, ignoſce, excuſamus, tergiuerſamur, ſed non eſt qui ſe abſcondat, à lumine veritatis tuæ. Vix eſt aliquis, qui in eis quę ad te ſunt experiri velit quid poſsit, etiam quod

Bernard.

Serm. 53. de Verbis Domini à med.

Eccl. 5.

Pro. 10.

Bernard.

promptissimè potest quandoq; secundum carnem: vel seculum, siue timor impulerit, siue cupiditas traxerit. Sed si fallimus inscios, non nos permittas, vt quasi volentes fallere te, fallamus nosmetipsos. Nos non laboramus, quia vel non possumus, vel non posse nobis videmur: vel consuetudine otij & delitiarum nostrarum nos non posse, efficimus. In hoc ipsum, peccato nostro manifesto, iudicio tuo occulto, formasti nos, vt forsitan quia nõ multum hoc volumus, non possimus: vel quia non voluimus cùm potuimus, cùm volumus non possumus. Item incitãda est voluntas vt perfici appetat: & ad perfectionem tendat. Estote perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est. In libro de vita solitaria. Nolle esse perfectum, delinquere est. Bernardus. Magna pars profectus est, velle proficere. Augustinus. Non progredi, iam regredi est. Cesset omnis ignauia; si volumus non redire, currendum est. Leo papa: In decidendi incidunt periculum, qui proficiendi perdiderunt appetitum. Item ad ordinationem voluntatis humanæ pertinet, vt Dei voluntatem tanquam regulam habeat, & ei se conformare, studeat: & quod ei placuerit sibi placeat. Glossa super illud Psal. Gloriamini recti corde omnes. Recti corde sunt: qui dirigunt cor suum secundum voluntatem Dei. Seneca. Vir bonus quicquid illi acciderit, æquo animo sustinebit. Sciet enim hoc accidisse lege diuina, ex qua vniuersa procedunt. Cùm aliquis voluntati diuinæ suam perfectè conformat, nihil eius voluntati, sicut nec voluntati diuinæ obstat; quod ad pacem animi

Matth. 5.

Bernard.

Epist. 254.

Epist. 77. à medio.

nimi multum facit. Contrarium verò huius multum facit ad animi perturbationem. Quis reſtitit ei,& pacem habuit? Ad ordinationem etiam voluntatis pertinet, vt reſpectu aliarum virium dominium habeat, & ſeruituti vitiorum,quæ peſsima eſt,ſe non ſubdat.Bernardus. An non ſeruus,cui dominatur iniquitas?Et maximè:niſi tu indignius iudices, hominem tibi, quàm vitium dominari.

Iob.9.

Lib.1.de conſid.ante medium.

Tertia pars. Actus concupiſcibilis & iraſcibilis determinantur.

CAPVT VIII.

SEquitur de ordinatione virtutis concupiſcibilis & iraſcibilis. Concupiſcibilis tendit ad bonum appetitu delectandi. Motus iraſcibilis eſt in bonum arduum,vel contra malum,appetitu vincendi. Actus pertinentes ad concupiſcibilem ſunt concupiſcere, gaudere, diligere, & actus contrarij iſtius ſunt reſpuere, dolere,vel triſtari & odire. Concupiſcere eſt appetere ſibi bonum,quod nondum habetur. Appetitus verò iſte ſi ſit cum intenſione, dicitur deſiderium. Gaudere eſt iocundari de boni adeptione, vel eius fruitione. Diligere eſt alicui bonum appetere: & eſt propriè reſpectu alterius,non reſpectu ſui. Contrarium ei quod eſt concupiſcere, eſt reſpuere.Reſpuit verò aliquis bonum vel faſtidiendo vel abominãdo. Abominatio eſt cum intẽſione.Contrariũ ei quod eſt gaudere,eſt dolere, vel triſtari. Dolere eſt affligi ex ſeparatione boni vel conuenientis:vel coniunctione ma-

li, sed disconuenientis. Contingit etiam aliquando de malo proximi dolere, quod est misericordiæ: vel de eius bono, quod est inuidiæ. Ei verò quod est diligere, contrarium est odire. Tres primi actus sunt secundum boni placentiam: tres alij secundum displicentiam. Actus irascibilis respectu excellentiæ vel humilitatis, sunt quatuor scilicet ambitio, spes, dominatio, contemptus. Ambitio & spes sunt respectu eius quod nondum habetur. Ambitio est appetitus honoris vel excellentiæ. Spes verò appetitus eius cum fiducia obtinendi. Dominatio est appetitus honoris obtenti vel gloriatio de illo. Contemptus est reprobatio subiectionis propriæ. Contemptus etiam est reprobatio rei vel personæ: quia æstimatur vilis à debilitate. Irascibilis sunt quatuor actus contrarij, quatuor prædictis. Primus qui contrariatur ambitioni, est fuga honoris vel excellentiæ, quæ paruitas spiritus dici potest. Spei contrariatur desperatio: quæ est fuga boni ardui propter diffidentiam obtinendi. Dominationi contrariatur humiliatio, quæ est amor subiectionis fugiens excellentiam. Contemptui contrariatur reuerentia: quæ est veneratio rei vel personæ propter eius excellentiam. Actus irascibilis confortantis se contra malum, sunt tres, scilicet, irasci, audere, & insurgere. Contra malum irasci, est vindictam vel punitionem appetere. Audere est de victoria mali præsumere. Ex his sequitur insurgere in destructionem mali, quod est magnanimitatis. Actus irascibilis fugientes malum sunt tres, scilicet pœnitentia: quæ est fuga vel detestatio

statio præteriti mali: impatientia, quæ est fuga mali præsentis: & timor qui est fuga mali futuri. Et hæc de actu concupiscibili, & irascibili.

De ordinatione actuum concupiscibilis.

CAPVT IX.

AD ordinationem concupiscibilis quantum ad actum concupiscendi pertinet, vt in bonis terrenis non appetat superflua: sed necessariis sit contenta. Item vt post concupiscentias illicitas non eat, sed ab eis se auertat. Bona spiritualia, ad quæ appetenda Saluator monet, appetat intense: temporalia quæ Saluator appetere dissuadet, si appetit, appetat remisse. Ad ordinationem cõcupiscibilis, quantum ad actum gaudendi pertinet, vt non gaudeat de malis vel vanis: & vt amplius gaudeat de bonis internis quã externis: & plus de bonis supernis & æternis, quàm de bonis infimis & terrenis. Non debet gaudere de malis propriis vel alienis. Velut insania est, gaudere de malis propriis. Lætantur cum malè fecerint, & exultãt in rebus pessimis. *Pro. 2.* Iniquum est gaudere de malis proximi, vel illius qui te offendit, quod pertinet ad odiũ: vel illius qui respectu tui excellit, quod ptinet ad inuidiam. Qui lętatur in ruina alterius, nõ erit impunitus. *Pro. 17.* Puerile est gaudere de vanis. Sen. Fundamentũ bonæ mentis est nõ gaudere de vanis. *Epist. 23. pæ rum à prin.* Fundamentũ hoc esse dixi; etiã culmen est. Ad summa peruênit, qui scit quo gaudeat: qui felicitatẽ in aliena potestate non posuit. Super illud ad Gal. 5. Fructus spiritus est charitas, gaudium, &c. dicit Glossa. Elatio animi est de his quæ

digna sunt, gaudium mundi de indignis. Seneca. In voluptatibus nihil est magnificum, nihilq; quod naturam Deo proximam deceat; membrorum vilium ac turpium ministerio veniens, exitu fœda. De bonis internis debemus gaudere. Seneca. Nolo vnquam tibi deesse lætitiam. Volo tibi illam domi nasci. Domi nascitur: si intra teipsum sit. Idem: Conculca ista quæ extrinsecus splendent: & de tuo gaude. Quid est autem de tuo? De teipso, & de tui optima parte.

Epist. 23. aliquantulum à prin.

Idem. Veri boni gaudium est ex bona conscientia, ex contemptu fortuitorum, ex honestis consiliis, ex rectis actionibus, ex placido vitæ & cõtinuo tenore vnam prementis viam. Idem: Improbæ voluptates non sunt solidæ, non sunt fideles; etiamsi non nocent, fugiunt. Potius aliquod bonum permansurum circumspice. Sola virtus præstat gaudium perpetuum & securum.

Epist. 23. à med.

Matth. 5. Luc. 10.

De æternis etiam gaudere debemus. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est. In hoc nolite gaudere, quia spiritus subiiciuntur vobis: gaudete autem quia nomina vestra scripta sunt in cœlis. Ad ordinationem concupiscibilis, quantum ad actum diligendi, pertinet, vt in proximo diligatur quod est diligendum: & non diligatur, quod diligendum non est. Item vt diligatur proximus propter id propter quod diligendus est, & ad id ad quod diligendus est. Diligenda est proximi persona: & non sunt diligenda eius vitia. Augustinus in libro de doctrina Christiana. Omnis peccator in quantum peccator, non est diligendus. Omnis homo in quantum homo, est diligendus. Item Augusti-

Lib. 1. cap. 27. tom. 3.

nus.

nus. Sic diligendi sunt homines, vt eorum vitia non diligantur. Propter Deum diligendus est proximus. Augustinus in libro de Trinitate. Amanda est creatura: sed si ad creatorem amor referatur, iam non cupiditas, sed charitas erit. Item in lib. Confessionum Domine minus te amat, qui aliquid præter te amat, quod propter te non amat. Diligendus est proximus ad gratiam in præsenti, & gloriam in futuro. Aug. in lib. de doct. Christ. Quisquis rectè diligit proximum, hoc cum eo debet agere, vt etiam ipse toto corde, & tota anima, & tota mente diligat Deum. Item ad ordinationem dilectionis pertinet, vt illi amplius diligantur, qui amplius diligendi sunt, & eo modo diligantur, quo diligendi sunt. Diligendi sunt amplius boni quàm mali: meliores & Ecclesiæ vtiliores quàm minus boni, & minus vtiles: & benefici & propinqui plus amandi sunt, quàm qui tales non sunt. Amandi sunt boni tanquam filij Dei. Quicunque spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. Ambrosius: Domestici si boni sunt, malis filiis præponendi sunt. Ad modum diligendi pertinet, vt proximus citra Deum ametur: & supra res temporales. Item vt ametur affectu & effectu. Effectus tamen aliquando ex caussa suspenditur. Augustinus. Charitas non intermittatur, officia pro tempore exhibeantur. Infirmioribus effectus dilectionis potius exhibendus est. Augustinus: Charitas quæ tanquam nutrix fouet filios suos, non ordine amandi, sed ordine subueniendi infirmiores fortioribus anteponit: quos tales vult esse, quales iam illi sunt, quos non contem-

Eodem lib. & cap. nũc citatis.

In lib. soliloquior. cap. 19.

Lib. 1. cap. 29. tom. 3.

Rom. 8.

nendo, sed de illis confidendo interim prætē-
rit. Amare debemus in proximo, sicut & in no-
bis, plus animam quàm corpus. Gregorius in
moralibus. Cum rectè diligimus, nihil rebus
conditis anima nostra charius habemus. Inter
illos, qui in religione, tanquam inter homines
spirituales, non carnalis, sed spiritualis debet
esse dilectio. Spiritualis, inquam, & originaliter
& finaliter: vt scilicet à spiritu procedat, & ad
spiritus vtilitatem tendat. Carnalis est dilectio
originaliter, cùm aliquis propter pulchritudi-
nem corporis, vel aliquid simile amatur. Fina-
liter verò dilectio est carnalis, cùm aliquis ei
quem amat, quod secundum carnem vtile est
procurat, & de spirituali eius profectu non
curat. Maximè intendendum est ordinationi
Lib. 15. cap. 22. circa finem. amoris: cùm secundum Augustinum 15. de ci-
uitate Dei, diffinitio breuis & vera virtutis, sit
ordo amoris. Ad ordinationem etiam concu-
piscibilis pertinet, vt fastidium boni spiritualis
caueatur, & vana consolatio respuatur. Specia-
liter cauendum est fastidium in doctrina sacra
& diuino officio. Contingit autem fastidium
boni spiritualis aliquando ex ignorantia bono-
rum spiritualium. Sicut enim porci species aro-
maticas vel margaritas non reputant: sic homi-
nes animales spiritualia bona despiciunt. Sapi-
Pro. 1. entiam atq; doctrinam stulti despiciunt. Bern.
super Cant. Quomodo lux incassum circũfun-
dit oculos cœcos & clausos: sic animalis homo
Matth. 7. non percipit ea quę Dei sunt. Neq; mittatis mar-
garitas vestras ante porcos ne fortè conculcent
eas pedibus suis. Aliquando accidit fastidium
boni

boni spiritualis ex præsumptione: sicut fastidiũ cibi corporalis accidit ex ventosa stomachi plenitudine. Aliquando verò accidit ex infectione palati interioris de febre iniquitatis. Augustin. Palato non sano pœna panis est, qui sano suauis est. Idem: Palatum febricitantis habet, cui mel cœli insipidum est. Respuere debet consolationem vanam vir religiosus: quia veram impedit, & ad desolationem ducit. Bernardus. Delicata est diuina consolatio: & non datur admittentibus alienam: Risus dolore miscebitur. Væ vobis diuitibus, qui habetis hîc consolationem vestrã. Item ad ordinationem cõcupiscibllis pertinet, vt tristitia sæculi quæ mortem operatur, cauteatur: tristitia verò quæ secundum Deum est, admittatur. Tristitia sęculi est quę prouenit ex bonorum temporalium amissione, vel malorum pœnalium perpessione, vel de proximi prosperitate. Tristitia verò quæ secundum Deũ est, illa est, quæ prouenit ex bonorũ spiritualium amissione: vel malorum culpæ commissione, vel ex proximi compassione. Ad ordinationem etiam concupiscibilis pertinet, vt illud quod odiendũ est, odio habeatur. Maximè verò odiendum est peccatũ, tanquã Deo maximè exosum: homini maximè noxiũ. Nihil odit Deus nisi peccatũ, vel propter peccatũ. Deus amauit eum, qui nũc diabolus dicitur, antequã peccatum haberet, & adhuc eum amaret, si in eo peccatum non esset. Altissimus odio habet peccatores. Odio sunt Deo impius & impietas eius. Adeò exosum est ei peccatum, quòd nulli parcit, quin pœnam soluat, si hoc peccatũ requirat. Quatuor de causis solet aliquis

Lib. 7. confess. cap. 18.

Pro. 14.

Luc. 6.

Eccl. 14.

Sap. 14.

aliquis parcere alicui rei. Aliquando propte
eius pretiosítatem vel nobilitatem. Hac de cauſ
ſa principes terreni ſubditis eorum nobilibu
ſolent parcere: nolentes vel non audentes face
re iuſtitiam de eis peccantibus: ſed Deus nobi
liorem principem cœleſtis militiæ, vel vnum de
nobilioribus propter peccatum ſuperbiæ cum
omnibus ei adhærentibus æternaliter damna
Luc. 10. uit, & de cœlo præcipitauit. Videbam ſathanam
ſicut fulgur de cœlo cadentem. Non verebitur
Sap. 6. Dominus magnitudinem cuiuſquam: quoni
am puſillum & magnum ipſe fecit. Aliquand
parcitur alicui rei propter eius raritatem. Ha
de cauſſa non pepercit Dominus primis paren
tibus, qui peccauerunt, licet ſoli eſſent: quin
morte punirentur. Si non eſſet niſi vnus homo
& in mortali peccato decederet, æternaliter ille
damnaretur. Aliquando parcitur aliquibu
propter multitudinem. Deus verò in diluuio
totum genus hominum, exceptis octo perſo
nis, propter peccatum ſubmerſit. Aliquand
parcitur alicui propter conſanguinitatem. De
us verò proprio filio non pepercit, qui inter ho
mines & Deum patrem, medium ſe poſuit. Qui
Rom. 8. proprio filio non pepercit. Bernardus etiam di
Serm. 16. ſuper Cant. circa med. cit: Qui non pepercit proprio filio, nunquid
parcet figmento? Nunquid etiam parcet ſeruo
nequam? Tantum Deus odium habuit ad pec
catum, quòd filium ſuum occidi voluit, vt cum
eo deſtrueretur peccatum. Non habet Deus a
deò bonum amicum, nec in cœlo, nec in terra,
quem ad mortem non odiret, ſi peccatum mor
tale in eo inueniret. Sancti etiam, peccatum ma

ximè

ximè, & super omnia oderunt, eligentes potius omnia genera tormentorum sustinere, quàm peccatum committere. Qui veram fidem haberet, potius peccatum timeret quam dæmones vel malos homines, vel bestias crudeles. Peccatum homini maximè nocet. Pessimus hostis est, quem homo habet. Alij hostes non possunt ei nocere, nisi per istum. Nulla enim ei nocebit aduersitas, si nulla dominetur iniquitas. Augustinus. Quid times hominem, homo in sinu Dei positus? Tu de illius sinu noli cadere: quidquid ibi patieris, ad salutem valebit, non ad perniciem. Qui custodit præceptum, non experietur quidquam mali. Omnia mala huius mundi ex peccato subsequuta sunt: scilicet fames, sitis, frigus, calor, labor, infirmitas & mors. Peccatum omnes amicos nostros, qui mortui sunt, occidit, & occisurum est nos, & eos qui nobis remanserunt. Nihil esset in mundo, quod non esset bonum, & Deo placens, & homini vtile: si non esset peccatum. Maiora verò mala ex eo in futuro sequentur. Peccatum bonitatem suam aufert homini & eius operibus. Plus valet vnus peccatum non habens, quàm mille alij: Melior est vnus timens Deum, quàm mille filij impij. Et plus valet vnum bonum opus eius, qui extra mortale peccatum est, quàm infinita opera facta ab eo, qui est in mortali peccato.

Eccl.8.

Eccl.16.

De ordinatione actuum irascibilis virtutis.

CAPVT X.

SEquitur de ordinatione virtutis irascibilis. Ad ordinationem verò ipsius, respectu excellen-

cellentiæ, pertinet vt virtutum eminentiam, & cœleſtem altitudinem appetat: terrenam autem tanquam abominabilem deſpiciat, tanquam periculoſam timeat, tanquam malis abundantem & bonis deficientem fugiat. Terrena altitudo, vt eſt altitudo dominij, vel mundanæ gratiæ, vel humanæ laudis, valde eſt contemptibilis, cùm Deo ſit abominabilis. Quod hominibus altum eſt, abominatio eſt apud Deum. Superbi qui terrenam altitudinem appetunt, multum Deum deſpiciunt: ideò meritò multum deſpiciuntur ab eo, vt ſint ei abominabiles. Qui me contemnunt, erunt ignobiles. Inter creaturas terra eſt ordine infima naturaliter, pedibus hominum conculcanda: & bona terrena valore ſunt minima: & inter hęc minima minimum eſt puluis vanæ gloriæ, quam terrena altitudo ſectatur. Ad vilitatem terrenę altitudinis pertinet, quod per vilia & indigna ad illam aſcenditur. Seneca. Non ſit tibi ambitio, quæ ad dignitatem niſi per indigna te non adducet. Item, quòd peſſima ſeruitus, ſcilicet vitiorum & diaboli, eam comitatur. Superbi in altitudine terrena poſiti, etiam illis ſeruiunt, quibus dominari videntur, quibus prouidere tenentur. Vnde minus ſunt liberi quàm ipſi, cum habeant multos dominos, & ipſi vnum. Et licet exterius videãtur eſſe magnæ poteſtatis, tamen in ſe ſunt minoris virtutis, & maioris infirmitatis, minus valentes reſiſtere vitiis. Arundinea eſt poteſtas eorum, exterius habens nitorem, intus vacuitatem. Ad homines habet apparentiam, ſed in ipſis non habet exiſtentiam. Periculoſa eſt altitudo terrena, &

Luc.16.

1.Reg.2.

non

non desideranda, sed timenda. Augustin. Quanto quis in loco superiori, tanto in periculo maiori versatur. Dæmones qui cœlestem altitudinem amiserunt, positis in terrena altitudine inuidentes, maximè eos impugnant: reputantes sibi honorabilius, si eos sibi subiecerint: & scientes quòd per eos poterunt pluribus dominari. Terrena altitudo mons est, in quo magni & fortes perierunt. Incliti Israël super montes interfecti sunt. Ionathas in excelsis occisus est. Altitudo terrena mons pestifer est. Ecce ego ad te mons pestifer, qui corrumpis vniuersam terrã. Locus est etiam præcipitij. Bernardus. Facile est in alto se continentem obstupescere: & de vita periclitari. Altitudo terrena fugienda est, cùm abundet malis, & deficiat bonis. Hanc fugit Iesus, sciens enim quod venturi erant, vt facerent eum regem: fugit montem solus. Sordes vitiorum ad hunc locum defluunt. Quod mirum poterit videri ei qui credit veram altitudinem esse: sed in veritate nõ est altitudo, sed locus valde demissus, cùm sit inferno proxim⁹: & à Deo, & à cœlo remotus. A cœlo est remotus, ad quod est via per humilitatem. Vnde super illud psal. Iuxta est Dominus his qui tribulato sunt corde, dicit glossa: Altus quidem est Dominus: vicinatur tamen humili: & non se erigenti. Altitudo terrena est locus ventis expositus. Perflant enim altissima venti. Vnde non est ibi quies, sed quasi tempestas. Gregorius. Quid est potestas culminis, nisi tempestas mentis? Specialiter ibi perflat aquilo, iuxta verbũ primi superbi: Sedebo, inquit, in lateribus aquilonis. Vnde est locus frigi-

In reg. 3. circa finem.

2. Reg. 1.

Hier. 51.

Epist. 123. aliquid habet simile.

Ioan. 6.

Glossa ord. ibi ex Aug.

Lib. 1. past. cap. 9.

frigidus sine calore charitatis. Flatus aquilonis est suggestio diaboli ad discordiam & odium. Sicut Christus ignem dilectionis venit in terram mittere, sic diabolus conatur illum extinguere. Bonis deficiens est mons iste. Vix enim à Domino visitatur: etsi ab eo visitaretur irrigatione gratiæ, ventorum flatu exiccaretur, vel ad loca humiliora aqua descenderet. Augustinus. Confluit aqua ad humilitatem vallis, de supercilio montis. Item ad ordinationem irascibilis pertinet, vt homo humilem locum eligat, iuxta consilium Salùatoris: Recumbe in nouissimo loco. Hic est locus congruens homini, qui terra est & cinis. Quid superbis terra & cinis. Locus terræ locus est infimus. Cineri non expedit esse in alto, ne dispergatur à vento. Status humilis, est locus quietus & tutus, & abundans bonis. Quietus est: quia non est ventis expositus. Erit vir sicut qui abscondit à vento: & celat se à tempestate. Tutus est. Sapiens: Superbia omnia habet in periculo: humilitas in tuto. Augustinus. Humilitas in imo est, & non habet quo cadat: bonis abundat, quia humilibus dat Deus gratiam. Augustinus. Alta siccantur, ima replentur. Vallis humilitatis est fertilissima. Psal. Valles abundabunt frumento.

Isa. 14.

Luc. 14.

Eccl. 10.

Isa. 32.

1. *Petr.* 5.

Item ad ordinationem irascibilis pertinet, vt homo de viribus suis diffidat: & de Dei virtute confidat, vt Dei adiutorium eum fortem efficiat. Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem. Fortitudinem, inquam, propriam in diuinam. Fœlix commutatio, cùm aliquis de suis viribus diffidens, propria fortitudine se exuit:

Isa. 40.

&

& Dei fortitudine, de qua cõfidens adiutorium habet, quodammodo se induit. Bernardus super Cantic. Nil omnipotentiam verbi clariorem reddit, quàm quòd omnipotentes facit eos, qui in se sperant. Denique omnia possibilia sunt credenti. Item ad ordinationem irascibilis pertinet, vt homo neminem despiciat. Non est despiciendus homo, quem Deus ad imaginem suam fecit: quem regni cœlestis participem esse voluit: cui angelorum sanctorum custodiam adhibuit: Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis. Angeli enim eorum semper vident faciem patris mei, qui in cœlis est. Ad ordinationem irascibilis, quantum ad actum irascendi, octo pertinent. Primum, vt homo non ex facili irascatur. Spiritum ad irascendum facilem quis poterit sustinere? Intollerabilis est familiaritas iracundi. Noli esse amicus homini iracundo. Qui facile irascitur, est sicut domus de palea, quæ facile comburitur, vnde Dominus talis domus multùm damnificatur. Sic qui facile irascitur ad sibilum vnius verbi, omnia bona sua perdit. Væ his qui perdiderunt sustinentiam. Qui impatiens est: sustinebit damnum. Secundum est, vt non velociter irascatur. Ne sis velox ad irascendum. Sit omnis homo tardus ad iram. Qui velox est ad irascendum, velox est ad se præcipitandum, & ad faciendum saltum, quo sibi collum frangat: dum de statu amoris, ad statum odij transit. Tertium est, quòd iræ resistatur: ne homo ab ea superetur. Non te superet ira. Multum timendum est superari ab ira, quasi ab hoste crudelissimo: & qui non habet miseri-

Serm. 85. sup. per Cant. paulò ante medium.

Matth. 18.

Pro. 18.

Pro. 22.

Eccl. 2.

Pro. 19.

Eccl. 7.

Iacob. 1.

Iob. 36.

Pro. 27.

cordiam: Ira non habet misericordiam, nec e- rumpens furor. Cùm secundum sapientem, Ir furor breuis sit, multum timendum est domi- nium iræ, sicut dominium insani. Quartum

*Ephes.*4. est, vt ira cito prematur: Sol non occidat supe

*Eccl.*11. iracundiam vestram. Aufer iram de corde tuo.

Iob 31. Cito auferenda est ira de corde: sicut ardés car-

*Pro.*11. bo de sinu. Ignis est vsq; ad consummationem deuorans. Quintum est, vt ira sermone non in-

Glossa ord. ibid. dicetur. Fatuus statim indicat iram suam. Glos Natura iræ est, vt prolata magis ferueat, occul-

*Pro.*26. tata langueſcat: Qui imponit stulto silentium iras mitigat. Sextum est, vt ira operari non per- mittatur. Cùm in tenebris sit animus iratus, non

*Ioan.*12. videt quid sit agendum. Qui ambulat in tene- bris, nescit quo vadat. Opus quod alias esset cō- mendabile, cùm ex ira procedit, non est com-

*Iacob.*1. mendabile. Ira enim viri iustitiam Dei non ope- ratur. Septimum est, vt irascatur vitio, non per-

*Eccl.*7. sonæ. Ira qua quis irascitur vitio, vtilis est. Meli- or est ira risu; quia per tristitiam vultus, corrigi- tur animus delinquentis. Octauum est, vt po- us irascatur culpæ propriæ, quàm alienæ. Sene-

*Epist.*47. ca. Regum nobis animos induimus. Illi obli-

circa finem illius. infirmitatis alienæ desæuiunt, quasi iniuriam acceperint. Augustinus: Irasceris seruo tuo ne peccet: irascere tu tibi ne pecces.

Item ad ordinationem irascibilis, quantum ad reliquos eius actus pertinet, vt nihil audeat quod Deus inhibeat: nihil timeat, quod Deus iubeat: pro iustitia omnia mala pœnæ libenter

*Matth.*5. sustineat. Beati enim sunt, qui persecutionem

1.*Pet.*3. patiuntur propter iustitiam. Si quid patimur pro-

propter iustitiam, beati. Item, vt contemptus impiorum contemnat,& irrisiones irrideat. Seneca: Æquo animo audienda sunt imperitorum conuitia: & ad honesta vadenti contemnendus est ipse contemptus. Cùm diceretur cuidam sapienti, homines te contemnunt, ait: Et illos asini. Sicut nec illi asinos:nec ego illos curo.Seneca.Nondum fœlix es,si nondum turba deridet te. Deum, nõ hominem timeat:quia qui timet hominem, citò corruit. Vera mala, non vmbras malorum fugiat. Vera mala sunt pœnæ futuræ vitæ: vmbræ illorum sunt pœnæ præsentis vitæ: Omnia transierunt tanquam vmbra.

Epist. 77. paulò post prin.eius.

Pro. 29.

Sap.5.

SECVNDA PARS PRINCIPALIS. DE triplici ordinatione virtutum.

CAPVT II.

SEQVITVR de ordinatione virtutum.Possumus distinguere triplicem ordinem virtutum, scilicet ordinem plantationis, ordinem meritoriæ operationis, & ordinem reparationis. In ordine plantationis prima est fides. Primò enim docenda sunt opera fidei. In ordine meritoriæ operationis prior est charitas, quasi illam imperans. In omni enim operatione ordinata primum est amor siue desiderium finis: & ex illo sunt mediæ operationes, vt apparet in ædificatione domus, cuius causa est eius inhabitationis amor, ex quo amore, perpenditur non solum ædificatio, sed etiam quæ ædificationem iuuant, vt in-

quisitio operariorum. In ordine ergo meritoriæ operationis prior & principalior est charitas, & primò mouens. Fides verò deseruit tanquam lucernam præferens, ostendens qui & qualiter operari debeat. Illuminatio enim adiutorium est in opere, & illuminator, adiutor, non principalis est operator. In ordine verò parandi, prior in virtutibus affectus videtur esse humilitas. Si enim omnis peccati initium est superbia: Omnis correctionis principium est humilitas. Huic consonat quod reparator humani generis doctrinam suam inchoauit ab humilitate. Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Secundum glossam pauperes dicuntur humiles. Charitas inter omnes virtutes, quæ ordinant ad Deum, propinquius est fini, scilicet Deo, quem habet pro fine & materia. Diligit enim Deum propter se. Et cum videat finem videat; & spes illuc tendat; est enim spes insecutio, sicut timor est fuga; charitas vnio cum fine: Vnde cùm finis sit optimum, & fine habeant, quòd sint bona illa quæ sunt ad finem: charitas primo habet bonitatem inter virtutes, & per eam habent bonitatem cæteræ. Et secundum hoc intelligendum est quod dicit glossa super illud, 1. ad Tim. 1. quod charitas est radix omnium bonorum, in quantum sunt bona. Et sicut radix humorem mittit ad ramos sic charitas bonitatem ad opera cæterarum virtutum. Augustinus in sermone de charitate: Sicut radix omnium malorum est cupiditas: sic radix omnium bonorũ est charitas. Humilitas etiam potest dici radix virtutum, secundum

Eccl. 10.

Matth. 5.

Glossa ord. Ad illud: Finis præcep. est, etc. In tract. de laud. charit. in med. Tom. 9.

Iam proprietatem qua radix est pars arboris infima, terræ inhærens: sic humilitas infirmitatem suam considerans sub Deo collocat se in loco infimo. Fides etiam potest dici radix, quia radix in arbore est, quasi os in animali. Per radicem enim ingreditur ad arborem eius nutrimentum: sic per fidem ingrediuntur ad animam bona speranda & amanda.

Quomodo fides se habet ad cæteras virtutes.

CAPVT II.

FIdei est prouidere meditationes disponentes ad cæterarum virtutū operationes. Verbi gratia: Meditatio magnitudinis diuinæ misericordiæ disponit ad spem veniæ. Meditatio diuinæ liberalitatis, ad spem gratiæ & gloriæ. Meditatio diuinæ altitudinis, omni alteri altitudini supereminentis, disponit ad Dei reuerentiam. Meditatio diuinæ sapientiæ, omnia quæ agimus lucidè videntis, disponit ad sanctam verecundiam. Meditatio magnitudinis diuinæ dulcedinis disponit ad esuriem sanctam. Meditatio diuinæ bonitatis, qua amore est dignissimus, disponit ad amorem diuinæ amicitiæ. Ad dilectionem proximi disponit meditari, quòd hoc sit speciale præceptum Christi. Ad amorem Scripturæ sacræ, qua vera prudentia acquiritur, disponit meditatio auctoritatis doctorum eius, & vtilitatis ipsius. Est doctor ipsius Deus, vel per se, vel per homines veræ sanctitatis: vt patet discurrendo per partes ipsius. Spiritus sanctus reuelauit Moysi quod scripsit de mundi creatione, & de aliis qui ante ipsum fuerunt. Lex Dei

digito eius scripta est. De iudiciis & tabernaculi compositione & aliis ad cultum Dei pertinentibus à Deo edoctus est Samuel. Psalmi, soliloquia sunt Spiritus sancti. Salomonem dormientem docuit Deus sapientiam. Spiritus sanctus locutus est in Prophetis. Ad doctrinam Euangelicam specialiter pertinet illud: Ego ex ore altissimi prodij. Doctrinam Apostolicam constat esse Spiritus sancti. Spiritus enim sanctus super Apostolos descendens, eos de indoctis fecit doctos. Paulus verò dicit se non ab homine didicisse Euangelium: sed per Domini reuelationem. Ioanni autem in exilio posito, mysteria Ecclesiæ à Deo reuelata sunt. Doctrinæ sacræ conuenit illud: Ego quasi fluuius Dorix: & sicut aquæductus exiui de paradiso. Nec solum excellit Scriptura sacra alias Scripturas auctoritate, sed etiam vtilitate, tanquam diuina. Ego Deus tuus docens te vtilia: Sobrietatem, & sapientiam, & iustitiam, & virtutem, quibus vtilius nihil est in vita hominibus. Ad temperantiam, scilicet bonorum temporalium, quæ sunt minima bona, disponit meditatio internorum & æternorum bonorum, quæ sunt magna bona. Gregorius: Vilescunt temporalia: cùm considerantur æterna. Ad eandem temperantiam disponit meditari, quod bona temporalia comitantur mala culpæ. Qui enim diues fuerit, non erit immunis à delicto. Et sunt impedimentum bonorum gratiæ, & difficultatem faciunt perueniendi ad bona gloriæ. Ad patientiam & alias partes fortitudinis disponit meditatio Dominicæ passionis, & multiplicis vtilitatis tribulationis,

Eccl.24.

Actor.2.

Gal.1.

Eccl.24.

Isa.48.
Sap.8.

Hom.11.in Euang. habet aliquid tale.

tionis, & futurorum malorum, quæ sancti per transitoria mala euadunt, & meditatio præmij. Gregorius. Consideratio præmij, minuit vim flagelli. Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. *Rom.8.* Ad humilitatem & obedientiã dispo-nit meditatio humilitatis & obedientiæ Christi. Ad hoc specialiter monet nos Apostolus: Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu. Et *Phil.2.* subditur: Exinaniuit semetipsum factus obedi- *Serm.41.de* ens vsque ad mortem. Augustinus. Medicina tu- *verbis Do-* moris hominis, est humilitas Christi. Erubescat *mini in* homo esse superbus: quia humilis factus est De- *med.* us. Bernardus. Mementote fratres, Christus ne perderet obedientiam, perdidit vitam. Ad opera pietatis disponit, meditari, quòd pauper corporis Christi membrum sit, & quòd Christus sibi reputat fieri, quod pauperi fit: & quòd in tremendo iudicio specialiter de operibus pietatis disceptatio facienda sit.

Quomodo charitas se habet ad cæteras virtutes.

CAPVT III.

CHaritatis est, operibus cæterarum virtutum bonitatem prouidere: quod vt fieri possit, accendenda est dilectio Dei in nobis, ostensione amoris, quẽ Deus exhibuit nobis. Sicut enim ignis non melius accenditur quàm igne: ita nec amor melius quàm amore. Nutrienda etiam est Dei dilectio lignis beneficiorum diuinorum, generalium & specialium, quæ à Deo recepimus, & cõtinuè recipimus; vt ex feruenti Dei amore, abundantia operum perfectæ boni-

tatis procedat; ita vt in nobis locum non habeat pigritia, vel negligentia, vel fastidium: nec amor vanæ laudis, vel vanæ gloriæ, vel alicuius terreni emolumenti, charitatis opus præripiat, & sibi vsurpet.

Quomodo humilitas se habet ad cæteras virtutes.

CAPVT IIII.

AD humilitatem pertinet, vt si homo passus est ruinam, ipsa reparationi intendat; si immineat ruina, ipsa se opponat: & vt in ædificio spirituali, stabile fundamentum ponat. Bernardus. Sola virtus humilitatis, læsæ est reparatio charitatis. Humilitas ad nihilum peccatorem adducit: vt se nihil reputet, & in valore, & in virtute. Ex hoc nihilo fit recreatio: sicut ex nihilo simpliciter facta est creatio. Hoc non ignorabat Dauid, qui dicebat: Cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Qui etiam ait: Cor mundum crea in me Deus. Creatio mundi cordis, facta est ex nihilo humilitatis. Humilitas, quæ cor euacuat, locum Deo præparat. Humilibus dat Deus gratiam. Vasa vacua replet Heliseus. Non patitur natura vacuum, quin illud impleat: nec gratia cor humile, quin illi se infundat. Humilitas non solum est gratia, sed etiam receptaculum gratiarum. Humilitas gratiam haurit, vt vas inclinatum fonti bonitatis. Humiliare Deo, & expecta manum eius. Manum, inquam, largientem. Bernardus loquens de illo verbo: Ecce ancilla Domini; Semper solet esse diuinæ gratiæ familiaris humilitas. Humilitas ergo respondeat, vt sedes gratiæ præparetur.

Serm. 2. in nat. Domini circa finem.

Iacob. 4.
1. Pet. 5.
4. Reg. 4.

Hom. 4. super Missus est. à medio illius.

retur. Ruinæ imminenti subuenit humilitas: quia secundum Bernardum. Omni indifferēter personæ est quædam turris fortitudinis à facie inimici. Augustinus. Solus vincitur, qui de se præsumit. Humilitas ideo triumphat, quia Deus in ea pugnat. Verè humilis, Deo attribuit gloriam, quæ est de victoria: & ideo per consequens super eum est pugna. Eiusdem enim est pugna, & gloria de pugnæ victoria. Deus apud eum est rex gloriæ: & ideo est ei Dominus virtutum, virtutem ei conferens. Psal. Dominus virtutum, ipse est rex gloriæ. Humilitas in fundamento spiritualis ædificij stabilitatem prouidet. Bernardus in libro de consideratione: Virtutum bonum quoddam, & stabile fundamentum est, humilitas. Nempe si nutet illa, virtutum aggregatio nō nisi ruina est. Augustinus. Cogitas magnam fabricam cōstruere celsitudinis, de fundamento cogita humilitatis.

Lib. 2. de consid. parum à med.

Lib. 5. de consi. circa finem.

Quomodo timor se habet ad cæteras virtutes.

CAPVT V.

SEquitur de ordinatione timoris Domini ad cæteras virtutes, quem Spiritus sanctus ponit principium, & radicem sapientiæ. Timor Domini principium sapientiæ. Radix sapientiæ timere Deum. Et notandum quòd cùm sapientia sit sapore virtutum condîta scientia: duo pertinent ad sapientiam, scilicet cognitio, & affectio. Quantum ad cognitionem, timor est principium sapientiæ. Primò, quia mundat cor, iuxta illud: Timor Domini expellit peccatum. Mundando verò cor facit oculum cordis vide-

Pro. 1. *Eccl. 1.* *Eccl. 1.*

Serm. 62. super Cant. circa finē. re clarius. Bernardus. Sincero oculo veritas patet. Secundò, quia cùm fit fuga mali, fugit & cauet errorem, qui est malum rationis. Homo timoratus non leuiter credit, quod à ratione accipitur, sed diligenter illud examinat. Tertiò, quia repellit omnem negligentiam, secundum

Eccl. 7. illud: Qui timet Deum, nihil negligit. Cauet negligentiam in studio, & per diligens studium in sapientia proficit. Quartò, quia tumorem superbiæ expellit, qui susceptionem sapientiæ impedit: & humilitatem introducit, quæ ad sapi-

Serm. 62. super Cant. circa finē. entiam disponit. Bernardus: Superbo oculo veritas non videtur: Vbi humilitas, ibi sapientia. Quantum ad saporem, timor est principium sapientiæ: quia est prima affectio. Primò enim oportet animæ desipere mala: vt pòst ei sapiant bona. Bernardus. Bene initium sapientiæ timor Domini, quia tunc Deus primò animæ sapit, cùm eam afficit ad timendum: non cùm instruit ad sciendum. Timor cæteras virtutes purificat, opera earum scrutatur: si quid mali in eis inuenitur, facit illud corrigi. Etiam tuta pertimescit. Verebar omnia opera mea. Abundan-

Iob. 9. tiam bonorum operum illis procurat. Qui ti-

Eccl. 5. met Deum, faciet bona: Timor Domini sicut pa-

Ibid. 40. radisus benedictionis. Qui habet timorem Domini, semper timet ne faciat parum; plus elegit abundare, quàm deficere. Vnde verum est il-

Eccl. 40. lud: In timore Domini non est minoratio. Eiusdem: Timor Domini in plenitudine commorabitur. Timor etiam cæteras virtutes conseruat. Hieron. Timor, virtutum custos est; securi-

Eccl. 27. tas, ad lapsum facilis. Timor virtutes cõprimit,

ne

ne euaneſcant: Niſi te inſtanter tenueris in timore Domini, cito ſubuertetur domus tua. Timor declinat pericula: quod multum valet ad conſeruationem. In timore Domini declinatur à malo. *Pro.16.*

Quomodo ergo timor ſe habeat ad cæteras virtutes, ex prædictis perpulchrè patet inſpicienti.

TERTIA PARS. QVOD CLAVSTRALIS debet habere in deſiderio, manere in monaſterio.

CAPVT I.

SEQVITVR de ordinatione animi reſpectu locorum. Ad quem primo pertinet, vt is qui in religione eſt, non leuiter velit de monaſterio egredi. Manere in monaſterio, in deſiderio habeat: egredi verò, in patientia; ſi obedientia vel charitas vel pietas hoc requirat. Diſcurſus viri religioſi per mundum ſine neceſsitate, nec Deo placet, nec ipſum decet, nec ei ſecurus eſt. Ad primum pertinet illud: Dilexit mouere pedes ſuos, & non quieuit, & Domino non placuit. *Hier.14.* Stabilitas virum religioſum decet, quæ eſt quaſi quædam imago æternitatis. Seneca: Primum argumentum mentis compoſitæ, exiſtimo, poſſe conſiſtere & ſecum morari. Vir religioſus qui in clauſtro manere non poteſt, frequenter in mundo periclitatur. Semei, dum manſit in Hieruſalem, vixit: poſtquam exiuit de Hieruſalem, occiſus eſt: Et Dyna filia Iacob egreſſa, *Epiſt.2.circa prin.* *3.Reg.2.* *Gen.34.*

greſſa, vt videret mulieres regionis illius, rapta eſt & corrupta. Dyna ratione ſexus infirmi ſignificat clauſtralem mente infirmum, qui de clauſtro egrediens, dum mundi concupiſcibilia curiosè conſiderat, amore rapitur & corrumpitur. Piſcis extra aquam poſitus, non diu viuit.

Iſa. 50. Computreſcent piſces ſine aqua, & morientur in ſiti. Clauſtralis dum eſt in clauſtro bene ordinato, habet verba diuinæ Scripturæ, quibus vita ſpiritualis ipſius conſeruatur. Cùm autem diſcurrit per mundum, aqua iſta mutatur in ſanguinem, ſcilicet in verba ſecularia: & ſic occiditur. Corrumpunt enim bonos mores colloquia

1. Cor. 5. praua. Abel egreſſus in agrum, occiſus eſt: Simi-

Gen. 4. le accidit clauſtrali à clauſtro egredienti. Clauſtrales inquieti, ſunt ſydera errantia, de quibus legitur in canonica Iudæ. Sydera verò iſta errantia, aliquando fiunt ſydera cadentia. Poſtquam enim diſcurrendo per mundum, delitiis mundanis aſſueuerunt, & aſperitas religionis eis in diſſuetudinem venit: redeuntes ad clauſtrum, clauſtralis vitæ aſperitatem ſuſtinere non

Matth. 24. poſſunt, & apoſtatæ fiunt: Cadent ſtellæ de cœlo. Stella de cœlo cadit, cùm clauſtralis cœleſtem conuerſationem deſerens, ad ſeculum redit. Coruus ab arca egreſſus, ad arcam non eſt

Gen. 8. reuerſus. Cadaueribus enim eſt illectus. Sic clauſtrales per mundum diſcurrentes, aliquando amore carnalium delitiarum detinentur. Clauſtrales mundo familiares, ſunt ſicut aues cicures, quæ facile capiuntur. Viro religioſo expedit, non ſolùm ea quæ mundi ſunt relin-

Phil. 3. quere: ſed etiam obliuiſci. Quæ retro ſunt obli-

uiſcens,

uiscens,&c. Seneca: Vt animum possis continere, primum corporis tui fugam siste; deinde cõtinuata remedia prosunt plurimum. Interrumpenda non est quies,& vitæ prioris obliuio. Sine dediscere oculos,sine aures assuescere sanioribus verbis; quocunque processeris, in ipso transitu,quæ renouent cupiditates tuas,tibi occurrent. Ad quietudinem monet Apostolus: Rogamus vos fratres vt operam detis,vt quieti sitis. Item: Scitis quemadmodum oportet imitari nos, quoniam non inquieti fuimus inter vos. Maximè oportet nouitios esse quietos, & non citò egredi de monasterio. Seneca: Subducendus est populo tener animus, & parum tenax recti. Lucæ vlt. Sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto. Legitur de patre Moysi, quòd vidit eum elegantem & abscondit. Sapiens: Nascendi hanc legem natura fecit,vt maiora animalia visceribus parentum diutius continerentur. Sic multum valet ad hoc quod claustralis proficiat, si in claustro diu moretur antequam exeat.

Epist. 70. circa prin.

1. Thess. 4.

2. Thess. 3.

Epist. 7. in med.

Exod. 2.

De ordinatione animi quantum ad locum orationis.

CAPVT II.

ORdinandus est animus respectu locorum monasterij. Ordinandus,quantum ad locum orationis, correctionis,refectionis,dormitionis,& locutionis. Ad primam ordinationem pertinet,vt is qui in religione est, ad locum orationis magnum amorem habeat: & ei magnam reue-

reuerentiam exhibeat. Amare debet illum locum tanquam domum patris cœleſtis: vbi abipſo beneficia recipimus. Locus eſt eruditionis, locus propitiationis, locus refugij, & locus diuini ſolatij. Ignorans enim ibi eruditur, nõ ſolum exteriori eruditione per doctores Eccleſiæ: ſed
Iſa.2. etiam diuina inſpiratione. Venite aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas. Cùm deeſt humanum conſilium, recurrendum eſt ad diuinum in loco
2.Par.20. orationis. Cùm ignoramus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos ad te dirigamus. Peccator ibi veniã ſuſcipit. Quod
Exod.25. deſignatum eſt in propitiatorio, quod voluit Dominus fieri in tabernaculo. In Pſal. Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui. Ad illum locum refugere debent, qui ab hoſte inuiſibili fortiter impugnantur: ſicut tempore guerrę homines refugiunt ad munitiones.
Pro.18. Turris fortiſsima nomẽ Domini: ad ipſam currit iuſtus, & ſaluabitur. Altior enim & potentior
Gen.28. hoſte efficitur. Terribilis eſt locus iſte, ait Iacob, de loco vbi domus Dei erat ædificanda. Terribilis, inquam, dæmonibus. Locus ſolatij eſt ei qui expectat conſolationem Iſraël: qua conſolatione indignus eſt, qui ſectatur cõſolationem Eſau, id eſt, conſolationem mundi. In templo recepit Simeon conſolationem. Lucæ 2. Ad ordinationem iſtam pertinet, vt clauſtralis ad locum orationis libenter veniat, inuitus recedat, horis ſtatutis illuc venire nõ differat: ante completionem officij ſine neceſsitate non exeat. Ad locum orationis Spiritus ſanctus adducit clauſtra-

ſtralem: ſpiritus autem malignus ante tempus eum educit. Symeon venit in ſpiritu in templum. *Luc. 2.* Legitur ſecundo libro dialogorum Gregorij, quòd quidam monachus erat in quodam monaſterio à Benedicto conſtructo, qui ad orationem ſtare non poterat: ſed mox vt ſe fratres ad orationis ſtudium inclinaſſent, egrediebatur foras. Cumq; Benedictus veniſſet in illud monaſterium, & conſtituta hora, expleta pſalmodia, ſeſe fratres in orationem dediſſent, aſpexit vir ſanctus quod eundem qui in oratione manere non poterat, quidam niger puerulus per veſtimenti fimbriam foras trahebat: cuius ſpeciem diabolus aſſumpſerat. *Lib. 2. ca. 4.* Ad amandum locum orationis monemur exemplo Saluatoris: qui magnum amorem ad illum locum ſe habere oſtendit, in eo quòd quando veniebat in Hieruſalem, primo ibat ad templum. Ingreſſus vrbem primo templum adiit, Gloſ. dans formam religionis. Chryſoſtomus. Proprium erat boni filij, vt veniens primo curreret ad domum patris. Recedẽtibus parentibus, ipſe in templo remanſit: & matri quaſi conquerenti de hoc, ait: Quid eſt quod me quærebatis? Neſciebatis quia in his quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe? *Matth. 21. Gloſſa ord. ibid.*

Quòd magna reuerentia eſt exhibenda loco orationis.

LOco orationis magna reuerentia eſt exhibenda. Non legimus Chriſtum in iſta vita tantã iram per zelum oſtendiſſe, quantã oſtendit cũ vidit quod templo debita reuerentia non exhibebatur. Tunc impletum eſt illud Pſal. Zelus *Ioan. 2. Matth. 21.*

lus domus tuæ comedit me. Multis de causis exhibenda est reuerentia loco orationis. Primò, quia à Deo inhabitatur: Faciant mihi sanctuarium: & habitabo in medio eorum: In Psal. Sanctificauit tabernaculum suum altissimus, Deus in medio eius, supple, manet. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Postquam Iacob perpendit Dominum esse in loco vbi dormierat, expauit, & ait: Quàm terribilis est locus iste. Non solum terribilis est locus iste hostibus inuisibilibus: sed etiam hominibus ingredientibus. Maiestas enim Dei inhabitantis, timorem reuerentiæ debet eis incutere. Secundò, quia ab angelis frequentatur. Vnde Iacob vidit angelos ascendentes & descendentes in loco vbi domus Dei erat ædificanda. Specialiter dicunt angelos adesse, cum missa celebratur. Gregorius. Quis fidelium dubium habere possit, in illa immolationis hora ad sacerdotis vocem cœlos aperiri, atque in illo Iesu Christi mysterio Angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cœlestibus iungi. Si reuerentia exhibenda fuit loco vbi angelus apparuit Iosue: quanto magis exhibenda est loco orationis, qui ab angelis frequentatur? Salua calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo stas, sanctus est. Tertiò, propter sanctos, ad quorum honorem dedicatus est. Quartò, propter sacra, quæ ibi continentur, vt sunt sanctorum reliquiæ. Quintò, propter opera excellentia, quæ ibi aguntur. Sextò, propter beneficia quæ ibi recipiuntur. Septimò, propter sanctitatem quam in dedicatione suscepit.

Exod. 25.

Apoc. 21.

Gen. 28.

Iosue 5.

Quia

Quòd quinque pertinent ad reuerentiam loco orationis exhibendam.

AD reuerẽtiam loco orationis exhibendam quinque pertinent. Primum eſt, vt qui aſtare debet in cõſpectu Dei, cordis puritatem prouideat. Secundum eſt, vt quantum poteſt, Dei offenſam caueat. Tertium eſt, vt à terrenis cogitationibus & affectionibus cor expediat. Quartum, vt terrena opera non ibi agantur. Quintum, vt diſciplina omnimoda cantando & pſallendo ſeruetur. Neceſſaria eſt puritas viro religioſo: vt ſanctus ante ſanctum aſtet, & immaculatus ante immaculatum. Timẽdum eſt id quod per ſe, & maximè diſplicet Deo, ſcilicet peccatum, ante conſpectum Dei habere. Mundi ſunt oculi tui, vt non videas malum, & ad iniquitatem reſpicere non poteris. *Abac.1.* Elegit nos Deus, vt eſſemus ſancti & immaculati ante conſpectum ipſius. *Eph.1.* De contrario conqueritur Dominus. Populus qui ad iracundiam prouocat me, eſt ante faciem meam ſemper. *Iſai.65.* Ad cordis puritatẽ multum valet, ſi ſeruus Dei in ſpeculo Scripturæ ſacræ faciem animæ ſuæ frequenter inſpiciat: & ad lauacrum confeſsionis recurrat. Fuit lauatorium ante tabernaculum ſpecula habens: in quibus ingreſſuri tabernaculum maculas ſuas videntes eas lauabant. Gregorius. Specula ſunt Dei præcepta, in quibus animæ ſanctæ ſemper inſpiciunt, & ſi quæ in eis ſunt fœditates, deprehendunt. *Hom.7. in Euan. circa medium.* Oculi eius ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ. *Cant.6.* Lacte lota eſt anima, candorem lacteũ habens. Hieronymus.

Impoſsibile eſt quenquam Deo placere: qu
quid ei placeat, ignorat. Fieri poteſt, vt voto ob
ſequendi offendat: ſi quomodo obſequi debe
at, ante non didicit. Frequentanda eſt confeſsio
vt puritas cordis habeatur. Bernardus in epiſto
lis. Audi, cui places: ama, vnde places. Ama con
feſsionem, ſi affectas decorem. Confeſsioni iun
gitur decor. In Pſal. Confeſsio & pulchritudo i
conſpectu eius. Modum confitendi oſtendi
Serm. 16. in Cant. poſt medium. Bernardus dicens: Omne quod remordet con
ſcientiam, confitere humiliter, purè & fideli
ter. Ad humilitatem pertinet, vt culpam tu
am, & in his quæ commiſiſti, & in his quæ o
miſiſti, humiliter recognoſcas: & miſerum ſta
tum, ad quem adduxit te peccatum, agnoſcas
& vt intelligas, quantum Dei gratia ſit neceſſa
ria, tibi vt eam quæras. Adduxit te peccatum
ad nihilum. In Pſal. Ad nihilum redactus ſum
& neſciui. Ad nihilum autem, quantum a
Hier. 2. valorem & virtutem. Quàm vilis facta es ni
mis iterans vias tuas. Humilitas vas cordis in
clinat, vt Dei gratiam recipiat. In Pſalm. C
contritum & humiliatum Deus non deſpicie
Pura debet eſſe confeſsio ſine falſitatis admix
tione, ſine peccati defenſione, ſine ſui excuſa
tione aut commendatione, ſine alterius mali
tioſa accuſatione, ſine corrupta intentione. Ad
fidelitatem pertinet, quòd qui confitetur, fide
liter negotia Dei agat: peccata ſua manifeſtans
ad Dei gloriam, & ſui confuſionem. Eſt enim
confuſio adducens gratiam. In Pſal. Dixi, con
fitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domi
no: & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Ad
fide-

fidelitatem etiam pertinet, vt de effectu & vtilitate Sacramenti veram fidem habeat. Cordis puritatem requirunt, & oratio, & Dei laudatio. Multum valet cordis puritas ad hoc, vt oratio exaudiatur. Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus. Glossa. Puritas orationis exauditur. Oratio pura cœlum intrat, & impetrat. *Glossa ord. ibid.* Vnde super illud Psal. Intret oratio mea in conspectu tuo, dicit glos. Virtus magna puræ orationis hîc notatur, quæ quasi quædam persona ad Deum intrat, & mandatum peragit: quò caro peruenire nequit. Aliter est de oratione nõ pura. Non intrabit in ea aliquid coinquinatum. *Apoc. 21.* Laudatio etiã diuina puritatem requirit: Nõ est speciosa laus in ore peccatoris. In Psal. Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas? *Eccl. 16.* Laudatio si sit decora, Deo est iocunda. Psal. Deo nostro iocunda sit laudatio. Dei laudatio, est angelica operatio. Vnde angelicam puritatem requirit. Bernardus loquens de cœlesti ciuitate: Eius operatio, est assidua Dei laudatio. In Psal. Beati qui habitãt in domo tua Domine: in secula seculorũ laudabunt te. Operatio ista Deũ honorificat, secundũ illud: Sacrificium laudis honorificabit me: si tamen ipsa nõ sit inhonorata. Inhonoratur, quæ ab ore polluto egreditur. Ostende mihi faciem tuam: sonet vox tua in auribus meis. *Cant. 2.* Vox enim tua dulcis: & facies tua decora. si decora est facies, vox est dulcis. Multum cauẽda est offensa Dei in loco orationis. Valde enim peruersum est, ibi prouocare Dei iram, vbi recipimus eius gratiã: Valde culpabilis est, qui regi gloriæ in loco gloriæ contumeliam,

meliam nõ timet inferre. Locus gloriæ eſt locu
orationis, ſecũdum illud Pſal. Dñe dilexi deco
rem domus tuæ: & locũ habitationis glorię tu
Locus gloriæ dicitur: quia talis debet eſſe, vt
Dei gloriam cedat. Decet regẽ glorię, habitatio
3. Reg. 6. nem glorioſam habere. Nihil erat in templ
quod auro non tegeretur. Item locus gloriæ d
citur, quia beneficia Dei ibi recipiuntur: per q
apparet Deus glorioſus. Item opera ibi age
debemus, quæ Deum glorificent: vt eſt orati
adoratio, peccatorum noſtrorum confeſsio,
Dei laudatio. Conſueuerunt pauperes multu
ſecundum ſuam facultatem honorare perſon
ſublimes, cùm ad eos declinant. Multum D
maieſtas eſt à nobis glorificanda: quæ ad vr
tatem noſtram domum dignatur eligere, in q
nobiſcum cohabitet. Vnde hoc vili vermicu
quòd Deus cùm eo habitare vult? Cor expe
Exod. 3. endum eſt à terrenis cogitationibus & affect
nibus. Solue calciamentum de pedibus tuis. l
cus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt. Bernar
Cap. 6. in prin. in meditat. Cùm ad orandum ſiue pſallend
in Eccleſiam intraueris, fluctuantium cogi
tionum tumultum exterius relinque: curam
omnium exteriorum penitus obliuiſcere: vt
li Deo poſsis vacare. Fieri non poteſt, vt cu
Deo loquatur, qui cum toto mundo, etiam r
cens, fabulatur. Intende ergo illi, qui intend
tibi. Audi illum loquentem tibi, vt ipſe exaud
at te loquentem ſibi. Cauendum eſt ne in loc
In 3. reg. cap. 8. orationis opera terrena agantur. Auguſtinus
regula. Nemo in oratorio aliquid agat, niſi
quod factum eſt, vnde nomen accepit. Legi
quo

quod non finebat Saluator, vt quisque transferret vas per templum. Ad disciplinam in cantando & psallendo seruandam, pertinent ea quæ Bernardus tangit super Cant. his verbis: Immolantes hostiam laudis, & reddentes vota nostra de die in diem, curemus omni vigilantia iungere sensum vsui, affectum sensui, exultationem affectui, grauitatem exultationi, humilitatem grauitati, libertatem humilitati. Sensus iungendus est vsui, id est, psalmorum intelligentia cum attentione prolationis vocis. Vnde super illud Psal. Psallite sapienter, dicit glossa: Nemo sapienter facit, quod non intelligit. Bernardus. Cibus in ore, psalmus in corde sapit. Non negligat anima illum terere dentibus intelligentiæ, vt si fortè integrum glutiat, frustretur palatum sapore. Dulciora super mel & fauum. Item iungendus est affectus sensui. In libro de vita solitaria. Nunquam intelliges Dauid, donec experientia ipsos psalmorum indueris affectus. Dauid intelligit in illo Psalmo: Domine ne in furore tuo arguas me, &c. qui affectum timoris induerit, vt ad intuitum illius furoris, quem in die illa Dominus exercebit, contremiscat. Hieronymus. Quoties illum diem cogito, toto corpore contremisco. Dauid intelligit in illo Psal. Deus iudicium tuum regi da: qui districtionem extremi iudicij timet: & ad Saluatorem amorem magnum habet. Duplici enim affectu Dauid poterat incitari ad illud petendum: scilicet timore damnationis, & amore salutis. Item exultatio iungenda est affectui. Hieronymus. Melior est quinque psalmorum cantatio cum cordis puri-

Serm 13. paulò à fine.

Glossa ord. ex Aug.

Serm. 7 super Cant. circa medium.

tate, ac ſerenitate, ac ſpirituali hilaritate: quàm totius pſalterij modulatio cum anxietate cordis atque triſtitia. Item, quia leuitas ſolet comitari exultationem: iungenda eſt grauitas exultationi. Dauid, In populo graui laudabo te. Et quia homines graues ſolent contemnere homines leues; vel de grauitate ſua vanam gloriam quærere: ideò iungenda eſt humilitas grauitati. Item quia humilitatem quandoque ſequitur puſillanimitas, iungenda eſt etiam humilitati libertas: quæ eſt, cùm cor dilatatum eſt abundantia gratiæ, vt merè & voluntariè faciat quod pro

2. Cor. 3. Deo facit. Vbi ſpiritus Domini ibi libertas. Sapiens: Libertas eſt poteſtas viuendi vt velis. Pſalmodia debito modo facta, multum eſt fructuoſa: cùm ad aduentum Spiritus ſancti ſit præparatiua. Gregorius. Vox pſalmodiæ cùm per intentionem cordis agitur, per hanc omnipotenti Deo iter paratur ad cor: vt intentæ menti vel prophetiæ myſteria, vel gratia compunctionis infundatur.

4. Reg. 3. Cum quidã reges vellent, quod Helizeus prophetaret, ait: Quærite mihi pſaltem. Et cum pſalleret, excitatus eſt ſpiritus eius, & prophetauit.

Quod diſſolutio in choro ſit multum cauenda.

ET notandum quod cùm viro religioſo vbique cauenda ſit diſſolutio: ſpecialiter tamen eſt ei cauenda in choro, vbi ante Deum ſtatur, & diuinæ laudi intenditur. Vnde inter duodecim abuſiones clauſtri, quæ à B. Bernardo aſſignantur, diſſolutio in choro ponitur. Abuſiones illæ ſunt iſtæ: Prælatus negligens, diſci-

pulus

pulus inobediens, iuuenis otiosus, senex obstinatus, monachus curialis, Religiosus causidicus, habitus pretiosus, cibus exquisitus, rumor in claustro, lis in capitulo, dissolutio in choro, irreuerentia iuxta altare. Dissolutio in choro multum cauenda est, quia in illa offenditur Deus, cuius laudi intenditur, quæ ex hoc perturbatur. Offenduntur fratres, quorum deuotio impeditur. Offenduntur angeli psallentibus adiuncti: qui psalmodiam auscultant. In Psalm. Præuenerunt principes coniuncti psallentibus. Quæ habitas in hortis, amici auscultant te, fac me audire vocem tuam. Bernardus super Cantic. Psallentibus dignanter angeli admisceri solent: propterea attendite angelos, fratres, cùm statis ad orandum & psallendum: & state cum reuerentia & disciplina. Nimirum missi in ministerium propter nos, vt hæreditatem capiamus salutis. Deuotionem nostram insuper ferunt: referunt gratiam. Vsurpemus officium, quorum sortimur consortium, laudem cum cœli cantoribus in commune dicentes: vtpote ciues sanctorum & domestici Dei. Hoc enim bonum est: tum propter nos, ad releuandos vitæ præsentis labores; qui vtique tolerabiliores nobis fiunt existentibus in laude Dei: tum quia nil ita propriè quendam in terris repræsentat habitationis cœlestis statum, sicut alacritas laudantium Deum. Idem: O si quis haberet cordis oculos apertos, videret qua cura, quoue tripudio intersunt cantantibus: adsunt orantibus, insunt meditantibus, supersunt quiescentibus, ordinãtibus & procurantib⁹ præsunt.

Psal. 67.
Cant. 8.
Serm. 7. super Cant. circa medium.

In meditat. cap. 6. paulò post princip.

Agnoſcunt nimirum ſupernæ poteſtates conci-
ues ſuos, & pro his qui hæreditatem capiunt ſa-
lutis, ſolliciti congaudent: confortant, inſtru-
unt, & protegunt. Ad diſſolutionem in choro
hæc pertinent: oculorum euagatio, riſus ex de-
fectu fratris prouocatus, incitatio aliorum ad
riſum per aſpectum, vel aliter facta locutio in-
ordinata, præſumptio cantandi aliud quàm
ſcriptum ſit, vel aliter quàm cæteri cantant: ni-
mia vocis exaltatio: modulatio vocis ſtudioſa &
curioſa. Reprehenſibilis etiam eſt in cantu di-
minutio vocis fraudulenta. Oculorum euaga-
tio, mentis euagationem indicat. Hugo de ſan-
cto Victore: Sunt quidam qui mente vagi, plan-
parietum proſpicientes perluſtrant, aliud can-
tant, & aliud cogitant. In choro ſunt corpore, &
in foro mente. Riſus prouocatus ex defectu fra-
tris, ſignum eſt internæ malitiæ: ſicut dolor pro-
uocatus ex profectu fratris. Qui à riſu vult ca-
uere, ab aſpectu fratrum oculos corporales de-
bet cohibere: & oculos cordis in Deum dirige-
re. Et quia in choro loquimur cum Deo, & De
allocutionem expectamus, ceſſandum eſt ibi ab
humano colloquio. Nihil leuitatis eſt ibi præ-
ſumendum. Auguſtinus in regula: Quod non
ita ſcriptum eſt, vt cantatur: non cantetur. Ca-
uenda eſt nimia vocis exaltatio. Melius eſt can-
tare aptè quàm altè. Apud Deum altè cantat hu-
militas, cùm cantus eius de cœlo audiatur. Ora-
tio humiliantis ſe nubes penetrabit. Hugo de S.
Victore: Timeo ne ſicut delectantur altitudine
vocis, delectentur etiam elatione mentis. Idem:
Differt muſica Diaboli, à muſica Chriſti. Illa

Lib. 3. de clauſtro animæ, cap. 32.

In 3. regula, cap. 10.

Eccl. 35.

In lib. de clauſtro animæ, c. 22.

voca

voce ſublimiori incipit, hæc autem ab humiliori. Ille ait: Ponam ſedem meam ad Aquilonem, & ero ſimilis Altiſsimo. Chriſtus ait: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Non decet etiã viros religioſos ſtudioſa & curioſa vocis modulatio, nec eis expedit, quia animi deuotionem impedit. Bernardus: Sæpè vocem meam fregi, vt dulcius canerem; magis delectabar in vocis modulatione, quàm cordis compunctione. Deus verò, cui nõ abſconditur quidquid illicitum perpetratur, non quærit lenitatem vocis, ſed cordis puritatem. Præponenda eſt dulcedo cordis, dulcedini vocis. Dulcis eſt vox illa, ad quam Altiſsimus aurem ſuam inclinare dignatur. Viro religioſo contemnenda eſt delectatio, quæ eſt ſecundum auditum, ſicut & delectationes quæ ſunt ſecundum alios ſenſus. Illa delectatione frui, conſiſtendo ibi, non videtur perfectæ ſobrietati conuenire. Gregorius. Cùm blanda vox quæritur, ſobria vita deſeritur. Auguſtinus: Cùm accidit, vt me amplius cantus, quàm res quæ cantatur moueat, pœnaliter me peccaſſe profiteor. Modulationi vocis intendentes, vt frequenter potius volunt placere hominibus, quàm Deo. Hugo de S. Victore: Sunt alij voce diſſoluti, qui vocis modulatione gloriantur, nec tantùm gaudent de dono gratiæ, ſed alios ſpernunt tumentes elatione. Quanta leuitas vocis, tanta forſitan & mentis. Cantant forſitan, vt placeant populo magis quàm Deo. Qui ſic cantant, non cantant in choro cum Maria ſorore Moyſi, ſed in palatio cum Herodiade, vt placeant diſcumbentibus vel Herodi.

In meditat. cap. 8.

Li. 10. confeſſ. cap. 34. in fine.

Lib. 3. de clauſtro animæ, c. 22. Tom. 2.

Tales vendentes & ementes sunt in templo; vendunt cantandi gratiam, humanam ementes gloriam: digni à templo à Saluatore expelli. Studiosa vocis modulatio ad Dei gloriam potest pertinere: sicut & alia quæ ad decorem rerum sacrarum studiosè fiunt. Infirmis etiam & imperfectis valere potest ad releuationem laboris præsentis vitæ. Perfectis etiam valere potest ad releuationem eorum in contemplationem futuræ iocunditatis; tam vt frequenter nociua est ipsis cantantibus, & maioris boni impeditiua. Cauenda est fraudulenta vocis diminutio, qualis est in iis qui per se cantantes sonorius cæteris cantant: cantantes verò cum aliis sibi parcunt, à communi labore se subtrahentes, onus psalmodiæ & cantus super alios relinquentes. Quod accidere solet hominibus, qui magis volunt placere hominibus, quàm Deo. Nolunt enim in cantu communi laborare, cùm in hoc non appareant hominibus. Modum psallendi ostendit Bernardus his verbis: Moneo vos dilectissimi, purè semper ac strenuè diuinis interesse laudibus. Strenuè quidem, vt sicut reuerenter, ita alacriter Domino assistatis, non pigri, non oscitantes, non somnolenti, non parcentes vocibus, non præscindentes verba dimidia, non integra transilientes, non fractis & remissis vocibus, muliebri quidem balbutiente voce consonantes: sed virili, vt dignum est, sonitu & affectu voces Spiritus sancti depromentes. Purè verò, vt nihil aliud quàm quod psallitis cogitetis. Nec solas dico cogitationes vanas & otiosas vitandas, sed vitandæ sunt etiam & illæ, illa hora

Serm. 47. super Cant. circa finē.

&

& illo loco, quas officiales fratres pro communi necessitate quasi necessariò frequenter admittere compelluntur. Sed nec illa quidem profecto tunc recipere consuluerim, quæ forte paulò antè in claustro sedentes in codicibus legeratis, qualia, me & nunc viua voce differente, ex hoc auditorio Spiritus sancti recentia reportatis. Salubria enim sunt, sed minimè illa inter psallendum salubriter reuoluuntur. Spiritus enim sanctus illa hora gratum non recipit, quidquid aliud quàm debes, neglecto eo quod debes, obtuleris.

Quòd reuerentia multa iuxta altare sit adhibenda, & irreuerentia multum cauenda.

SIcut multum cauenda est dissolutio in choro: sic multum cauenda irreuerentia iuxta altare. Ad exhibendam reuerentiam ibi, primo mouet præparatio quã sacerdos & ministri accessuri ad altare faciunt, in ablutione manuũ & oris, & ornatũ sacrarum vestium, & cõfessione. Inurbanum.n.est non lotis manibus, id est, operibus, ad mensam regis gloriæ accedere. Necessaria est accedẽtibus ad altare manuum puritas, cum secundũ puritatem manuũ Deus retribuat, id est, secundũ puritatẽ actionum. Aug. Meli⁹ est, penitus spirituala omitti, quã impurè tractari. Puritas etiã oris necessaria est, cum in hoc mẽbro magis indecens sit immunditia: & hoc mẽbrũ sit magis diuino officio deputatũ. Candor etiã innocentiæ cum ornatu cæteratũ virtutũ in ministris ad altare accedentib⁹ debet splendere. Defectus verò si quis adest, humilitate cõfessionis

nis

nis debet ſuppleri. Bernardus. Apud Dominum fratres ius habere non poſſumus, quia in multis offendimus omnes: ſed nec fallere eum. Ipſe enim nouit abſcondita cordis, quanto magis opera manifeſta? Nec reſiſtere viribus, quoniam omnipotens eſt. Quid ergo reſtat, niſi ad remedia humilitatis tota mente confugere: & quicquid in aliis minus habemus, de ea ſupplere? Periculoſum eſt ad altare abſque præparatione accedere, vt figuratum eſt Leuit. 16. Vbi Dominus dixit Moyſi: Loquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur ſanctuariũ, quod eſt intra velum coram propitiatorio, quo tegitur arca, vt non moriatur (quia in nube apparebo ſuper oraculum) niſi hæc ante fecerit, &c. Tunica linea veſtietur, fœminalibus lineis verenda celabit. Accingetur zona linea, cydarim lineam imponet capiti. Tunica linea pertinet ad candorem innocentiæ, quæ eſt ei neceſſaria, vt ſcilicet ſit abſque nigredine malitiæ. Fœminalia linea pertinent ad continentiam, zona linea ad ſobrietatem, vt ſit ſine ventris ingluuie. Cydaris linea ad intentionis puritatem. Reuerentiam etiam requirit ſanctitas vaſorum, quæ tractari debent. Mundamini qui fertis vaſa Domini. Omnis homo, qui acceſſerit ad ea, quæ conſecrata ſunt, in quo eſt immunditia: peribit coram Domino. Item reuerentiam requirit ſacroſanctum corpus Dominicum. Interfectus eſt Oza tangens arcam. Cauſſam huius dicunt Hebræi fuiſſe, quòd in nocte præcedenti cum propria vxore dormierat. Si temeritatem illam ſic puniuit Dominus, quanta pœna digni ſunt, qui ſine

Iſa. 52.
Leuit. 22.

2. Reg. 6.

sine reuerentia ad Dominicum corpus accedunt, cuius figura fuit arca? Sacerdotes qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos. Item reuerentiam requirit ministerium angelorum, qui ministris Ecclesiæ in altaris ministerio associantur. Cum contraria iuxta se posita magis fiant manifesta, magis indecens est impuritas ministrorum Ecclesiæ, puritati angelorum præsentium comparata. Maximè cauenda est irreuerentia his qui corpus dominicum sunt accepturi. Legitur enim in libro Paschasij, quòd quicunque indignè communicant, nisi bonitas Christi, cuius iudicio omnia pendent, gladium suspenderet, & temporalem mortem, vt pœniteant, remoueret: ab angelis ad hoc positis perimerentur. Irreuerentia ista non solum in futuro: sed etiam in præsenti punitur. Vnde post illud: Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit: subditur: Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. Glos. Infirmi febribus & aliis infirmitatibus; imbecilles, longa inualetudine; dormiunt, id est, moriuntur morte corporali. Irreuerentia ista comparatur peccato crucifigentium Christum. Quicunque manducauerit panem, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Ambrosius.

Exod. 19.

1. *Cor.* 11.

Glossa interlineari ibid.

Ibid.

Mortis Christi pœnas dabit, id est, ac si Christum occiderit, punietur.

De

De ordinatione pertinente ad locum correctionis.

CAPVT III.

SEquitur de ordinatione pertinente ad locum correctionis. Ad hanc ordinationem primò pertinet, vt is qui in religione est, correctionem multum diligat. Multum amanda est correctio, etiam ab eo qui est in seculo, sed amplius ab eo qui est in claustro. Quadruplici ratione amanda est correctio à quocunque. Prima est, quia corrigibilitas distinguit inter hominem malum & diabolum. Homo malus dum est in hac vita mortali, susceptibilis est correctionis, diabolus non. Vnde incorrigibilitas multum assimilat hominem diabolo, secundum illud: Qui odit correctionem, vestigium est peccatoris. Sicut vestigium valde est simile pedi, sic qui odit correctionem, valde similis est diabolo, qui antonomasicè dicitur peccator. Secunda ratio, quia correctio valde congruit loco in quo sumus. In cœlo non habet locum correctio, cum nulla ibi sit corruptio peccati. In inferno verò nõ est possibilis correctio, licet sit ibi peccati corruptio. Sed in hac valle miseriæ, est & peccati corruptio, & possibilis correctio. Ad hoc posuit Deus hominem in hoc loco, vt sub virga diuinæ disciplinæ viueret: & mala sua ibi corrigeret. Corrigibilitas est maximum bonum præsentis vitæ, vel de maximis bonis. Hoc bono nõ amato, bonum esset peccatori si natus non fuisset. Melius esset ei esse canem vel bufonem, quàm hominem. Tertia ratio est, quia correctio est multum vtilis; virga correctionis fructifera

Eccl. 25.

est,

est. Vnde signata est per illã virgam, quæ protulit flores & amigdala. Melior est manifesta correctio, quàm amor absconditus. Virga atq; correctio tribuit sapientiam. Quarta ratio est, quia defectus correctionis valde est noxius, & periculosus. Vbi deest correctio, abundat peccati corruptio. Vnde qui odit correctionem, amare videtur corruptionem. Propter quod qui hic non corrigitur, in futuro damnabitur. Proiecit Moyses, & versa est in colubrum. Coluber occidit, virga non. Si percusseris eum virga, non morietur. Virga correctionis in colubrum vertitur, quia qui hic non corrigitur, in futuro à serpentibus infernalibus cruciabitur. Qui odit increpationes, morietur. Qui odit correctionem, minuetur vita; & vita naturæ, & vita gratiæ. Viro qui corripientem se dura ceruice contemnit, repentinus ei superueniet interitus. Amor correctionis signum est sapientiæ. Argue sapientem, & diliget te. Vir prudens & disciplinatus non murmurabit correctus. E contrario odium correctionis signum est insipientiæ. Qui odit increpationes, insipiens est. Insipiens gratiam correctionis reputat iniuriam & contumeliam: ideo non volens ei vicem reddere, si potest, diffamat eum. Qui arguit impium, sibi maculam generat.

Num.17.
Pro.27.
Ibid.29.
Exod.4.
Pro.26.
Pro.15.
Eccl.19.
Pro.29.
Pro.9.
Eccl.10.
Pro.12.
Ibid.9.

Quòd specialiter amanda est correctio ab eo qui est in religione.

SPecialiter amanda est correctio ab eo qui est in religione. Religio enim est locus correctio-

rectionis. Ad hoc homo ingreditur eam, vt ma-
la ſua ibi corrigat. Incorrigibilitas eſt ſpecialis
cauſſa, quare aliquis à religione eſt expellendus,
quando ſcilicet culpas non timet committere
& pœnam recuſat ferre. Gratia valde neceſſaria
eſt ei qui in religione eſt, ad hoc quòd benefi-
habeat ad correctionem: quæ gratia ſi deſit, fre-
quenter eſt in perturbatione, nec in religione
proficit, & vix ibi perſeuerat. Ad amorem cor-
rectionis primo pertinet, vt clauſtralis ad lo-
cum correctionis libenter veniat. Locus iſte
hoſtibus noſtris eſt terribilis, dæmonibus ſci-
licet, & vitiis. Dæmones locum illum & metu-
unt & odiunt. Quando enim frater ea quæ dia-
bolus ei ſuggeſsit, humiliter ei qui locum De
tenet, oſtendit, & diſciplinæ humiliter ſe ſubdit
diabolus triſtatur, ac ſi ipſe flagellaretur. Legi-
Lib. 2. ca. 4. tur quòd cum B. Benedictus quendam mona-
Dial. Greg. chum, quem niger puerulus à loco oratio-
extrahebat, virga percuſsiſſet, non eſt antiqui
hoſtis auſus dominari in eius cogitatione: ac
ipſe percuſſus fuiſſet ex verbere. Et ſicut locus
correctionis diabolo eſt exoſus: ſic Spiritui ſan-
cto valde eſt gratus. Peccata enim ibi arguun-
tur, & remittuntur. Argutio verò peccatorum
Ioan. 16. & remiſsio, ad Spiritum ſanctum pertinet. Ar-
guet mundum de peccato. Libenter debet clau-
ſtralis venire ad iudicium capituli, per quod e-
uaſurus eſt diſtrictum iudicium Dei. Quod ta-
Eccl. 32. men multi non faciunt. Peccator homo vitabi
correptionem. Item ad amorem correctionis
pertinet, vt clauſtralis libenter accuſationem
faciat. Accuſationem verò ſui ab alio factam
patien-

patienter sustineat: & correctioni eius qui præest acquiescat. Plus debet odire mala sua, quàm mala alterius: & amplius ea persequi. Seruus verè humilis, secundum Bernardum, non vult humilis prædicari. Conscientiam magis amplectitur quàm famam: plus diligit bonitatis puritatem, quàm nomen. Et non solum qui præest, sed etiam fratres qui adsunt, reputat volentes & valentes suis infirmitatibus mederi, ad minus orando: ideo infirmitates suas eis libenter manifestat. Illos verò qui eum accusant, reputat obsequentes, non persequentes: medicantes, non sagittantes. Ideò nec irascitur contra eos, imò patienter accusationem sustinet, quod valde laudabile est. Augustinus ad Hieronymũ. Cum satius sit à tenendo itinere in nullo, quam in aliquo declinare: multo tamen est mirabilius & laudabilius libenter accipere corrigentẽ, quam audacter corrigere deuiantem. Acquiescere corrigenti signum est discretionis: non acquiescere verò, signum est stultitiæ & peruersitatis. *Pro. 17.* Plus proficit correctio apud prudentem, quàm centum plagæ apud stultum. Si contuderis *Ibid. 27.* stultum in pila, quasi ptisanas feriente desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia eius. Peruersi *Eccl. 1.* difficile corriguntur. Peruersus est, qui intellectu & affectu est corruptus.

Quomodo se debet habere in loco correctionis, qui iudicat & qui accusat.

ET notandũ quòd in loco correctionis cũncta ordinatè sunt facienda. Multum enim

cauendum est ne culpæ augeantur, vbi deber deleri: & ne locus correctionis fiat locus corru ptionis. Multum cauendum est ei qui præest, qu iniustitias aliorum debet corrigere, ne iniust agat. Cauendum est illi qui accusat, ne accusa tio eius sit accusabilis, vel reprehensio repre hẽsibilis. Ille verò qui accusatur, sic se debet ha bere, vt eos quos exemplo suo malo scandaliza uit, humilitate & patientia sua ædificet, & no amplius scandalizet. Omnes ibi reuerẽter se de bent habere, cùm iudicium capituli imago quæ dam sit iudicij diuini futuri. Non debent de de fectibus fratrum, qui manifestantur, ridere: sed compati, & pro eis orare. Iustitiã eius qui præe debet comitari discretio, pietas & mansuetud In eo qui accusat, apparere debet charitas & mo destia. In eo qui accusatur, humilitas, patientia & obedientia. Quòd discretio & mansuetud sint necessariæ, significatũ est in hoc quod in arc fuerunt cum virga testamenti tabulæ & manna In virga. n. intelligitur correctio: In tabulis, vb lex erat scripta, discretio: in mana, mansuetud Pietas necessaria est. Ignis. n. zeli ardere debet oleo misericordiæ. Greg. super Ezechielem: zel sancti discretio, de virtute misericordiæ neces sarium est vt ardeat. Aug. Duo sunt nomina, ho mo, peccator. Quia peccator est, corripe: qui homo est, miserere. In Psal. Corripiet me iustu in misericordia, & increpabit me. Nolite qua inimicum existimare illum: sed corripite vt fra trem. Ad discretionẽ eius qui præest, primo per tinet, vt correctionem efficacem opus diuinum esse intelligat: & ideo ante correctionẽ, oratio nem

Hom. 12. aliquantulũ à fine.

2. Thes. vlt.

nem debet prȩmittere:& ſi viderit fratrem correctum,Deo inde debet gloriam dare,& gratias agere. Conſidera opera Dei, quod nemo poſsit corrigere,quem ille deſpexerit. Cõſiderandum eſt,quę opera ſint propriè Dei,alterius virtuti nõ poſsibilia:inter quæ correctio inuenitur. Ad diſcretionẽ eius etiã qui præeſt, pertinet, vt agnoſcat quę culpę ſecretò,& quę manifeſtè ſint corrigendæ. Occulta culpa ſecreto eſt corrigenda, maximè ſi infamiam generat: Si peccauerit in te frater tu⁹, corripe eum inter te & ipſum ſolum. Manifeſta culpa manifeſtè eſt corrigenda. Peccantes coram omnibus,argue:vt & cęteri timorem habeant. Quod dicitur coram omnibus,referendum eſt ad participium & ad verbũ. Iſidorus:Manifeſta peccata, non ſunt occulta purgatione purganda. Palam arguẽdi ſunt,qui palam nocent: vt dum aperta obiurgatione ſanãtur,hi qui eos diligunt,imitando corrigantur. Item ad diſcretionem eius qui præeſt pertinet, vt agnoſcat cui vel quando debeat parcere vel punire. Cùm parcere & punire ſint contraria,& contrariorum eadem ſit diſciplina, qui neſcit parcere, neſcit punire. Gregor. Siue plectendo,ſiue parcẽdo, hoc ſolùm bene agitur, vt vita hominum corrigatur. Attendendus eſt ſtatus perſonarum, quæ corriguntur,quia non ſanat oculum, quod ſanat calcaneum. Cum veterano parcius agendum eſt: vt ait Seneca. 1. ad Timoth.5. Seniorem ne increpaueris, ſed obſecra vt patrem. Qui nõ poſſunt benignitate corrigi:terrore ſunt corrigendi. Auguſtin. ad Bonifacium. Quidam dixit; pudore, & liberalitate liberos retinere,

Eccl.7.

Matth.18.

1.Tim.5.

Epiſt.25. paulò à principio.

Epist. 50. *circa med.* satius esse credo, quàm metu. Et subdit Augustinus: Hoc verũ est, sed sicut meliores sunt quos dirigit amor: ita plures sunt quos timor corrigit. Isidorus: Qui blando verbo castigatur, & ni corripitur: acrius necessarium est, vt arguatur. Cùm dolore enim abscindenda sunt, quæ leniter sanari non possunt. Mansuetudo necessaria est in correctione. In Psal. Superuenit mansuetudo, & corripiemur. Seneca: Vitia animi, sicut vitia corporis, leuiter tractanda sunt. Gal. 6. Vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris. Agnoscens infirmitatem propriam compatitur alienæ: & in mansuetudine proximum corrigit. In Psal. Sciant gentes quoniam homines sunt. Intellige quæ sunt proximi tui extra ipso. Gregorius. Omnipotens Deus idcirco principem Apostolorum permisit cadere: vt ex culpa sua disceret, qualiter aliis misereri deberet. Super omnia cauendum est ei qui in loco correctionis præest, ne ira ei dominetur. Ira enim, furor breuis est, secundum sententiam sapientis. Ira aufert veram iustitiam, iuxta illud Iacob. 1. Ira enim viri iustitiam Dei non operatur. Ira discretionem minuit, quia impedit animum, ne possit cernere verum. Ira misericordiam aufert, iuxta illud: Ira non habet misericordiam. Ira contraria est mansuetudini. Mansuetudo enim est temperantia in vi irascibili sicut sobrietas vel continentia est temperantia in vi concupiscibili. Ira verò est turbatio irascibilis. In accusante debet charitas apparere. Virga enim correctionis procedere debet de ra-

Eccl. 31. *Hom.* 21. *super Euang. circa med.* *Seneca ep.* 18. *circa finem.* *Pro.* 27.

ce Ieſſe, id eſt, incendio amoris. Illos verò libentius debet accuſare, quos amplius amat. Ego quos amo, arguo & caſtigo. Sunt aliqui qui illos maximè volunt corrigere, quos videntur non amare: quorum correctio, ab his quib⁹ adhibetur, non reputatur correctio, ſed hoſtibilis perſecutio. Modeſtius etiam debet accuſare alium quam ſeipſum: Seruum Domini oportet eſſe patientem, cum modeſtia corripientem. In eo qui accuſatur, humilitas & patientia debent apparere: vt erubeſcibilia ſua humiliter & patienter audiat. Apparere etiam debet in eo obedientia: vt ſcilicet in ſuſceptione diſciplinæ patienter obediat. Sicut, iuxta verbum ſapientis, fabricando fabri, & cytharizando cytharistæ ſimus: ita audiendo erubeſcibilia noſtra & quæ nobis diſplicent patiendo, humiles & patientes efficimur. Si verò videatur ei qui accuſatur, quòd ille qui præeſt, minus iuſtè ſe habeat ad memoriam debet reducere, quod Saluator patientiam habuit, cum Pilatus eum iniuſtè iudicauit: & quòd à militibus iniuſtè flagellatus fuit. Bernardus. Stetit Ieſus ante præſidem inclinato capite, demiſsis aſpectibus, vultu placido, ſermone raro, paratus ad opprobria, promptus ad verbera. Lis in capitulo maximè cauenda eſt, quæ inter abuſiones clauſtri enumeratur. Ad eandem verò cauendam multum valet, ſi hi qui innocentes & maioris perfectionis ſunt, taceant: & eum qui præeſt pro ſe reſpondere permittant. De quo exemplum habemus: vbi Phariſæo obloquente Mariæ Magdalenæ. Maria tacet: Saluator pro eà reſpondet: Martha accuſante Mariam, Maria

Apoc. 3.

2. Tim. 2.

Luc. 7.

Ibid. 10.

tacet: Saluator respondet. Ex eo quòd ille qui præest pro innocente, iniustè accusato, non loquitur, aliquando occasio est, quòd innocens pro se loquitur, & lis inde oritur.

Sequens capitulum de ordinatione pertinente ad locum refectionis.

CAPVT IIII.

SEquitur de ordinatione pertinente ad locum refectionis: ad quam pertinet quòd clauſtralis cibum corporis ad ſuſtentationem non ad delectationem quærat: cibum verò ſpiritualem ibi non negligat. Cibus exquiſitus non congruit deſerto clauſtri. Vnde conuenienter inter clauſtri abuſiones, cibus exquiſitus enumeratur. Quod clauſtrali apponitur, diſciplinatè, ſine murmure, cum gratiarum actione debet ſumere. De diſciplina iſta quære in 2. lib.

Sequens capitulum de ordinatione pertinente ad locum dormitionis.

CAPVT V.

SEquitur de ordinatione, ad locum dormitionis pertinente. Ad quam ordinationem primo pertinet: vt in ſtatu periculoſo clauſtralis non dormiat. Secundò, vt lecti mollitiem non quærat. Tertiò, vt nudus non iaceat. Quartò, vt pigredo ei ſomnū non immittat. Quintò vt pigritia eum in lecto non detineat. Sextò, vt brutaliter non dormiat. Septimò, vt ſomnus inordinatus tempus oportunius ſpiritualibus exercitiis

citiis non impediat. Nō est securum dormire in potestate diaboli, scilicet in peccato mortali. Super illud Psal. Immisiones p angelos malos, dicit Aug. In malis potest diabolus, sicut homo in suo pecore: nisi prohibeatur à maiore. A diabolo captiui tenentur ad ipsius voluntatem. Sicut vbi abundant latrones, homines domos suas scrutantur, antequam lectum suum intrent, ne latrones ibi lateant: sic claustralis debet domum conscientiæ suæ perscrutari, antequam obdormiat, ne latro infernalis ibi lateat. Multum timendum est illi, super cuius caput iustitia Dei tenet gladium euaginatum, sic obdormire. In tali statu est, qui est in peccato mortali. Fugite à facie gladij: quia vltor iniquitatis est gladius. Multū timendum est obdormire ad portam inferni. Quasi ad portam inferni est, qui est in peccato mortali. Limē corporis diuidit inter ipsum & infernū. Si enim anima separetur à corpore, quasi in puncto descendit in infernum. Iuxta illud: Ducunt in bonis dies suos: & in puncto ad infernum descendunt. Non debet claustralis quietem somni dare corpori suo, donec locum quietum præparauerit in se Deo, & Spiritui sancto. Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitionem: & requiē temporibus meis, donec inueniā locum Dño. Antequam obdormiat, de malis suis à Deo debet veniā petere: & oratione, & signo crūcis cōtra tētationes se munire. Non debet lecti molliciē quærere. Saluator in Passione sua lectum durum habuit, scilicet lignū crucis: & illi, qui exēplo & amore eius crucē claustralis pœnitentiæ ascendit, durities lecti

Psal. 77. inter medium & finem.

2. Tim. 2.

Iob. 19.

Iob. 21.

Psal. 4.

magis quam mollities cõgruit. Augustinus. Lectum suum diuisit Christus discipulis suis. Idem. Moriatur in cruce, qui vult crucifixum placatum videre. Non debet claustralis nudus iacere. Lecti durities ad hoc valet, vt surgat libentius. Qui iacet indutus, ad hoc valet, vt surgat facilius: & vt surgendo tristetur minus. Hora surgendi non te tristet. Item cauere debet ne pigritia somnum immittat. Pigredo immittit soporem. Item ne pigritia eum in lecto detineat. Sicut ostium vertitur in cardine suo: ita piger in lecto suo. Cauere etiam debet ne brutalitet dormiat. In libro de vita solitaria. Caue in quantum potes serue Dei, ne totus aliquando dormias: ne sit somnus tuus, non requies lassi, sed sepultura corporis suffocati. Carnalis somnus & brutus, sicut dicitur lethæus, abominandus est seruo Dei. Ad hoc quod somnus non sit brutalis, duo valent, scilicet sobrietas in sumendi cibum: & sensuum custodia. In libro de vita solitaria. Sobrium cibum sobriumq; sensum, sequitur sobrius somnus. Cauere etiam debet claustralis, ne tempus matutinum somnus inordinatus occupet. Oportunius enim est orationi, lectioni, & meditationi. Si diluculo consurrexeris ad Deum, & omnipotentem deprecatus fueris, si mundus & rectus incesseris, statim euigilabit ad te: & pacatum reddet habitaculum iustitiæ tuæ. In Psal. Mane astabo tibi, & Mane vigilabo ad te. Solent diuites primo pauperi dare, qui eis occurrit. Sic Deus libenter exaudit orationem mane factam: Oportet præuenire solem ad benedictionem tuam. Filij Isra-

Eccl.32. *Pro.19.* *Pro.26.* *Paulò ante medium libro in Bernard.* *Paulò ante medium libro in Bernard.* *Iob.8.* *Isa.26.* *Sap.16.*

colli-

colligebant manna hora matutina: Illa hora dulcedo Spiritus S. suscipitur. *Exod.16.*

De ordinatione pertinente ad locum locutionis.

CAPVT VI.

SEquitur de ordinatione pertinente ad locum locutionis. Et est notandum quod cùm lingua, quantum ad locutionem, speciale sit organum rationis: ad hanc ordinationem primo pertinet, vt lingua in hunc actum nõ exeat, quin actus rationis præcedat, scilicet examinatio sermonis qui dicendus est. Vnde in Psalm. dicitur iusto, quia lingua eius loquetur iudicium, id est, sermonem examinatum. Item cùm mors & vita sint in manibus linguæ, pertinet etiam ad hãc ordinationem, vt cum timore lingua exeat in actum loquendi. *Pro.18.* Item cùm gubernatio linguæ sit valde difficilis & valde vtilis: prẹmittenda est oratio locutioni. Domini enim est gubernare linguam. *Pro.16.* De disciplina in locutione require, supra libro 2. Specialiter debent claustrales cauere relationes rumorum de negotiis secularibus. vnde inter abusiones claustri, rumor enumeratur. Qui ad claustrum rumores seculares afferunt, mundum quodam modo in claustrum introducunt: & faciunt fratres reminisci, quæ oportuit eos obliuisci. Periculum fratrum videntur amare, qui in naui religionis aquam maris huius mundi volunt ponere.

INCIPIT QVARTA PARS IN QVA agitur de ordinatione animi respectu temporum. De ordinatione secundum diuersitatem temporum.

CAPVT I.

DICTO de ordinatione respectu locorum: dicendũ est de ordinatione respectu téporum. Ad hanc ordinationẽ pertinet, vt is qui in religione est, debito modo se habeat de nocte, de die, ante prandium, post prandium: in diebus festiuis, & non festiuis, tempore prosperitatis & aduersitatis, tempore iuuentutis & senectutis: in statu incipientis, profectus, & perfectionis. Ordinationem istam in parte ostendit Hugo de S. Victore his verbis: Tempora agendi discurrenda sunt. Alius modus est viuendi in die, alius in nocte. Nox est tempus silentij & quietis: dies tempus laboris, motionis & operis. In nocte secum debent esse homines: & aut fessa membra reficere: aut orationibus vel meditationibus sanctis in silentio animum exercere. In die verò de secreto suo in vnum coëunt: ad inuicem rursum videndos se, & imitandos, ostendunt. Tunc exempla bonorum operum, tunc exhortationes sanctorum verborum dare & accipere alterum licet. Tunc qui alienos actus scrutatur, impudens iure dicitur. Tunc qui alienos actus, qualiter expedit, imitari dissimulat, torpens vel inutilis merito nominatur. Sed nec eadem debet esse facies nostra, postquam refecti sumus: quæ fuit priusquam cibum sumeremus. Ante enim cibum sumptum magis hilares nos

In tract. de instituit. nouit. cap. 4. in princip.

nos esse conuenit: ne ipsa nostra abstinentia grauis & molesta esse videatur. Post verò magis modestos & tacitos: ne per gulæ vitium crapula nos inflammasse putetur. Ante sumptum cibum doctrinæ & orationis tempus est: post verò operis: quia & tunc exercendus est animus, dum adhuc ad studium spirituale leuis est: & tunc reprimenda est caro, quando calor incentiui eius per cibum amplius excitatus est. Sic & festi dies aliud studium, & alium conuersationis modum exigunt: atque hi in quibus operari licet exposcunt. In illis nos oportet deuotioni intendere, atque in oratione diutius perseuerare: habitu, incessu, & actu, maiorem deuotionem erga cultum diuinum demonstrare: nihil non sanctum, nihil non diuinum, nihil non ordinatum agere: linguam à vaniloquio cohibere, pedes ab excursu & discursu restringere, oculos comprimere, vultum inclinare, mentem erigere, omnem denique actum & omnem motum cordis pariter ministerio diuino mancipare, atque vt ita dicam, quadam conuersationis nouitate festos dies honorare. In cæteris verò diebus, in quibus operari licet, nullus omnino otiosus apparere: sed vnusquisque in eo quod iniunctum fuerit sibi, non quod ipse elegerit, quantum scientiæ & virtutum suarum possibilitas suppetit, debet exercere. Quantum enim decoris addit diebus festiuis quies vacationis, tantum ornamenti confert cæteris diebus studium boni operis, ita vt in illis quicunque noluerit esse quietus, index sit vanitatis suæ: & in istis qui non fuerit studiosus, testis pigritiæ. Carnales siquidem

dem mentes, ne in illis diebus quieſcant, vanitas exagitat; vel ne in iſtis bono opere ſe exerceant, pigritia ligat. Quapropter non negligenter quidem in bono opere habenda eſt diſcretio temporum, quia ſicut malum opus nullo tempore laudabile eſt, ita opus bonum quodammodo reprehenſione dignum iudicatur, ſi tempore oportuno factum non eſt. Debet ſeruus Dei diebus feſtiuis conſiderare gratiam, quam ſancti in præſenti vita habuerunt: & gloriam ad quam peruenerunt. Laudibus ſanctorum, & eius à quo gratiam & gloriam habuerunt, inſiſtere: exemplis eorum ſe prouocare, amorem & ſuffragia eorum acquirere, gloriæ eorum cõgaudere, & exemplis eorum prouocatus, & de Dei liberalitate, & ſuffragiis eorum confiſus, ſimilem gloriam deſiderare & ſperare.

Sequitur quomodo ſe debet habere ſeruus Dei, tempore proſperitatis & aduerſitatis.

TEmpore proſperitatis ſeruus Dei amplius debet timere, quàm tempore aduerſitatis. Periculoſior enim eſt proſperitas, quàm aduerſitas: cùm ſecundum Gregorium, aduerſitas ſæuiendo, erudiat: proſperitas blandiendo ſeducat. Proſperitas ſtultorum perdet eos. Tempore proſperitatis maiori diſcretione debet ſe regere. Seneca: Tunc conſilia ſalutaria aduoca, cùm tibi alludit vitæ proſperitas. Tunc te inter diem in lubrico retinebis ac ſiſtes. Potius indiget lumine, qui incedit per lubrica loca: quam qui incedit per loca arida. Sic lumen ſapientiæ magi-

Pro. 1.

neceſ-

necessarium est homini in prosperis, quam in aduersis. Prosperitatem comitari solet securitas, gaudium, elatio animi. Quodlibet verò istorum occasio solet esse præcipitij. In Psal. Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum. Et subditur: Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Sicut vinum purum habentes capita debilia infatuat: sic gaudium temporale cordibus infirmis nocet, nisi temperetur aqua tribulationis; vel saltem memoria. In die bonorum ne immemor sis malorum: nec in die malorum immemor sis bonorum. *Eccl.* 11. Tempore prosperitatis necessarius est vsus temperantiæ: tempore aduersitatis vsus patientiæ. In periculo est cui in prosperis deest temperantia: vel in aduersis patientia. Vnus perit aquis delitiarum, alius aquis tribulationum.

Quòd otiositas multum cauenda est iuueni.

IVuentutis tempore specialiter cauenda est, & timenda otiositas. Vnde inter abusiones claustri enumeratur iuuenis otiosus. Et secundum Hugonem de S. Victore: Large dicitur iuuenis, non solum ille, qui est in adolescentia: sed etiam ille qui est in ætate matura. Quadruplici ratione reprehensibilis est otiositas in iuuene. Primò, quia hæc ætas labori est congrua. Secundò, quia doctrinæ & assuefactioni est idonea. Vnde vituli in iuuentute domantur, & equi tunc ambulationi assuescunt: in senectute verò non sunt susceptibiles talium. Tertiò, quia hæc ætas prona est ad leuitatem: ideo onere laboris stabilienda est. Maturitatem quam in senibus facit ætas: *Lib. 2. de claustro animæ, cap. 14. à med. Tom. 2.*

ætas : in iuuenibus debet facere huius oneris grauitas. Quartò, quia in iuuenibus corpus est in suo robore : & sanguis in feruore. Vnde corpus nisi opprimatur onere laboris, dominari vult spiritui & non seruire. Iuuenibus necessaria est virga correctionis : & onus laboris. Cibaria, & virga, & onus asino : panis & disciplina & opus seruo, corpori scilicet ad seruiendum spiritui dato. Hugo de S. Victore: Iuuenis in otio, est quasi iumentum sine iugo. Quatuor sunt signa bonæ spei in iuuene: scilicet amor laboris, taciturnitatis, corporis continentia, & verecundia. De tribus vltimis dicit Anselmus: In iuuene tria notantur, quibus ad prosperitatem venturus prænoscitur. Hæc autem sunt taciturnitas, corporis continentia, & verecundia.

*Eccl.*32.

*Lib.*2.*de claustro animæ, cap.* 15. *circa finem.*.

*Tom.*1.

Quod obstinatio multum cauenda sit seni.

TEmpore senectutis specialiter timenda est obstinatio. vnde inter abusiones clausti enumeratur senex obstinatus. Hugo de S. Victore: Inter abusiones huius sæculi, maior est senis obstinatio: qui morti proximus, mortis non abhorret aduentum: qui quasi ad ostium mundi huius foris spectat, non tamen vitæ præsentis attendit egressum: nec ingressum futuræ vitæ desiderat. Audit nuncios mortis: & credere non vult eis. Tres sunt nuncij mortis: casus, infirmitas, & senectus. Casus dubia: infirmitas grauia: senectus certa nunciat. Casus nunciat mortem latentem: infirmitas apparentem: senectus præsentem. Ex incertitudine mor-

*Lib.*2.*de claustro animæ, cap.* 15. *in prin.*

tis

tis timor: ex infirmitatis grauitate, dolor: ex certitudine senectutis non obstinatio, sed humilitas & afflictio sequi deberet. In senectute maiori discretione opus est. Gregorius: Tanto debet esse quisq; in sui regimine cautior: quanto fuerit ætate prouectior. Periculosa est insipientia in fine vitæ. Illam enim nulla corrigit sapientia. Frequenter hæc insipientia inuenitur in illis, quos mundus reputat sapientes. Vnde de cupido & auaro legitur: In nouissimo suo erit insipiens. Sapientia verò in fine vitæ multum est vtilis. Stultitias enim præcedentis vitæ corrigit. Obstinatio in sene, ideo periculosa est, quia in eo ætas senilis ad duritiam facit, & vt frequenter longa assuefactio ad malum. *Hier.17.*

De pertinentibus ad diuersos status religionis.

CAPVT II.

IN statu incipientis debet intendere claustralis destructioni vitæ secularis, & extirpationi vitiorum. Destructio verò vitæ secularis omnimodo non fit subito. Vnde Gregorius in moralibus. Conuersionum initia bonis moribus malisqúe permixta sunt: & noua iam per intentionem agitur, & vetus adhuc vita ex vsu retinetur. Et notandum quod quinq; de causis accidit, quod in eo qui ingreditur religionem, vita vetus nõ destruitur. Vna causa est, quia per longam consuetudinem vita secularis quasi in naturam versa est. Cõsuetudo enim est quasi altera natura: Si mutare potest Æthyops pellem suam, & pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum. Prouerbium est: *Hier.13. Pro.22. Eccl.10.*

est: Adolescens iuxta viam suam etiam cum senuerit, non recedet ab ea. Languor prolixior grauat medicum. Secunda caussa est laxitas monasterij. Sicut serpens non in foramine lato, sed arcto veterem pellem deponit: sic in monasterio illo mores seculares non deponuntur, in quo fratres secundum suam voluntatem viuere permittuntur. Tertia caussa est defectus doctrinæ. In Psal. Lex Domini immaculata conuertens animas. Lex Dei est vt ignis ad quem fit cordis liquefactio, vt priori forma amota, fiat nouæ formæ impressio. Nunquid non verba mea sunt quasi ignis ardens? In dextera eius ignea lex. In Psal. Ignitum eloquium tuum vehementer. Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus. Quarta caussa est defectus boni exempli. Seneca. Longum iter per præcepta; breue et efficax per exempla. Exemplum bonum se habet, vt forma exemplaris, quæ multum valet ad hoc, quod aliquis nouitatem vitæ assequatur. Quinta caussa est defectus bonæ voluntatis, quæ est, quasi quædam informis materia omnium bonorum in religione. In statu incipientis multum est necessarius timor Domini: qui mala, quæ iam sunt, expellat: & his quæ nondum sunt resistat. Bernardus in serm. Ante omnia nouitius timor Dei necessarius est, quo nimirum peccata præterita possint delere, & cauere futura. Timor enim Domini (vt ait Scriptura) expellit peccatum: siue quod commissum est, siue quod tentat intrare. Expellit hoc, pœnitẽdo: illud, resistendo. Si timor desit, nec peccata, quæ erant, expelluntur: nec peccatis resistitur. Et sic de his quæ

Hier. 23.
Deut. 33.
Cant. 5.
Epist. 6. *à medio.*

quæ pertinent ad diuersos ſtatus religioſorum, patet.

Quòd valde reprehenſibilis eſt religioſus, qui in religione malè viuit.

ET notandum valde reprehenſibilem eſſe eum, qui in religione malè viuit. Quia aut in ſæculo malè vixerat vel bene: ſi bene, valde reprehenſibilis eſt, quia malè viuit inter bonos, qui bene vixerat inter malos: & inter innocentes innocentiam amiſit, qui inter nocentes eam ſeruauit. Si verò in ſæculo malè vixerat, & metuens ne incideret in manus Dei viuentis, carcerem clauſtri ſpontaneè ſibi elegerat: valde fatuus eſt, cùm Dominum carceris in carcere offendit, & funem peccati, quo in inferno ſuſpendatur, quem in eo miſericordia Domini diruperat, reſumit: & qui dirumpenti vincula ſua ſacrificium laudis ſacrificare debuit: pro laude contumeliam reddit. Dederat ei Dominus locum pœnitentiæ: & ipſe abutitur eo in ſuperbiam. Dei benignitas adduxerat eum ad pœnitentiam: ipſe verò theſaurizat ſibi iram. Non timet ibi peccata perpetrare: vbi perpetrata in ſæculo, debuit corrigere. Miſericordiæ quoque Domini illudit: qui ei pœnam æternam, cui etiam pro minimo mortali quod fecerat, adiudicaturus erat, in pœnam momentaneam commutauit. Item valde reprehenſibilis eſt: qui Deo negligit reddere vota illa, quæ diſtinxerunt labia ſua. Non enim onus religionis ei nolenti impoſitum eſt: ſed poſt experientiam & deliberationem, ab eo ſpontaneè aſſumptum. Ipſe fuit largus promiſſor:

missor: sed redditor est auarus. Ipse diuisor in-
quus, qui sua dedit Deo, se verò dat diabolo. Ipse
mentitus est Deo: quod non est parum pericu-
Actor. 5. sum: sicut ostenditur Actor. 5. Cur (inquit Petrus
Ananiæ) tentauit sathanas cor tuum, mentiri
Spiritui sancto? Non es mentitus hominibus sed
Deo. Audiens autem Ananias hæc verba, ce-
dit & expirauit. Ipse Deum irrisit: cui non solu-
quod promisit. De qua irrisione loquitur B. Be-
Cap 58. post medium. nedictus in Regula sua, dicens de illo qui pro-
fessionem fecit, quòd si aliquando aliter fecerit,
à Deo se damnandum sciat, quem irridet. Tales
merito in futuro à Deo irridebuntur, secundum
Psal. 2. illud: Qui habitat in cœlis, irridebit eos. Despe-
Pro. 11. xistis omne consilium meum, & increpationes
meas neglexistis: ego quoque in interitu vestro
ridebo. Item talis reprehensibilis est, quia illud
negligit, quod cunctis mundi amabilius præ-
legit. Ille verò qui pro Deo mundum reliquit,
Deum amittit, omnia amisit. Ipse verò similis est
negotiatori, quærenti bonas margaritas: qui in-
uenta vna pretiosa margarita, vendit omnia
quæ habuit, & eam emit: & postea eam proie-
cit. Ipse quasi inter duas sellas cecidit ad terram.
Epist. 114. circa med. Bernardus loquens cuidam malæ sanctimonia-
li: Deum, inquit, repellens, & à seculo repulsa
inter duas, vt dicitur, sellas corrueras: nec ita
que Deo viuebas, quia nolebas: nec seculo qui-
non poteras. Frequenter debent habere in cor-
de suo, qui mundum reliquerunt, & monaste-
Matth. 19. rium intrauerunt, illud verbum Petri: Ecce
nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Quid
ergo erit nobis? Mira fatuitas est, cum aliqui
ami-

amicum illum, pro quo patrem & matrem & omnes alios amicos carnales requirit: à quo omnia bona recepit, & plura erat recepturus, inimicum sibi reddit: & pertinaciter offendit. Qui in monasteriis malè viuunt, deberent frequenter dicere Domino illud: Omnia in te habentes, te non debuimus dimittere ire à nobis. *Thob.10.*

Item valde reprehensibilis est, qui in monasterio malè viuit, vbi non sõlum bene, sed etiam melius viuere debuit. Ipse verò è contrario non solum viuit ibi malè: sed etiam valde malè. Tales enim vel sunt valde boni; vel valde mali: vel sunt dæmones, vel sunt angeli. Augustinus. Non inueni meliores, quàm qui in monasterio profecerunt: nec expertus sum deteriores, quàm qui in monasterio defecerunt. *Epist.137.*

Multa verò sunt quæ ad magnitudinem malitiæ eius qui malè viuit, facere videntur. Primũ est loci sanctitas. Secundum bonorum societas. Tertium bene viuendi oportunitas. Quartum, quòd à Deo prouisionem accepit. Quintum est professio, quæ præcessit. Sextum est, quòd ea, quibus indignus est, facere præsumit. Septimum, quòd locum vnius boni viri occupat. Octauum est, quòd eos à quibus beneficia recipit, defraudat. Nonum, quòd pœnis, quibus similes sibi puniti sunt, non terretur. Decimum, quòd propter damnum quod incurrit, à peccato non cohibetur. Sanctitas loci multum aggrauat peccatum. Vnde dicitur: In terra sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Dñi. Multum displicet Saluatori, cũ contaminantur loca saluti deputata. De qua cõtaminatione cõqueri- *Isa.26.* *Hier.2.*

tur. Contaminastis, inquit, terram meam. Mul-
tum etiam aggrauat peccatum, societas bono-
rum. Qui malus est inter bonos, est sicut Iudas
inter Christi discipulos: & sicut sathan inter De-
Iob. 1. filios. De quo: Cum venissent filij Dei, & assis-
rent coram domino: affuit inter eos & satha-
Sathanas, id est, aduersarius, qui saluti aliorum
aduersatur: vel eos defraudãdo adiutorio quo
eis facere debuit, vel eis contrario gressu inc-
dendo, eundo scilicet in infernum, aliis eun-
Ioan. 6. bus in paradisum: vel eos scandalizando. Salu-
tor Iudam diabolũ vocauit, qui inter bonos ma-
lus fuit. Nonne vos duodecim elegi? & vnus e
vobis diabolus est. Itẽ oportunitas bene viuẽd
quam habet aliquis in claustro bene disposit
multum aggrauat peccatum malè ibi viuen-
Non solum enim fructuosius, sed etiam iocu-
dius posset bene viuere, quàm malè. Vnde Ber-
nardus loquens de illo verbo: Confundan-
omnes iniqua agentes superuacuè, dicit: A
non superuacuè iniqua agit, qui non tantu
modo fructuosius, sed etiam iocundius Deo se-
uire poterat, quàm mundo? Maior est pœn
quam habet religiosus, dum peccatum procu
ratur in stimulo conscientiæ qui sequitur, &
erubescentia quam habet cum deprehendit
& in pœnitentia quam facere compellitur: &
timore quem habet ne deprehendatur: qua
sit iocunditas quam habet, cum peccatum pe
petratur. Præterea si bene viueret, interiore
iocunditatem haberet: in custodiendis eni
mandatis Dei, est retributio multa. Sed sicut d
cit Gregorius. Vę sana mẽs plus se assequi aspe
carna

carnaliter, quàm tenere blanda ſpiritualiter, gaudet. Habentes manna, illud faſtidiunt: & cæpas deſiderant, quæ non ſine lachrymis comeduntur. Prouiſio etiam quam à Deo recepit, multum aggrauat. Proditor enim eſt, cùm eum, à quo veſtitur & paſcitur, impugnat. De illo poteſt dicere Dominus illud: Ecce manus tradentis me, mecum eſt in menſa. Si inimicus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique. Tu verò homo vnanimis, dux meus & notus meus, qui ſimul mecum dulces capiebas cibos. Canis illum amat à quo paſcitur, quando alios valde perſequitur. Cane ergo deterior eſſe videtur, qui beneficiis, quæ à Deo recipit, ab eius impugnatione non cohibetur. Item non parum aggrauat peccatum profeſsio quæ præceſsit. Non enim parua culpa eſt, cum ille qui ſe Deo obtulit, ſe Deo poſtea aufert, & diabolo ſe offert: & qui corpus ſuum, per votum continentiæ, Deo exhibuit hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, pòſt per incontinentiá illud diabolo exhibet hoſtiam morientem, execrabilem, & fœtentem: & vitæ angelicæ quam ducere propoſuit, vitam porcinam pręponit. Bernardus. Quid deterius caſtitate quæ de homine angelum facit? E contrario, quid immundius luxuria quæ angelum in porcum conuertit? Multum etiam facit ad magnitudinem malitiæ, quòd ea, ad quæ indignus eſt, præſumit. Præſumit enim ſtare in conſpectu Dei: cum Deus vſque ad mortem iratus ſit ei; quod non eſt parum periculoſum, cum ipſe dicat: Sanctificabor in his qui appropinquant mihi, id eſt, ſanctus in eis apparebo, vin-

Luc. 22.

Epiſt. 42. *habet priora verba.*

Leuit. 13.

dictam de malis eorum sumendo. Ad magnitudinem etiam malitiæ eius facit, quòd locum v. nius boni viri occupat. vnde timendum est ei. ne à Domino citius per mortem abscindatur, v. locus ab eo expediatur; cùm scriptum sit de f. culnea sterili. Succide eam: vt quid etiam terr occupat? Item ad magnitudinem malitiæ eius facit, quod illos decipit, à quibus beneficia reci. pit, qui sunt vel in periculo mundi, vel in igne purgatorij: quia cum ipse Deo displiceat, debito modo eis non subuenit. Cum enim is displice qui ad interpellandum mittitur: irati animus ad deteriora prouocatur, vt dicit Greg. Itē ad magnitudinem malitiæ eius facit quod pœnis illis nō terretur, quibus peccata in sacris locis commissa, punita leguntur. Commissum fuit peccatum superbię in cœlo: pro quo tam nobilis creatura est æternaliter damnata. Videbam sathanā sicut fulgur de cœlo cadentem. Commissum est peccatum inobediētiæ in paradiso terrestri: pro quo totum genus humanum exilio & morti adiudicatum est. Commissum est peccatū carnalis amoris in illa congregatione, in qua Christus præfuit: Iudas enim illud quod dandū erat pauperibus, dabat vxori & filiis: quod peccatum suspendio punitum est. Commissum est peccatum proprietatis in cōgregatione illa cui præfuit Petr°: quod morte subita in Anania & Saphira punitum est. Item ad magnitudinem malitiæ eius facit, quod à peccato non cohibetur propter damnum quod incurrit. Propter hoc enim bona religionis amittit: Qui assumit crucem transmarinam, & est raptor vel latro, cauet à peccato, ne pere-

Luc. 13.

Lib. 1. *pastor. cap.* 11. *parùm à princip.*

Luc. 10.

Actor. 5.

peregrinationis fructum amittat: quanto magis debet cauere qui est in religione, ne bona religionis amittat, cùm religio prævaleat cuilibet peregrinationi? Cuius signum est, quod in religionem potest commutari. Deteriores etiam furibus videntur & raptoribus, qui religionem intrant, & se non emendant. Qui malus est in religione, est quasi malus latro Christum in cruce blasphemans opere, licet non sermone: qui de cruce claustri transiturus est ad cruciatū inferni. Talis valde infelix est, qui in Dei vinario siti moritur: in eius seruatorio corrumpitur; & in loco salutis damnationem suā operatur. Quod alij esset aurum, est ei plumbum: onus scilicet religionis. Quod esset salus & vita alij, vt Sacramentum altaris: est mors & damnatio ipsi. Qui est in statu incipientis, cum experientia ei desit, non debet de sensu suo confidere: sed alienum sensum suo præponere. Quantum in se est, rigorem religionis debet amare: alienæ tamen dispensationi acquiescere; & præ suorum interiorum diligentia, sua exteriora negligere. De primo dicit Bernardus. Obsecro vos nouellę plantationes Dei, vos, qui nondum habetis exercitatos sensus ad discretionem boni & mali: nolite sequi cordis vestri iudicium: nolite abundare in sensu vestro, ne vos, tanquam rudes adhuc, versutus ille venator decipiat. De secundo idem Bernardus. Feruorem nouitiorum non decent illæ misericordes in seipsos discretiones, & discretionum dispensationes, facilesque indulgentiæ suo iudicio; non tamen recusandæ sunt alieno. Idem: A nouitio in

Serm. 3. super Psalm. Qui habitat. paulò à princip.

seipsum rigida debet esse censura,& discreta se-
ueritas :ad regentem, vel consulentem paterna
vel fraterna charitate & pietate, lenis & obedi-
ens in omnibus humilitas. De tertio,Idem:Fi-
teor,placent in nouitiis, neglectior vtique is,qui
foris apparet, corporum cultus & vestium,se-
mo rarior, vultus hilarior, aspectus verecundi-
or, incessus maturior. Qui in statu proficiendi
est, defectus suos debet considerare: & pro illis
supplendis Deo in oratione instare continuet.
Proficiens quasi duobus pedibus debet ascen-
dere :meditatione scilicet & oratione. Medita-
tio quid desit docet:oratio ne desit obtinet. Au-
gustinus. Semper tibi displiceat quod es: si vis
peruenire ad id quod nondum es. Nam vbi tibi
placuisti,ibi remansisti. Si autem dixisti,sufficit;
peristi. Idem: Adde semper, semper ambula,
semper profice: noli in via deficere: noli retro
redire,noli deuiare. Remanet,qui non proficit,
retro redit qui ad ea reuoluitur, vnde iam ab-
scesserat. Si attentas stare: ruas necesse est. Et
notandum quòd quanto aliquis plus proficit,
tanto defectus suos amplius agnoscit: & malis
suis magis irascitur. Gregorius. Sancti viri quo
altius apud Deum virtutum dignitate profici-
unt,eo subtilius indignos se esse deprehendunt,
quia dum proximi luci fiunt, quidquid eos in
seipsis latebat inueniunt. Idem: Quanto plus
proficimus in cognitione, tanto nobis indigna-
mur amplius de peruerso opere. Quæ congru-
ant ei qui est in statu perfectionis, ostendit Ber-
nardus his verbis. Perfectus reputabitur,in cu-
ius anima hęc tria congruenter atque oportune
con-

Serm. 63. super Cant. post med.

In Psal. 122. & serm. 15. de Verbis apost. in fine.

Serm. 15. de Verbis Domini. in fine. & in Psal. 69. paulò à fine.

Li. 18. mor. cap. 34. habet similia.

Hom. 10. in Ezech. circa finem.

Serm. 57. super Cant. non remotè à fine.

concurrere videbuntur, scilicet vt & gemere pro se, & exultare in Deo nouerit, simul & proximorum vtilitatibus potens sit subuenire: placens Deo, cautus sibi, vtilis suis. Ad statum etiam eius qui perfectus est, pertinet, imperfectionem suam agnoscere, & perfectionem appetere, & imperfectionem proximi patienter tolerare. Gregorius in moralibus. Magna est perfectio, suæ imperfectionis cognitio. Augustinus. Quantum mihi videtur, in ea quæ perficienda est iustitia, multum in hac vita proficit, qui, quàm longè sit à perfectione iustitiæ, proficiendo cognouit. Bernardus. Nemo perfectus, nisi qui perfectior esse appetit. Idem: Ita nimirum solet diuina pietas, conseruando humilitatis gratiam, ordinare, vt quantò plus quisque proficit, eò minus se reputet profeciſſe. Nam vsque ad extremum spiritualis exercitij gradum, si quis tantum proficit, aliquid ei de primi gradus imperfectione relinquitur: vt adhuc vix sibi illum adept⁹ videatur. Greg. Ille verè perfectus est: qui ad imperfectionem proximi impatiens non est. *Lib. 5. mor. cap. 14. in princip.*

De quibusdam inordinationibus clausti.

CAPVT III.

VLtimo in hoc quarto libro notandũ, quòd in aliquibus clausiris vbi cuncta ordinatè fieri deberent, loco ordinationis est confusio infernalis, vbi nullus ordo. Quod deberet esse intus, est extra. quod deberet esse sursum, est deorsum: quod deberet esse dextrum, est sinistrũ: quod deberet esse ante, est retro: quod deberet esse medium, est extremum. Primam inordinationem, facit hypocrisis: cum scilicet clau- *Iob. 10.*

ſtrales faciunt opera ſua, vt videantur ab homi-
nibus: & qui puritatem deberent quærere inte-
riùs, quærunt eam exterius: à ſaluatore maledi-
Matth. 23. cti. Væ vobis ſcribæ & phariſæi hypocritæ, qui
mundatis quod foris eſt, &c. Væ vobis qui ſimi-
Ibid. les eſtis ſepulchris dealbatis, putredine plenis.
Secundam inordinationem facit ſubditorum
ſuperbia. Quaſi pedes ſunt ſurſum, & caput de-
orſum, cùm oportet quod prælatus quærat à
ſubditis, quod Saluator quæſiuit à cæcis. Quid
vultis vt faciam vobis? Potius congrueret ſub-
Matth. 20. dito, quod dicit Paulus Saluatori: Domine quid
Actor. 9. me vis facere? Tertiam inordinationem facit
cupiditas & auaritia. Quaſi faciem præpoſte-
ram habet religio, in qua temporalia ſpirituali-
bus præponuntur: Facti ſunt retrorſum, & non
Hier. 7. ante. Quartam inordinationem facit ſapientia
carnis inimica Deo: quod dextrum eſt, ſiniſtrum
reputans: pœnitentiam valde fructuoſam cru-
deli miſeratione minuens: quæ virgam diſcipli-
næ abiicit, quam oſculari debuit. Bernardus. Si
pœnitentia noſtra crudeli miſeratione minui-
tur, paulatim gemmis corona noſtra priuatur.
Quintam inordinationem facit negligentia,
quæ eſt in hominibus præpoſteris, qui vix in fi-
ne vitæ faciunt, quod in principio conuerſionis
ſuæ facere debuerunt. Sextam inordinationem
facit prelatorum malitia, qui cum exemplo Sal-
uatoris in medio fratrũ eſſe deberẽt, in parte ſe
ponunt. Ex quibus omnibus extãt verſus: Intus
adeſt, extra quod ſurſum, fitq; deorſum. Ante
retro vertunt, quod dextrum, fitq; ſiniſtrum.

Finit quartus liber.

LIBER

LIBER QVINTVS: IN QVO OSTENDITVR QVOmodo qui est in religione, se debeat habere ad proximum.

PRIMA PARS.

DICTO in præcedenti libro, quot modis, qui est in religione, debeat ordinare animum: In hoc quinto libro ostendendum est, quomodo se debeat habere ad proximum. Et primo generaliter hoc ostendetur deinde specialiter descendetur ad diuersitates personarum. In principio, status viuentium sub obedientia & in societate commendabitur. Secundo, quantum sit necessaria sociabilitas his qui in societate sunt victuri vsque ad finem vitæ suæ, ostenditur. Tertio agetur de his quæ ad sociabilitatem pertinent. Primò de vnitate: secundò de innocentia: tertiò de dilectione: quartò de mutuo honore. Deinde de Prælatis, subditis, & ministris, & de his qui pauperes fuerunt in seculo: & de his qui fuerunt diuites: & de infirmis.

De

De commendatione viuentium sub obedientia.

CAPVT I.

DVo pertinent ad commendationem statu viuentium sub obedientia, & in societate scilicet commendatio obedientiæ, & commendatio societatis sanctæ. Et notandum, quòd status in quo sub obedientia viuitur, valde laudabilis est. In illo enim statu multum virtuti adiicitur: triumphus nobilissimus acquiritur, meritorum abundantia cumulatur. Obedientia de Dei placito hominem certificat à sollicitudine suiipsius eum exonerat: à periculo conseruat: mentem castificat: hominem supra se leuat; statui ciuium cœlestium assimilat. Per hanc acceptissimum Deo sacrificium offertur: per hanc Deus homini perfectè dominatur: per hanc multum glorificatur. Per hanc virtuti multum adiicitur: cùm enim Sapiens dicat: hoc solùm virtuti adiicies, quod propriæ voluntati detraxeris: quantum virtuti adiicitur, cùm per obedientiam propria voluntas omnino amputatur? Est enim obedientia subiectio qua homo spontaneè intuitu Dei, alterius hominis subditur voluntati. Additionem verò ad virtutem, sequitur additio ad præmium. Ideo præmium viuentium sub obedientia valde magnum est, sicut ostensum est cuidam patrum in extasi posito, qui vidit 4. ordines ante Deum. Primus erat hominum infirmantium, & gratias agentium. Secundus erat eorum qui fuerant hospitales. Tertius eorum qui solitudinem sectantur, & nō vident homines. Quartus illorum qui propter

Deum

Deum & obedientiam ſollicitè ſunt patribus ſubiecti. Erat hic ordo ſuperior aliis tribus, & maiorem gloriam præ cæteris habebat, vt æreę torques aurea. Et cùm quæreret ſenex, Quare hoc? reſponſum eſt ei: Quoniam omnes alij habent aliquam requiem adimplendo proprias voluntates, quamuis in bonis operibus: hic autem omnes proprias voluntates relinquens, totus pendet à voluntate patris iubentis. Item cùm valde virtuoſum ſit, quòd aliquis voluntatem viuendi relinquit, & pro Chriſto morti ſe exponit: quantum virtuoſum eſt cùm aliquis omnem propriam voluntatem relinquit, & pro Chriſto alienæ voluntati ſe ſubiicit? Per obedientiam nobiliſsimus triumphus acquiritur. Nobiliſsimum enim genus triumphi eſt vincere ſeipſum, quod facit obediens. Vir obediens loquitur victorias. *Pro. 21.* Et ſuper illud: Melior eſt obedientia quàm victimæ, dicit Gregorius. Gloſ. Dum enim alienæ voci humiliter ſubdimur, noſmetipſos in corde ſuperamus. Melior eſt qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium. *Ibid. 16.* Multi vrbes & regna ſubiugauerunt ſibi, qui tamen ad hunc nobiliſsimum triumphum non peruenerunt. Hic triumphus proprius eſt hominis. Vincit leo vel aliud animal cætera animalia: ſeipſum autem vincere non poteſt. Seneca: Qui ſeipſum vincit, contra omnia fortis eſt. Per obedientiam, meritorum abundantia cumulatur. Dum aliquis intendit propriam facere voluntatem, non videtur mereri, niſi apud ſeipſum mereatur. Ab illo enim merito merces expectatur, cui ſeruitur, cuius voluntas impletur.

tur. Non meretur ergo apud alium, nisi qui vult facere alienam voluntatem: quod est obedientiæ. Augustin. Oportebat vt homo sub domino positus, ab aliquo prohiberetur: vt esset ei virtus merendi obedientiam. Obedientia facta est quasi nauis institoris. Qui in naui est, etiam quiescens, comedens & bibens, procedit: mouetur enim motu alieno. Similiter obediens qui est in religione, quiescẽdo, bibendo, comedendo, meretur. Obediẽtia hominẽ de Dei placito certificat. Nisi enim apertè sit malũ, quod à superiore præcipitur: sic accipiendum est, ac si à Deo præciperetur. Luc. 10. Qui vos audit, me audit: Ber. Quicquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certũ displicere Deo: haud secus omnino accipiendum est, quàm si præciperet Deus. Obedientia in huius mundi tenebris vicem supplet discretionis. Bern. Rara auis in terris, discretio: ideo locum discretionis suppleat in vobis virtus obedientiæ: vt nihil plus, nihil minus, nihil aliter quàm imperatum sit, faciatis. Obedientia hominẽ à sollicitudine suiipsius exonerat. Alij enim incumbit sollicitudo & spiritualiter, & tẽporaliter, pro illo qui est in religione. Vnde cùm alleuiatus sit etiam à seipso, valde reprehensibile est in eo, si pigritia torpet, & non proficit: valde fatuus est, si tantũ onus resumit. Bernardus super Cant. Qui vestri curam semel nobis tradidistis, qd rursus vos de vobis intromittitis? Obedientia hominẽ à periculo conseruat. Ipsa quidem quasi equus vadit: alieno enim sensui & alienæ voluntati quasi alienis pedibus innititur, ideo nec maculatur, nec læditur. Inquinatio enim

In li. de dispẽ. & præcept. ante med. libri.

nim & læsio imperantis est,& nõ obedientis,nisi manifestè sit malum quod imperatur. Ad eam potest dici illud: In manib⁹ portabunt te,ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Obediẽtia mentem castificat à libidine proprię voluntatis, secundum illud: Animas vestras castificantes in obediẽtia charitatis. Sicut ramus arboris nobilis arborem sylvestrem domesticam reddit: sic obedientia mentem libidinosam reddit castam. Greg. Sola obedientia virtus est,quę cęteras virtutes mẽti inserit,insertasq; custodit. Obedientia hominem supra se leuat. Leuauit se supra se. Nisi corpus sociatũ esset spiritui, vt sensu eius & imperio regeretur, nõ ascenderet ad hoc, vt remunerationem æternam mereretur: sic vir simplex per obedientiam ascendit ad sapientiam,& mores maiorum, à quibus regitur, imò quodãmodo ad Deum ascendit, dum seipsum quodãmodo exuit,& Deum induit. Viuo ego,iam non ego: viuit verò in me Christus. Obedientia statui cœlestium ciuium assimilatur. Ipsa est imago hominis cœlestis, sicut inobedientia est imago hominis terreni, sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis. Obedientia facit vt Dei voluntas sic fiat in terra, sicut fit in cœlo. Per obedientiam acceptissimũ Deo sacrificium offertur. Greg. Melior est obedientia quàm victimæ: quia per victimas aliena caro: per obedientiã verò propria caro mactatur. Obedientia quasi quoddam martyrium est. Obediens quasi caput proprium pro Christo sibi amputat, & caput sibi cõstituit Christum, vel illum qui loco Christi est. Gregor. Tanto Deum quisque

Psal.4.

1.Pet.1.

Lib.35.moral.cap.12.

Tren.3.

Gal.2

1.Cor.11.

Li.35.mor. cap.12.

35. *moral.* *cap.* 12. quisque citius placat: quanto repressa sui arbi- trij superbia, gladio præcepti se immolat. Per o- bedientiam Deus homini perfectè dominatur. Qui hanc promittit, dominio suo se exuit: & il- lum qui locum Dei tenet, in possessionem sui ipsius ponit. Si quis vult post me venire, abne- get seipsum. Per hanc Deus glorificatur. Sigloꝛ- rificaueris eum, dum non facis vias tuas, & non inuenitur voluntas tua, vt loquaris sermonem tunc delectaberis super domino, &c. Multum glorificat Deum verus obediens, qui paratus est facere eius beneplacitum, etiam si mandatur per vilem personam; ideo meritò ab eo glorifi- cabitur. Quicunque honorificabit me, glorifi- cabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ig- gnobiles. Semen hominum honorificabitur hoc, quod timet Deum: semen autem hoc ex- honorabitur, quod præterit mandata Domini.

Matth. 16. *Isa.* 18. 1. *Reg.* 2. *Eccl.* 10.

De commendatione sanctæ societatis.

CAPVT II.

AD commendationem sanctæ societatis no- tandum, quòd desideranti propriam sal- tem societas mala valde est fugienda, solitu- timenda, societas bona amanda & eligenda. D periculo societatis malæ require sup. lib. 1. cap. 8. Qui mundum relinquit timore periculosæ so- cietatis, valde insipienter agit, si scienter clau- strum dissolutum eligat: vel si postquam fu- tum talis claustri cognouerit, ibi remaneat. So- cietas multum iuuat ad salutem, si bona sit: multum impedit, si mala sit; & tanto societas periculosior, quanto maior. Vnde cùm maxi-

sit societas religionis, difficilius saluatur aliquis in religione dissoluta, quàm in seculo. Periculum suum videtur amare, qui nauem religionis intrat, quam conspicit perire: vel hoc cognito, vult ibi remanere. Talis meritò perit. Qui amat periculum, in illo peribit. Qui clausstrum corruptum intrat, cito ibi corrumpitur, etiamsi ante erat bonus. Sapiens: Sincerum nisi sit vas, quodcunque infundis acesit. Si modicum fermenti totam massam corrumpit, quanto magis multum fermentum modicam massam corrumpit? Difficile est bonitatem vnius, malitiæ multitudinis resistere. Parua allocutio serpentis mulieri primæ occasio fuit mortis: & societas mulieris virum corrupit. Non est societas mala sine diabolo, nec bona sine Deo. Vbi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, in medio eorum sum. Qui societatem malam amat, diaboli societatẽ videtur amare. Timenda est solitudo, maximè homini infirmo & inexperto. Non est bonum hominem esse solum. Væ soli. Cùm non sit homo sine mali suggestore & impugnatore, non est ei tutum esse sine consultore, custode & adiutore. Bernardus cuidam moniali volenti transire à congregatione ad eremum: volenti, inquit, perperam agere, & desertum abundantiam habet, & nemus vmbram, & solitudo silentium. Malum quod nemo videt, nemo arguit. Vbi non timetur reprehensor, securus accedit tentator, & facilius perpetratur iniquitas. Idem. Audiant qui sine præceptore vias vitæ aggredi non formidant: ipsi sibi existentes discipuli & magistri. Seductori dat

Eccl.1.

1.Cor.5.

Gen.3.

Matth.18.

Gen.2.

Eccl.4.

Epist.115. parùm ante medium.

Serm. 77. super Cant. à medio. Eccl. 4.

manum, qui dare dissimulat præceptori. Ei qui dimittit oues in pascua sine custode, pastor est non ouium, sed luporum. Melius est duos esse simul, quàm vnum. Quod status sanctæ societatis præeligẽdus sit statui solitudinis, ostendi potest per hoc, quòd ad creaturam duo pertinent scilicet bonũ dare alteri, & recipere ab altero. Habet enim vim actiuam & passiuam, collocatiuam, & susceptiuam: & quantum ad vtrumq; melius est esse duo simul quàm vnum. Si ille qui est in multitudine, habet aliquam gratiam, gratia illa pluribus proficit. Si solus esset oculus, parum prodesset visus eius. Nunc verò cętera membra corporis habent in eo, quantum necesse est eis. Manus enim & pedes per eum in sua operatione diriguntur. Visu etiã aliqua noxia vel sublubria olfactui, gustui, auditui, perpẽduntur. Et societate etiam cæterorum membrorum multa bona recipit oculus. Si solus esset, multis indigeret, vt ambulatione ad appropinquandum his quæ desiderat: quæ appropinquatio fit pedibus. Indigeret etiam attrectatione, quam habet a manibus: item discretione noxiorum, quę remouet appropinquant: quæ habetur ex auditu. Discretione fœtoris aëris corrupti, quæ habetur ex olfactu. Sustentatione, quæ habetur ex gustu. Sic homo ex societate bona multa bona recipit. Multa enim necessaria corpori vel animæ, quæ non habet in se, habet in sociis suis. Et possumus tangere duodecim emolumenta, quæ habentur ex societate bona. Primum est Dei indulgentia. Parcitur enim ei aliquãdo à morte, vel alia pœna, quã meruit, gratia societatis. Vnde dicit Dñs

Abraha-

Abrahę: Si inuenero quinquaginta iustos in medio ciuitatis, dimittã omni loco propter eos. Secundum est sanctificatio seu gratiæ susceptio. Carbo mortuus cum viuis positus viuificatur, & peccator in societate bona iustificatur. Cũ sancto sanctus eris. Sanctificatur vir infidelis p mulierem fidelem. Quãto magis multitũdo bonorum vni malo sanctificationis occasio erit? Tertium est prouocatio ad proficiendum. Si aliquis tepidus est in societate bona, exemplo aliorum accenditur, & feruẽs efficitur. Si solus est, remanet in tepiditate sua. Vnus quomodo calefiet? Quartũ est fulcimentũ. Si vnus ex nimia debilitate, vel oneris magnitudine, vel cõtinua hostis impulsione casui appropinquat, ab aliis sustẽtatur. Si vn⁹ ceciderit, (hoc est, casui appropinquauerit) ab altero fulcietur. Quintũ est subleuatio: si cõtingat eum omnino cadere. Si ille qui solus est cadat, nõ habet subleuãtem: ideo væ illi. Sextum est custodia, qui in bona societate est, quasi plenus oculis ante & retro. Si aliquod malum in eo appareat, ostenditur ei, vel prælato qui habet eum corrigere. Erubescentia & reuerentia aliorum à multis malis refrenatur: & sic fratres qui sunt vnius congregationis, mutuò se custodiunt. Augustin. in regu. Quando simul estis in Ecclesia, & vbicunque sunt fœminæ, inuicem, pudicitiam vestram custodite. Deus enim qui habitat in vobis, etiam isto modo custodiet vos ex vobis. Societas bona terribilis est hostibus, vt castrorũ acies ordinata. Septimum est eruditio. Qui enim est in societate, cõsilium habet & doctrinam ab aliis, quod multum necessarium est

Gen. 18.

1. Cor. 7.

Eccl. 4.

Ibid.

Ibid.

In 3. reg. circa med. illius.

ei qui incendit per semitam viæ religiosæ, vb
error multos impedit à profectu, sicut filij Isra
Pro.24. errauerunt in deserto. Erit salus, vbi multa con-
Ibid.12. silia sunt. Doctrina bona dabit gratiam. Octa-
uum est exhortatio, quæ pigris est necessaria,
Eccl.Vlt. qua ad bonum stimulentur; Verba sapientum
quasi stimuli. Nonum est consolatio spiritualis
quę multum est necessaria his qui carnalem de-
lectationem renuunt, & consolatione diuina
nondum digni sunt. Multum valet verbum co-
solationis contra æstum tribulationis. Nonne
Eccl.18. ardorem refrigerabit ros, & verbum melius
quàm datum? Decimum est victoria de hoste.
Pro.18. Frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas in-
Eccl.4. ma. Si quispiam præualuerit contra vnum, duo
resistent ei. Vndecimum est exauditio in ora-
Matth.18. tione. Si duo ex vobis consenserint super ter-
ram, de omni re quamcunque petierint, fiet il-
lis à patre meo. Deus multoties exaudit mul-
titudinem, quando vnum non exaudiret. Duo-
decimum congratulatio. Non solum bonum
fratres habitare in vnum, imò iucundum. Cha-
ritas quæ veritati congaudet, in societate bona
& magna multam materiam gaudij & recipit.
Lib.3. pa- præbet. Ratione congratulationis, omnia bona
stor. cap.11. dicuntur esse charitatis. Gregorius. Pensent
uidi quantum bonum est charitas, quæ sine la-
bore nostro aliena bona nostra facit. Conuen-
ientissimus modus acquirendi bonorum abun-
dantiam, est per societatem. O quantum bo-
num est materiæ, ex societate formæ. Quantum
bonum est carni ex societate animi. Quantum
bonum est humanæ naturæ ex societate diuin-
nat-

naturæ cum humana in Christi persona. Quantum bonum est electis & hominibus & angelis, ex societate beata, quam habent cum Deo. Et notandum quod qui est in bona societate, habet inde emolumentum, & in vita, & in morte & post mortem. De emolumentis quæ habet in vita, satis patet ex prædictis. Emolumentum quod habet in morte, est securitas. Securior est transitus per locū periculosum cum societate, quàm sine societate. Vnde cùm transitus mortis valde sit periculosus, magna securitas est illi, quem bona societas in morte orationib⁹ iuuat. Transitum istum timebat Bernardus cùm dicebat in meditat. suis. O anima mea, quis erit ille pauor, cùm tibi occurentia cateruatim illa teterrima monstra videbis? Emolumentum post mortem est fratrum subuentio. Qui in sancta societate est, quando moritur, ipse in suis fratribus viuit, qui ei post mortem suffragamur.

Quàm necessaria sit sociabilitas illi qui est in religione.

CAPVT III.

COmmendato statu viuentium sub obedientia, & in societate, ostendendū est, quàm necessaria sit sociabilitas illi qui in societate secundum professionem suam semper debet viuere. Sociabilitatem verò intelligo gratiam habendi se debito modo cum proximo. Quæ autem ad hanc sociabilitatem pertineant, in parte ostendit Bernardus his verbis: Arbitror quòd tu qui in congregatione es, bene viuis, si ordi-

Serm. 1. in fest. Apost. Pet. et Pau. post med.

nabiliter, ſociabiliter, & humiliter viuis: ordinabiliter tibi, ſociabiliter proximo, humiliter Deo. Et ſubdit: Sociabiliter, vt ſtudeas amari & amare: blandum & affabilem te exhibere: ſupportare non ſolum patienter, ſed etiam libenter infirmitates fratrum tuorum, tam morũ, quàm corporum. Circa ſociabilitatem notandũ, quòd ſicut membrum humani corporis coniunctionem ſui ad cætera membra naturaliter amat; ſicut tremor indicat quem habet, cùm ſeparatio ſibi imminet, & dolor quem patitur, cùm ab eis ſeparatur, vel cum diſlocatur: ſic frater qui eſt in congregatione, iuncturam ſui cõuenientem ad cæteros fratres debet amare, & ſeparationem vel inordinatam coniunctionem timere: ſicut accidentis eſſe, eſt in alio eſſe, ſic membri eſſe, eſt cum alio eſſe. Et ſicut membrũ naturaliter appetit eſſe, & fugit non eſſe: ſic naturaliter appetit vnitatem cum aliis membris, & timet ſeparationem. Separatum eſt inutile: oculus erutus inutilis eſt, ſimiliter & manus abſciſſa. Sic qui per apoſtaſiam à congregatione ſeparatur, inutilis efficitur: iuxta illud: Homo apoſtata vir inutilis. Si verò manens in cõgregatione ad fratres malè ſe habet, in dolore vivit: & aliis doloris & turbationis cauſſa exiſtit.

Pro.6.

Commendatio vnitatis.

CAPVT IIII.

CVm vnitas in congregatione valde ſit neceſſaria, cõmendanda eſt, vt ametur: diuidenda, vt plenius cognoſcatur. Tangendum eſt etiã de his quæ eam efficiunt, vt ad eam acquirendam

rendam via sciatur: & de his quæ eam impediunt, vt caueantur. Notandum ergo quòd cùm gratia sit excellentior quàm natura, & Spiritus sanctus, à quo est vnitas sanctæ congregationis, excellentior quàm noster spiritus: corpus etiam mysticum, cuius caput est Christus, nobilius sit corpore humano: vnitas gratiæ corporis mystici multo amplius est amanda & seruanda quàm vnitas naturæ. Vnitas ista multũ grata est Deo & sanctis eius, cõgregationi valde vtilis, dæmonibus valde terribilis. Quòd Deo multũ grata sit, patet ex hoc quòd doctrina Christi ad eam efficiendam fuit. Qui nõ colligit mecum, dispergit. *Matth.12.* Christi est colligere, diaboli dispergere. Transiturus de hoc mundo pro hac vnitate deuotè orauit: Pater sancte, serua eos quos dedisti mihi, vt sint vnum, sicut & nos. *Ioan.17.* In passione quando membra corporis sui perfodi permisit, tunicam qua figurabatur vnitas corporis mystici, scindi noluit. Item quòd hæc vnitas multum grata sit Deo, patet ex hoc quod dicitur sponsæ: vulnerasti cor meũ in vno oculorum tuorum, id est, in vnitate cõtemplatiuorum. Vulnerasti, inquam, vulnere amoris. *Cant.4.* In tribus placitum est spiritui meo, quę sunt probata coram Deo & hominib⁹. Cõcordia fratrum, &c. *Eccl.25.* Quòd hæc vnitas placeat sanctis, patet ex hoc quòd tãtum ex ea gratulantur, & tantum ad eam hortantur. Multum gratulabatur de ea Paulus, dicens: Implete gaudium meum, vt idem sapiatis, eandem charitatẽ habentes. *Phil.2.* Ad eam etiã multum hortabatur: Obsecro vos vt idem dicatis omnes: & non sint in vobis schismata. *1.Cor.1.* Vnitas congregationi valde

est vtilis. Dum enim ipsa habet vnitatem & concordiam, à Spiritu sancto viuificatur & lætificatur: bona eius augentur, ab hostibus non superatur. Sicut membrum corporis humani coniunctum cæteris membris à spiritu creato viuificatur, separatum verò non: sic in corpore mystico, quod est congregatio fidelium, qui habent vnitatem ad inuicem, à Spiritu sancto viuificantur. Si verò diuisi sint ab inuicem, à Spiritu sancto non viuificantur. Diuisum est cor eorum

Osea 10.

nunc interibunt. Dum membra in corpore mystico vnitatem habent, bona eorum augentur & est eis congratulatio de bonis. Sed si sit ibi diuisio discordiæ, desolatio est ibi, & bonorum

Matth. 12.

diminutio. Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur. Hieronymus. Quomodo concordia paruæ res crescunt, sic discordia maximæ res collabuntur. Vbi vnitas est, habetur de hoste victoria: quia secundum Ambrosiũ omnis pugna vnanimiter aggressa, victoriam parit. Legi-

3. Reg. 11.

tur de filiis Israël pugnaturis: Egressi sunt quasi vir vnus. Congregatio concors dęmonibus terribilis est: nec mirum: præsentiam enim Spiritus sancti, à quo est illa vnitas, indicat. Singuli etiam quodammodo habent virtutem omnium: & quem vnus impugnat, omnes impugnant, & mutuo se defendunt. Congregatio in qua est vnitas, est velut murus firmus cũm forti cemento, hostibus impenetrabilis: vbi verò deest vnitas, est velut murus sine cemento facile corruens. In tali congregatione videtur impleta esse

Mich. 3.

illa comminatio: Ierusalem in aceruum lapidum erit.

De diuisione vnitatis.

CAPVT V.

ET notandum, quòd congregationi religiosæ necessaria est duplex vnitas scilicet interior & exterior. Vnitas interior idem est quod vnanimitas: de qua Paulus commendat Timotheum: Neminem habeo tam vnanimem. De hac etiam commendatur primitiua Ecclesia: Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna. Habet autem hæc vnitas duas partes: quarum vna pertinet ad intellectum, alia ad affectum siue ad voluntatem. De prima habetur: Sitis perfecti in eodem sensu, & in eadem scientia. Item, Idem sapite. De secunda: Eandem charitatem habentes. Vnitas exterior, quædam est oris, scilicet vniformitas laudis diuinæ. De qua: Vno ore honorificetis Deum. Alia est vnitas laboris. De qua: Seruiant ei humero vno. Alia est vniformitas victus & vestitus, de qua Augustinus in sua reg. Sicut pascimini ex vno cellario, sic induamini ex vno vestiario. Alia est habitationis; de qua in psal. Ecce quàm bonũ & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Augustinus. Iste versus valde dulcis, & suauis melodia, toto orbe notissimus, vt tuba Spiritus sancti diuisos corpore congregauit in vnum, & monasteria plurima peperit. Vnitas exterior, effectus est interioris vnitatis: & eam indicat & conseruat. Diuersitas verò in exterioribus, vnitatem interiorem disipat, & diuersitatem animorum designat.

Phil. 2. *Actor.* 4. 1. *Cor.* 1. 2. *Cor.* 13. *Phil.* 2. *Rom.* 15. *In* 3. *reg. post med.* *Psal.* 134. *in princip.*

Octo quæ valent ad vnitatem.

CAPVT VI.

ET notãdum quòd 8. sunt, quæ valent ad dilectam vnitatem. Primum est vnio cum Deo, qui est bonum vnũ omnibus necessarium, sufficientissimum: qui quantò à pluribus habetur, tãtò à singulis amplius habetur. Qui ei adhæret,
1. *Cor.* 6. vnus spiritus est cum eo. Et omnes qui perfectè ei adhærent, ad inuicem vniuntur. Inter malos vel bonos imperfectos potest esse discordia. Inter bonos perfectos est concordia. Augustus. Pu-
Lib. 15. *de ciuit. Dei. c.* 5. *in fine.* gnant inter se mali & mali, pũgnant etiam inter se boni & mali: boni verò & boni, si pfecti sunt, inter se pugnare non possunt. Proficientes & nondum perfecti ita pugnant, vt vnusquisque ex ea parte pugnet contra alterum, qua contra seipsum. In vno quippe homine caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Vnio verò ad temporalia, quæ multa sunt: occasio est diuisionis & discordiæ. Dicitur de
Gen. 13. Loth & Abraham, quòd substantia eorum multa erat, & non quibant cõmuniter habitare. Vnde facta est rixa inter pastores gregum eorum. Amor bonorũ, quæ à diuersis integrè possideri non possunt, vnitatem impedit. Amor verò eorũ, quæ simul à diuersis perfectè possideri possunt, non. Secundum est separatio à cæteris rebus à Deo. Qui enim adhæret alicui rei præter Deum, & non propter Deum, minus Deo adhæ-
Lib soliloq. cap. 19. *in fine.* ret. Augustus. Domine minus te amat, qui aliquid præter te amat, quod non propter te amat. Dominus volens Abraham perfectè sibi adhærere,

volui

voluit eum ſeparare à cæteris rebus: & dedit ei præceptum, vt ſepararetur à patria ſua: & ab his, à quibus ortum duxerat, dicens: Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui. Dedit etiam præceptum quo ſepararetur ab eo qui ortũ duxerat ab eo ſcilicet ab vnigenito ſuo Iſaac. Dedit etiã præceptum quo ſepararetur quodammodo à ſeipſo: præceptũ ſcilicet de circumciſione. Hoc præcepto voluit eum ſeparare à ſe, quantum ad carnalia deſideria. Circũciſio enim facta in carne monebat ad reſecandum carnalia deſideria: ideo fiebat in mẽbro illo, in quo concupiſcentia magis ſæuiebat. Vnitas mala multum aduerſatur vnitati Spiritus ſancti. Aug. ſuper Ioan. Eſt & mala concordia, eſt & bona diſſonantia. Greg. Sicut noxium eſſe ſolet, ſi vnitas deſit bonis; ita pernicioſum, ſi non deſit malis. In multis religionibus amor qui nõ eſt ſecundum Deum, magis nocet quàm odium. Odium enim cauent multi, quia omnes ſciunt illud eſſe malum: amorem verò, qui non eſt ſecundum Deum, non ita cauent. Voluit Dominum ſeruos ſuos etiam à chariſsimis ſeparatos, vt ipſi perfectè eſſent ipſius. Voluit vt quaſi odirent eos. Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, &c. non poteſt meus eſſe diſcipulus. Qui dicit patri ſuo, & matri ſuæ, neſcio vos: & fratribus ſuis, ignoro illos, & neſcierunt filios ſuos: hi cuſtodierũt eloquium tuum, & pactum tuum ſeruauerunt. Non veni pacem mittere in terram, ſed gladium. Veni enim ſeparare hominem aduerſus patrem ſuum: Si quis Domini eſt, iungatur mihi, &c. occidat vnuſquiſq; fratrem, &

Gen. 12.

Gen. 22.

Gen. 17.

Li. 34. *mor. cap.* 3. *in princip.*

Luc. 14.

Deut. 33.

Matth. 10.

Exod. 32.

& proximum & amicum. Vnitas in religione quæ non est secundum Deum, multum est periculosa. Illa enim bonis resistit: malos robustiores & audaciores facit: correctionem impedit: bonorum persecutionem auget. De resistentia habetur. Actor. 7. Dura ceruice vos Spiritui sancto restitistis. Spiritui sancto resistit: qui bonis quæ fiunt à Spiritu sancto contradicit. De roboratione dicit Gregorius. Peruersos vnitas roborat: dum eos concordat. De audacia habetur Actorum 7. Impetum fecerunt vnanimiter in eum. Audaciores fuerunt, quia vnanimes. De impedimẽto correctionis dicit Gregorius. Qui diuisi corrigi poterant: iniquitatũ suarum pertinacia vniti perdurant. Idem. Peruersos vnitas tantò magis incorrigibiles, quantò vnanimes facit. Iob. 41. dicitur de corpore diaboli, quod compactũ est squamis, scilicet defensionis, sese prementibus. Vna vni coniungitur: & ne spiraculum quidem incedit per eas. Vna alteri adhærebit: & tenentes se nequaquam separabuntur; & in bono, & in malo sibi consentiunt: quod non est secundum legem amicitiæ veræ. Lex veræ amicitiæ secundum Sapientem, est, vt nunquam turpe quid rogemus: nec rogati faciamus. De augmento persecutionis bonorum dicit Gregorius super Iob. Reproborum vnitas, bonorum vitam tantò duriùs premit, quantò se ei per collectionem durior opponit. Iosue 9. Congregati sunt vt pugnarent contra Iosue animo vno, eademq; sententia. Tertium est, timor Domini, qui offensas & scandala proximi cauet. Prouerb. 15. Per timorem Domini de-

Li. 34. mor. cap. 3.

Pro. 15.

nat omnis à malo. Temeritas verò, nec Deum timet, nec scandala proximi cauet: sed congregationem turbat, & Spiritum sanctum inhabitantem contristat: quod non est modicum malum. Ephes. 4. Nolite contristare Spiritum sanctum, in quo signati estis. Matth. 18. Quicunque scandalizauerit vnum è pusillis istis minimis, qui in me credunt: expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundo maris. Quartum est humilitas, qua homo minùs sentit de se quàm de aliis. Vnde sensum aliorum meliorem quàm suum reputans, facilè sensum suum pro sensu aliorum dimittit: quod multum valet ad vnitatem. Abundantia sensus interdum causſa est discordiæ. Gregorius. Sæpè dum quosdam maior scientia erigit, à cæterorum societate disiungit: & quo plus sapiunt, à virtute concordiæ desipiunt. Humilitas pacatissima est. Pacem autem videtur habere cum suo opposito, scilicet cum superbia. Vnde superbus alium superbum non patitur: nec cum eo pacem habet. Tumor enim vnius tumorem alterius pungit. Apud philosophos demonstratum est, quòd sphærica corpora quæ quasi tumida sunt, non possunt se contingere nisi in solo puncto: pungere se inuicem possunt, sed non rectè aut plane sibi inuicem applicari. Sic est de cordibus superborum tumentibus. Corpus concauum sphæricum intra concauitatem suam potest recipere: sic & humilis cum superbo pacem potest habere. Superbus dum se dilatat, alios comprimit & conturbat: & scissuræ occasio existit. Qui se iactat & dilatat, iurgia con-

Ephes. 4. *Matth. 18.*

Pro. 28.

concitat. Bernardus. Dilatatio solet habere scissuram. Quintum est obedientia, quæ affectata lienam facere voluntatem, exemplo illius qui ait. Descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam: sed voluntatem eius qui misit me. Vnde agnita Dei voluntate quæ vna est, vel eius qui Dei locũ tenet, eam eligit facere: quod multum valet ad vnitatem: cui obstinatio propriæ voluntatis multum contraria est. Bernardus loquens de illo verbo Luc. 2. Descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis, ait. Quis non erubescat obstinatus esse in consilio suo: quando sapientia ipsa suum deseruit? Sapientia quæ desursum est, pacifica est, modesta, suasibilis, bonis consentiens. Sextum est patientia. Homo iracundus & impatiens occasio est discordiarum. Vir iracundus suscitat rixas: qui autem patiens est, mitigat suscitatas. Ad perfectam bonitatem pertinet malorum tolerantia. Gregor. Quisquis malos non tolerat, ipse sibi per intolerantiam testis est, quia bonus non est. Abel enim esse renuit: quem Cayn malitia non exercet. Septimum est amor pacis. Pax est quasi quoddam vinculum, quo membra in corpore mystico coniunguntur. Solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Ad hanc pacem secundum glossam pertinet, vt bona nostra inuicé diligamus, & peccata, quæ sine damno tritici eiici, aut cum spe salutis corrigendorum eradicari non possunt, vsque ad messem vltimam toleramus; & perfectionis opera, quæ facere & non facere licet, ne infirmi scandalizentur, non facere dispensemus. Magnum bonum est pax, nec dat

Ioan. 6.

In serm. de mersione Naaman in Iordane &c. Tempore resurrectionis à medio.

Pro. 26.

Li. 20. mor. cap. 29. in princip.

Eph. 4.

Glossa ord. ad illud in vinculo pacis.

dat eam Deus non amanti eam, sed quærenti ipsam cum magno desiderio ipsius. Inquire pacem & persequere eam. Quidam pacem oblatam reciperent: sed eam primo non quærunt. Hi non videntur intelligere, pacem, hæreditatem esse Christianorum. Si enim scirent se exhæredatos ab eo quod Christus eis legauit, non expectarent quòd alius eos incitaret ad hæreditatem suam recuperandam. Pacem sequimini cum omnibus. Pax est, vbi repugnantia non est. Vnde glossa super illud. Beati pacifici. Vera pax est, vbi nihil repugnat. Octauum est linguæ custodia. Sicut, vbi domus sunt de lignis, palea tectæ, ignis cautè seruatur, ne domus succendantur: sic lingua cautè custodienda est in congregatione. Lingua enim ignis est, vniuersitas iniquitatis. Aliquando per eam flamma iræ in cognatione accenditur. In eodem. Ecce quantus ignis quàm magnam syluam incendit. Nisi lingua custodiatur, multæ turbationes in congregatione oriuntur. Susurro & bilinguis maledictus erit. Multos enim turbauit pacem habẽtes. Lingua tertia multos commouit.

Hebr. 12.

Glossa ord. ibid.

Matth. 5.

Iacob. 3.

Eccl. 28.

Quod innocentia custodienda sit ab omnibus.

CAPVT VII.

SEquitur de innocentia. Circa quam primo ostenditur, quòd custodiẽda sit ab omnibus. Secundo quod maxime ab his, qui sunt in congregatione religiosa. Tertio tangetur de partib⁹ innocentiæ. Quarto de nocumentis quæ in religione mali inferunt bonis. Ad primum monet Spirit⁹ sanctus in psal. Custodi, inquit, innocentiam.

tiam. Gloſſa. Ne extorqueatur à te. Seneca. Ridi-
culum eſt odio nocentis innocentiam perdere.
Iſidorus. Duo ſunt erga dilectionem proxim
ſeruanda: vt beneficij impenſione foueatur, &
nulla malitia lædatur. Triplici ratione cona
debemus ad cuſtodiam innocentiæ. Primo qui
facile amittitur. Secundo quia ea amiſſa omni
amittuntur. Tertio quia ea ſeruata omnia ſer-
uantur. Facile amittitur, quia facto, & verbo, &
voluntate, & omiſsione. Facto dupliciter, & cum
bona aliena auferuntur: & cum mala alij infe-
runtur. Auguſtinus. Omnis homo qui alium in
corpore perſequitur: prius ipſe in corde perſe-
cutionem ſuſtinere cognoſcitur. Idem. Nemo
habet iniuſtum lucrum, ſine iuſto damno. Vbi
damnum, ibi lucrum. Lucrum in arca: dam-
num in conſcientia. Tulit veſtem, & perdidit fi-
dem. Acquirit pecuniam, & perdit iuſtitiam,
ſcilicet quantum ad illam partem iuſtitiæ qua
eſt innocentia. Item Auguſtinus. Malitia tua vt
alteri non noceat, fieri poteſt: quod autem tibi
non noceat, fieri non poteſt. Verbo amittitur
innocentia: vt cùm aliquis in malum proxim
mentitur. Auguſtinus. Fraudator prius & per
læditur damno innocentiæ, quàm proximus
damno pecuniæ. In Pſal. Lacum aperuit & effo-
dit eum: & incidit in foueam quam fecit. Vo-
luntate etiam innocentia amittitur: vt cùm ali-
quis odit proximum ſuum. Omnis qui odit fra-
1. Ioan. 3. trem ſuum, homicida eſt. Qui verò homicida
eſt: innocens non eſt. Omiſsione, innocentia a-
mittitur: vt cùm aliquis non ſubuenit fame pe-
cunti, ſecundum illud Ambroſij. Paſce fam
morie

morientem: si non pauisti, occidisti. Si innocentia amittitur: omnia bona amittuntur. Amittitur iustitia funditus cùm innocentia amittitur: quæ est iustitiæ fundamentum. Tullius. Fundamentum iustitiæ est ne cui noceas: deinde vt communi vtilitati deseruias. Amittitur etiam ipse Deus iustitiæ dator. Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum. *Isa.59.* Si innocentia seruetur, cuncta bona seruantur. Dum Adam innocentiam seruaret, nihil ei nocuit. Nihil etiam nocet hodie illis qui innocentiam seruant. Qui custodit præceptum, non experietur quicquam mali. Augustinus. Quid times hominem ô homo, in sinu Dei positus? Tu de sinu illius noli cadere: quicquid patieris, ad salutem valebit, non ad perniciem. Omnes capilli capitis vestri numerati sunt. *Matth.10.* Quæ videntur noxia, innocenti sunt vtilia. Scimus quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum. *Rom.8.* Innocentia armatura Dei est, quam si habueris, tu cum tuis in saluo eris. Saluabitur innocens. E- *Iob.22.* iusdem 4. Quis vnquam innocens periit? Item innocentia vestis est, sine qua nullus intrat in cœlum. Psalm. Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius, Innocens manibus, &c. Hanc vestem necesse habemus ferre ante iudicem, ideo latro infernalis conatur nos ea spoliare. Hac veste spoliatus est descendens ab Hierusalem in Hierico, qui incidit in latrones.

Lucæ 10.

Quòd maximè custodienda est innocentia ab his qui sunt in religione.

CAPVT VIII.

MVltiplici ratione custodienda est innocentia à fratribus, qui sunt in religione, vt scilicet vnus alteri non noceat. Et possumus ad hoc decem rationes ponere. Primo requirit hoc Dei familiaritas. Eorum est enim Deo maximè adhærere pro quo omnia reliquerunt. Si enim Deum amittant: omnia amiserunt. Ad hoc verò vt perfectè Deo adhæreant, multum valet innocentia. Psalm. Innocentes & recti adhæserunt mihi. Vnitate voluntatis maximè adhæret quis Deo. Voluntatem verò vnam cum Deo habemus: si irascibilis sit sine peruersitate: & concupiscibilis sine curuitate. Primum facit innocentia: secundum facit rectitudo. Innocentia aduersatur malignitati: quæ est appetitus alieni mali. Rectitudo curuitati, quæ est inordinatus appetitus transitorij boni. Hæ duæ gratiæ reddunt hominem conformem Deo: & sic faciunt eum ipsi adhærere. Psalm. Rectus est Dominus Deus noster: & non est iniquitas in eo. Secundo requirit hoc loci immunitas. Homines etiam scelerati refugientes ad domum religiosam securi sunt ibi: vt eis non noceatur. Et si tyranni nolunt nocere, vel ibi habitantibus vel ad locum talem cõfugientibus: quantò magis ipsi habitatores loci sacri cauere debent, ne sibi inuicem noceant? Tertio requirit hoc societatis sanctitas. Multum cauendum est ne innocentia inter innocentes amittatur: quæ in-

te-

ter nocentes à bonis in seculo seruatur. Si amissa erat in seculo: in clausto est restauranda, non amittenda. In Psalm. Lauabo inter innocentes manus meas. Quarto requirit hoc fraternitas. Triplex fraternitas est inter eos qui sunt in congregatione religiosa. Prima est naturalis: quæ communis est omnibus hominibus: secunda communis est omnibus fidelibus, tertia specialis est religiosorum.

De prima dicit Augustinus, in libro de disciplina Christiana. Si putamus non esse proximos, nisi qui de eisdem parentibus nascuntur: attendamus Adam & Euam, & omnes fratres sumus. Idem in libro de Ciuitate Dei. Nihil tam discordiosum vitio, tam sociabile natura, quàm genus humanum. Propterea Deus voluit creare parentem vnum, de quo multitudo propagaretur: vt hac admonitione etiam in multis cõcors vnitas seruaretur. De secunda dicit idem de disciplina Christia. Omnes quidem fratres secundum quod homines sumus: quantò magis secundũ quod Christiani sumus? Ad id quod homo es, vn⁹ pater fuit Adam, vna mater fuit Eua. Ad id quod Christianus es, vnus pater est Deus, vna mater est Ecclesia. Tertia perfectissima est, quæ omnia bona facit communia, & temporalia & spiritualia. Quinto reqrit hoc societas maxima, quę est inter eos qui sunt vnius religionis, qui simul iacent, comedunt & bibunt: qui nõ solum accedunt ad eandem mensam corporis, sed etiã ad mensam doctrinę cœlestis, & ad mensam sacri altaris. Vnde prodigiosè agit frater, si fratri eiusdem congregationis nocet. Qui in religione

Paulò pòst princip. lib. Tom. 9.

Eod. loco nunc antea citato.

à fratre suo persecutionem patitur, dicere po-
test: Manus proditoris mecum est in mensa. Sex-
to requirit hoc, quòd qui in religione sunt, mũ-
do mortui sunt. Magna impietas est in mortu-
um desæuire, cùm claui, qui corpus dominicum
læserunt, dulces dicantur: lancea, quæ corpus
eius mortuum perforauit, dira dicitur. Septimo
requirit hoc quod ipsi sunt de patria vna, in ter-
ra aliena, incolis illius terræ exosi, quæ multum
solent facere ad amorem. Viri religiosi non
sunt de mundo isto. Cœlum eorum patria est, &
à mundo odiuntur & persecutionem patiun-
Ioan.15. tur. Si de mundo essetis, mundus quod suum e-
rat diligeret, quia verò de mundo non estis
propterea odit vos mundus. Si religiosi non a-
mãt se inuicem, quasi sine amicis erunt in mun-
do isto. Octauo requirit hoc quod ipsi patrem
& matrem, & omnes alios sibi attinentes, pro
societate religionis reliquerunt. Vnde magna
peruersitas & iniquitas est, si societatem praua-
faciunt sibi inuicem. Nono requirit hoc simile
Eccl.13. tudo. Omne animal diligit simile sibi. Etiam a-
nimalia irrationalia illam ferocitatem non ex-
ercent in animalia suæ speciei, quam in alia ani-
malia exercent, quod patet in lupo & leone. Lu-
pus enim lupum non lædit, & leo leoni non no-
cet. Ipsa aqua quæ naturaliter habet pugnam
cum igne, pacem habet cum alia aqua, quæ e-
eiusdem speciei cum ea. Sic vnus religiosus al-
religioso non debet nocere. Decimo requirit
hoc abundantia bonorum spiritualium: quam
habent viri religiosi. Quanto enim habent plu-
ra bona, tanto magis solliciti debent esse de eo-
rum

rum conseruatione, & ipsorum amissionem timere. Augustinus ad religiosos. Quanto frequentiores orationes habetis, tanto sanctiores esse debetis. Idem intelligendum est de aliis operibus eorum, ad quæ multum valet innocentia, vt prius ostensum est. Innocentia multum grata est Deo: & multum vtilis homini. Augustinus. Nihil Deo dignius vel charius esse potest, quàm vt innocentia tota obseruatione teneatur. Licet enim quis in aliis operibus deuotus appareat, si illam non habuerit, sibi frustra blanditur. Anselmus. Si hinc peccati pudorem, & illinc cernerem inferni horrorem, & necessariò vni eorum haberem immergi, prius me in infernum mergerem, quàm in peccatum. Mallem enim purus à peccato & innocens gehennam intrare, quàm sorde pollutus cœlorum regna tenere: cùm constet solos malos in inferno torqueri, & solos bonos in cœli beatitudine foueri.

In 3. regul. cap. 38.

De partibus innocentiæ.

CAPVT IX.

ET notandum est quatuor partes innocentiæ esse. Prima pertinet ad id quod est supra nos, scilicet Deum. Secunda ad nos. Tertia ad id quod est iuxta nos, scilicet proximum. Quarta ad id quod est infra nos, scilicet temporalia bona. Qui primam partem innocentiæ habet, cauet ne Deo noceat vel Dei gloriam sibi vsurpando, vel eam lædendo vel diminuendo. Qui secundam partem habet, seruat suam conscientiam mundam. Qui tertiam partem habet, ser-

uat famam bonam: ne exemplo suo malo noceat proximo. Qui quartam partem habet, abusionem bonorum temporalium cauet. Hæ quatuor partes innocentiæ sunt quasi quatuor latera claustri spiritualis: intra quæ spiritus bene ordinatus deambulat: secundum illud Psal. Perambulabam in innocentia cordis mei. Pratum verò amænissimum est conscientia sacris meditationibus intentissima: cœlestibus desideriis fragantissima, vbi velut lilia candent affectiones castitatis: velut rosæ rubent affectiones patientiæ & pietatis: patientiæ rubore proprio: pietatis alieno: vbi velut violæ redolent affectiones humilitatis. In medio spes velut laurus, perpetuum virorum præstat & vmbraculum. Vbi non deest aqua cœlestis doctrinæ, vnde est viriditas, secundum illud. Eccles. 40. Super omnem aquam viriditas ad oram fluminis.

De nocumentis quæ mali inferunt bonis.

CAPVT X.

ID notandum quòd in religione mali multis modis nocent bonis. Quantum ad bona temporalia, nocent eis superfluè circa se ea exponendo: vel his quibus danda non erant, ea dando. Nocentes primo modo similes sunt vsurariis: qui volunt esse socij in lucro, & non in damno. Minus enim cæteris volunt laborare: plus cæteris consolationis habere. Exemplum secundi nocumenti habemus in Iuda proditore, qui fur erat, & loculos habens, quæ mittebantur, portabat. Quæ danda erant pauperibus: dabat vxori suæ & filiis. Satis deberet sufficere ad

Ioan. 12.

com-

compescendum ab hoc peccato, pœna infelicis mortis: cuius hoc peccatum ei occasió fuit. Suspensus enim crepuit medius. *Actor. 1.* Nocent etiam mali bonis in religione, subtrahendo eis debitum beneficium, & præstando eis salutis impedimentum: fratrum aduersarium iuuando, & per verba detractionis vel conuitij fratribus iniuriando. Subtrahunt eis beneficium Consilij, exhortationis, consolationis, exempli boni, adiutorij & correctionis: vnde innocentes non sunt. Augustinus. Duobus modis nocet homo, scilicet si facit miserum, vel deserit miserum. Idem in regula sua. Innocentes non estis, *In tertia reg. circa med. tom. 1.* si fratres vestros quos iudicando corrigere potestis: tacendo perire permittis. Salutis præstant impedimentum, qui ministrant malum exemplum: quia volentibus ire in paradysum resistunt: dum in via cum eis incedunt, & quasi ad manum trahunt in infernum, quos trahere debuerunt in paradysum. Aduersarium iuuant dum peccant. Se enim ligant: & impotentes se reddunt ad aduersarij impugnationem. Aduersarium etiam iuuant, dum verbo vel facto ad malum fratres incitant: quod non est parua proditio. Manifestè proditor iudicaretur, qui in conflictu existens, cum deberet iuuare suos, verteret se ad aduersarios, & impugnaret socios suos.

De his quæ incitare debent, vel possunt virum religiosum, vt fratres suos amet.

CAPVT XI.

SEquitur de dilectione: & quot modis qui e in religione debeat operam dare, vt fratre amet, & ab eis ametur. Primo tangetur de hi qui incitare possunt vt eos amet, secundo d modo amandi, tertio de his quæ valere possun ad hoc vt frater ametur, quarto specialiter de a more inimicorum. Circa primum notandum quòd ad amandum proximum primo incita natura, secundo Scriptura, tertio gratia, quart ad idem valere possunt exempla, quinto pote ad hoc valere, si ostendatur dilectionis vtilita magna, sexto si ostendantur odij damna. Natu ra ad hoc incitat, cum naturaliter præcepta iu ris naturalis in corde hominis sint scripta. Quo rum primum habetur: Quod ab alio oderis fie tibi, vide ne tu aliquando alteri facias. Secun dum habetur; Quæcunque vultis vt faciant vo bis homines: & vos eadem facite illis. Dilectio est debitum naturale, quo vnus homo alligatu est alteri, à quo debito nullus absoluitur, quan tumcunque ab eo soluatur. Vnde super illu Nemini quidquam debeatis, nisi vt inuicem di ligatis, dicit Augustinus; Charitas est quæ etiam reddita, semper detineat debitorem. Senec Hæc societas diligenter & sanctè est obseruan da, quæ nos omnes omnibus nectit, & indic aliquod esse cõmune ius generis humani: quo plurimum ad interiorem societatem amicit colen

Tob.4.

Matth.7.

Rom.13.

Glossa ord. id habet ibid.

Epist.48. circa medium illius.

colendam proficit. Omnia enim cõmunia cum amico habebit: qui multa habet cum homine. Idẽ. Sapiens homo amicus pro homine est, stultitiæ amicus non est, p homine. Scriptura ad idẽ incitat, quæ ad amandum proximum multum hortatur. Mandatum nouum do vobis: vt diligatis inuicem, &c. Charissimi diligamus nos inuicem. Ante omnia autem mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes. In hoc multum incitat Scriptura ad dilectionem, quòd ostendit eam esse legis plenitudinem, & speciale signum discipulorum Christi: & præceptum de dilectione speciale, esse præceptum ipsius. De primo habetur. Qui diligit proximum, legem impleuit. De secundo. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. De tertio. Hoc est præceptum meum: vt diligatis inuicem. Gratia ad hoc incitat, quæ ostendit hominem factum esse ad imaginem Dei. Licet aliquis omnes filios amici sui amet: tamen specialem amorem habet ad eum, qui amico suo est similior. Sic licet ad opera Dei communiter amorem habere debeamus: tamen specialiter ad hominem ad eius imaginem & similitudinẽ factum. Gratia ostendit proximum membrum esse corporis illius, cuius Christus est caput. Vos estis corpus Christi. Non amat caput, qui nõ amat membra. Item gratia ostendit, proximum esse Dei Filium, Christi fratrem & cohæredem, & æternæ gloriæ secum participem futurum. Si amandi sunt fratres, qui diuidendo hæreditatem, portionem vniuscuiusque minorem faciunt: quan-

Epist. 48. *circa finem illius.*

1. *Ioh.* 4.

1. *Petr.* 4.

Rom. 13.

Ioan. 13.

Ioan. 15.

Gen. 1.

1. *Cor.* 12.

tum amandi sunt illi fratres, qui portionem v-
niuscuiusque augent? Quantò enim plures e-
runt electi: tantò amplius gaudebunt. Plus gau-
debit vnius electorum de gloria animæ alterius
quàm de gloria proprij corporis. Ad amandum
proximum etiam incitare possunt exempla; &
primo exemplum Christi. Nō est despiciendus,
quem Christus ita charū habuit, quod pro eius
amore mori voluit. Appendere debemus pro-
Apoc.1. *Tit.2.* ximum hoc precio, ne nobis vilescat. Qui dile-
xit nos, & lauit nos à peccatis nostris, in san-
guine suo. Qui dedit semetipsum pro nobis. Se-
cundo exemplum Angeli, qui adeò amat homi-
nem, vt custodiat eum in omnibus viis suis. Nō
est despiciendus homo ab homine: qui adeò
charus est angelo. Videte ne contemnatis vnum
ex his pusillis. Dico enim vobis quia angeli eo-
rum semper vident faciem Patris mei qui in
cœlis est. Matthæi 18. Tertio exemplum sancto-
rum. Legitur in vita sancti Ioannis Euangeli-
stæ: quòd cùm ipse deuenisset ad vltimam se-
nectutem, & vix inter discipulorum manus ad
Ecclesiam deferretur, nec posset plura dicere
verba: ad quamlibet pausam dicebat hoc; Fi-
lioli diligite alterutrum. Tandem discipuli &
fratres qui aderant, audientes quòd eadem ver-
ba semper diceret: dixerunt; Magister, quare
hæc semper loqueris. Qui respondit: Quia præ-
ceptum Domini est, & si solum fiat, sufficit.
Quarto exemplum creaturarum irrationali-
um, quæ amorem habent ad indiuidua suæ spe-
ciei. Ecclesiastici decimo tertio. Omne anima
diligit simile sibi, & omnis caro ad similem sibi
con-

coniungetur. Incitare potest etiam ad idem magna dilectionis vtilitas. Dilectio membra in illo nobilissimo corpore, cuius Christus est caput, vnit: & virtute membrorum vnita aduersario resistit: & ad perfectionem perducit. De primo habetur. Colloss. tertio. Super omnia charitatem habentes, quod est vinculum perfectionis. De alio dicit Tullius; amicitia virtutum adiutrix à natura data est, non vitiorum comes, vt quia solitaria non posset virtus ad ea quæ summa sunt peruenire, coniuncta & sociata cum altero peruenire. Damna etiam, quæ odium facit, ad idem incitare possunt. Hoc facit fraternum odium in corpore mystico, quod facit diuisio continuitatis in corpore humano: ex qua sequitur dolor magnus, & quandoque mors.

De modo amandi proximum.

CAPVT XII.

CIrca modum amandi proximum, notandum quòd Scriptura triplex exemplar de hoc nobis ministrat. Primũ est amor, quo Christus amauit nos. Ioã. 15. Hoc est præceptũ meum, vt diligatis inuicem: sicut dilexi vos. Secundum est amor quo amamus nosmetipsos. Matthæi 22. & Lucæ 10. Diliges proximum tuum sicut te ipsum, tertium est amor quem habent membra eiusdem corporis ad inuicem. Romanorum 12. Sicut in vno corpore multa membra habemus: ita multi vnũ corpus sumus in Christo. Circa primum notandum, quòd Christus amauit nos amore gratuito: gratis, scilicet, dato:

dato: non præcedentibus meritis reddito. 1. Ioan. 4. In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus eum: sed quoniam ipse prior dilexit nos. Sic amandus est proximus. Amor eorum qui nolunt amare, nisi illos à quibus se primo cognoscunt amari: non habet gratiam apud Deum. *Matth. 5.* Si diligitis eos qui vos diligunt: quam mercedem habebitis? Nonné publicani hoc faciunt? Item amauit nos amore recto: quia non propter vtilitatem suam, sed nostram: non vt a nobis reciperet, sed vt nobis daret. *Epist. 9. circa mediũ.* Sic amandus est proximus. Seneca. Ego amicum parò, vt habeam pro quo mori possim: vt habeam quem in exilium sequar: cuius morti me opponam & impendam. Ista quam tu describis, negociatio est, non amicitia: quæ ad commodum attendit, quæ quid consecutura sit spectat. Idem: Sapiens habere amicum vult: sed ob nihil aliud, quàm vt exerceat amicitiam, ne tam magna virtus iaceat. Augustinus. Vera amicitia non pensanda est temporalibus commodis: sed gratuito amore portanda. Ambrosius. Amicitia, virtus, non quæstus est. Tullius: Amicitiam, non spem mercedis (quia omnis fructus in ipso amore est) expectandam putamus. Si vtilitas conglutinaret amicitiam: eadem continuata dissolueret. Boëtius: Quem felicitas fecit amicum: infortunium faciet inimicum. Item: amauit nos Christus amore discreto. Amor discretus est, qui personam amat, & vitia persequitur: nec sic personis condescendit, quod vitiis implicetur. Bernardus. *Ser. 20. super Cant. aliquantulum a prin.* Christus in carnis assumptione condescendit mihi, in culpæ vitatione consuluit sibi. Rom. 5.

Dilecti

Dilectio proximi, malum non operatur. Tullius: Nulla est excusatio, si amicitiæ causſa peccaueris. Nam cum conciliatrix amicitiæ, virtutis opinio fuerit, difficile est amicitiam manere, si virtute defeceris. Charitas à parte anteriori homines ligat. Facit enim homines concordes in bono. Amicitia verò mundi à parte posteriori homines colligat: sicut colligatæ fuerunt vulpeculæ Sampsonis: Ipsa enim facit concordes in malo. Item Christus amauit nos amore magno: Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Sic amandus est proximus. In hoc cognoscimus charitatem Dei: quoniam ille animam suam posuit pro nobis, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Amor magnus est amor magna operans: & ad inimicum se extendens. Gregorius. Probatio dilectionis est exhibitio operis. 1. Ioan. 3. Filioli non diligamus verbo neque lingua: sed opere & veritate. Item amauit nos Christus amore perseueranti. Cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Sic amandus est proximus. Sed sunt qui eum fœlicem amant: cessante verò fœlicitate, ab eo recedunt, qui secundum veritatem nunquam eum amauerunt. Gregorius: Cùm quis positus in prosperitate diligitur: incertum valde est, vtrum prosperitas, an persona diligatur. Amissio fœlicitatis vim interrogat amoris. Qui ex aduersitate Christum despicit, apertè conuincitur quod hunc in prosperis nō amauit. Senec. Multi illum cómitantur: mel muscæ sequuntur, cadauera lupi, frumenta formicæ, prædam sequitur illa

Iud. 15.

Ioan. 15.

1. *Ioan.* 3.

In hō. festi pentecost.

Ioan. 13.

Lib. 7. mor. cap. 11. *in med.*

illa turba, non hominem. Non agnoſceturin bonis amicus. Eſt amicus ſecundum tempus ſuum: & non permanebit in tempore tribulationis. Item, Eſt amicus ſocius menſæ: & non permanebit tempore neceſsitatis. Eſt amicus, qui conuertitur ad inimicitiam. Circa ſecundum exemplar, notandum, quod hoc mandatum, Diliges proximum tuum ſicut teipſum, dupliciter poteſt intelligi. Vno modo, ſicut, id eſt, ad quod teipſum: ſcilicet ad gratiã in præſenti, & ad gloriam in futuro. Vel ſic, vt ſit ſenſus: hoc facias proximo, quod tibi vis fieri: quod autem nõ vis tibi fieri: ei non facias: vt duo præcepta iuris naturalis prius poſita, huius mandati ſint expoſitiua. Et notandum, quod cùm præceptum ſit, vt proximum ſicut nos diligamus: qui ſe non diligit, proximum diligere neſcit. Auguſtin. de verbis Domini: Vide ſi iam noſti diligere teipſum, & committo tibi proximum, quem diligas ſicut teipſum. Si autem non noſti diligere te: timeo ne deſpicias proximum ſicut te. Idem in libro de diſciplina Chriſtiana. Si te interrogem, vtrũ diligas te: reſpondebis quia diligis. Quis enim ſe odit? Ergo non diligis iniquitatem. Nam ſi diligis iniquitatem, odis te. Non ego dico, Pſalmiſtam audi: Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam. Idem in eodem. Qui diligis iniquitatem, quomodo volebas tibi committi proximum, vt diliges eum tanquam te, homo, qui perdis te? Si enim tu ipſe ſic te diligis, vt perdas te: ſic profecto perditurus es eum quem diligis, ſicut te. Nolo ergo quenquam diligas: tu ſolus peri: aut corrige dilectionem, aut reſpue ſocietatem.

Eccl. 6.
Ibid.
Ibid.
In lib. de diſc. Chriſt. paulò à priu. tom. 9.
Paulò ante mediũ lib. tom. 9.

Item

Item notandum, quod non dicitur, diliges proximum tuum, plus quàm teipsum. Videtur plus quàm seipsum proximum velle diligere, qui curationi propriæ non sufficiens, curam proximi sui cupit assumere. Bernardus super Cant. Tu frater, cui firma salus propria nondum est, cui charitas adhuc aut nulla est, aut adeò tenera atque arundinea, quatenus omni flatui cedat, omni credat spiritui, omni circumferatur vento doctrinæ, imò cui tanta est charitas, vt vltra mandatum quidem diligas proximum plus quam teipsum: & rursum tantilla, vt contra mandatum fauore liquescat, pauore deficiat, perturbetur tristitia, auaritia contrahatur, ambitione molestetur, suspitionibus inquietetur, conuitiis exagitetur, curis euiscerctur, honoribus tumeat, liuore tabescat; tu inquam, ita in propriis te sentiens, qua nunc dementia quæso aliena curare, aut ambis, aut acquiescis? Audi quid consulat cauta vigilq; charitas. Non aliis, inquit, sit remissio, vobis autem tribulatio: sed ex æqualitate. Noli nimium esse iustus; sufficit vt diligas proximum sicut teipsum. Item notandum, quod qui proximum debito modo diligit, Deum plus diligit: propter quem diligit proximum, vnde patet quomodo id sit verum; Qui diligit proximum, legem impleuit. Et illud: Omnis lex in vno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Implẽs enim mandatum de dilectione Dei, implet mandatum de dilectione proximi. Aug. Inter quos amicos non est diuinarũ rerum cõsensio: nec humanarum plena esse potest. Necessarium est, vt aliter

Rom.13.
Gal.5.

quàm

quàm oportet humana exiſtimet, qui diuina contemnit: nec hominem rectè diligere nouit, quiſquis eum non diligit, qui hominem fecit. Circa tertium exemplar: notandum quod ſeptem ſunt, in quibus amor, qui eſt reſpectu proximi, imitari debet amorem membrorum eiuſdem corporis. Primũ eſt, quòd vnum membrum non inuidet alij membro: licet non habeat officium, quod illud habet. Si omnia membra vnicum haberent officium, eſſent quaſi vnum membrum. Si totum corpus oculus, vbi

1. *Cor.* 12. auditus, vbi odoratus, &c. Item: Si eſſent omnia

Rom. 12. membra vnum membrum: vbi corpus? Omnia autem membra non eundem actum habent. Sic non debet aliquis inuidere proximo ſuo habenti gratiam, quam ipſe non habet. Multum tamẽda eſt inuidia: tanquam vitium diabolicum.

Circa med. lib. tom. 9. Auguſtinus in libro de virginitate: Duobus malis, hoc eſt ſuperbia & inuidia, diabolus eſt. Item in libro de diſciplina Chriſtiana. Auertat Deus peſtem inuidiæ ab animis hominum omnium. Inuidentia vitium diabolicum eſt, ſed habet matrem ſuam, ſcilicet ſuperbiam: ſuffocabit matrem, & non erit filia. Secundum eſt, quòd vnum membrum officium ſuum ſibi auarè non appropriat: imò gratis aliis communicat. Oculus, eſt oculus omnibus membris. Item intelligo

Rom. 12. de cæteris membris. Sic debet eſſe inter fideles. Multi vnum corpus ſumus in Chriſto: ſingulorum autem alterius membra.

Ibid. Neceſsitatibus ſanctorum communicantes. Cibum quem vnum membrum recipit, cæteris membris communicat. Si verò aliquod membrum amplius debito ſi-

re-

retinuerit de illo, ad malum suum illud retinet. Est enim materia apostematis, vel alterius infirmitatis. Sic etiam inter fideles: Est & alia infirmitas, quam vidi sub sole, diuitiæ conseruatæ in malum Domini sui. *Eccl.5.* Tertium est, quod vnum membrum de alio se non vindicat. Sic debet esse inter membra Ecclesiæ. *Rom.12.* Nulli malum pro malo reddentes. Quartum est, quòd vnum membrum compatitur alteri, & congaudet: Si patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra. Si gloriatur vnum membrum: congaudent cætera membra. *1.Cor.12.* Sic fideles debent gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus. Quintum est, quod vnum membrum reputat sibi fieri quod fit alij, siue bonum siue malum. Si lædatur pes, os conqueritur: si lauentur pedes, os regratiatur. Intraui in domum tuam; aquam pedibus meis non dedisti. Hæc autem lachrymis rigauit pedes meos. *Luc.7.* Sic vnus fidelium reputare debet sibi fieri, quod fit alij. Vnde caput Ecclesiæ dicit, Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. *Matth.25.* Sextum est, quod vnum membrum pro alio lęsioni se exponit: vt manus pro oculo. Sic debent facere fideles, exemplo Christi capitis, qui scapulis suis obumbrauit nobis, in cruce ictum recipiens, quem genus humanum debebat recipere. Septimum est, quod vnum membrum multum timet separari ab aliis membris. Sic fideles timere debent separari à corpore Ecclesiæ. Augustinus. Nihil sic debet formidare Christianus, quàm separari à corpore Christi.

De his quæ valere possunt ad hoc vt frater ametur.

CAPVT XIII.

SEquitur de his quæ valere possunt ad hoc, v
aliquis à proximo ametur. Quinq; verò sun
quæ ad hoc valent. Primum est discretio. Vnd
sapientia dicitur esse mater pulchræ dilectionis
Fatuitas nescit acquirere vel conseruare amici
Eccl.24. tiam. Fatuo non erit amicus. Secundum est mo-
Ibid.20. destia in sermone. Sapiens in verbis amicabi-
Eccl.20. lem se facit, gratiæ autẽ fatuorum effundentur
Eccl.27. Tertium, est similitudo. Volatilia ad sibi simili
conueniunt. Ambrosius. Est insitum bonis, vt v
nusquisque virtutes suas in aliis amet. E contra
rio, dissimilitudo facit ad odium. Oderunt e
nim hilarem tristes: tristem q; iocosi. Quartum
est, virtus. Tullius. Nihil est virtute amabilius
vel quod magis alliciat ad amandum: quippe
cum propter virtutem & probitatem etiam eos
quos nunquam vidimus, quodammodo diligā
mus. Idem: Tanta est virtus probitatis, vt eam
vel in eis quos nunquã vidimus, vel, quod ma
ius est, in hoste diligamus. Specialiter valet ad
Eccl.3. hoc virtus mansuetudinis. Fili in mansuetudine
opera tua perfice: & super gloriam hominum
diligêris. Mansuetudo, ad modum adamantis
Ezech.3. vim habet attractiuam. Vt adamantem & fili
cem dedi faciem tuam. Item specialiter valet ad
hoc virtus humilitatis. Sicut odibilis est Deo &
hominibus superbia: sic amabilis est Deo & ho
minibus humilitas. Superbia dum se exaltat
alios deprimit: ideò non est mirum si ab aliis o
diatur. Humilitas verò dum se demittit, alios
exaltat

exaltat & honorat: ideo meritò ab eis amatur. Maximè inter omnia valet ad hoc, quòd aliquis ametur, si ipse primo amauerit. Augustinus. Nulla est maior ad amorem inuitatio, quàm præuenire amando. Idem: Nimis durus est animus, qui dilectionem, si nolebat impendere, nolit & rependere. Seneca in epistolis: Quæris quomodo amicum facturus es cito? Ego tibi monstrabo amatorium sine medicamento, sine herba, sine vllius veneficæ carmine; Si vis amari, ama. Quintum, est obsequium vel beneficium. Sapiens: Hoc tempore obsequium amicos: veritas odium parit. Ignis amoris, beneficiorum lignis nutriendus est: alioquin deficit. Beneficia etiam feras ad amorem incitant: & inimicos efficiunt amicos. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius, cor eius accendens ad te amandum. Et notandum, quòd beneficium non parit amicitiam, nisi discretè detur. Vnde dicitur de fatuo: quod non est, gratia bonis illius. Qui enim edunt panem illius falsæ linguæ sunt. Quoties & quanti irridebunt eum? Seneca. Nullum habet maius malum homo occupatus, & bonis suis obsessus, quàm quod amicos sibi putat, quibus ipse non est: quòd beneficia sua efficacia iudicat ad conciliandos amicos: cùm quidam quo plus debent, magis oderint. Quid ergo? Beneficia non parant amicitias? Parant, si accepturos licuit eligere: si collata, non sparsa sunt. Idem: Hoc consilio sapientum vtere, vt magis existimes pertinere ad rem, quis quam quid

Epist. 9.

Rom. 12.

Eccl. 20.

Epist. 19. circa finem illius.

Eadem ep. 19. in fine.

acceperit. Tullius: Melius apud bonos, quàm apud fortunatos beneficium collatum est. Et notandum, quod beneficia vel obsequia à fratribus sibi inuicem humiliter exhibita, ad dilectionem prouocandam & conseruandam multum sunt efficacia: ideo sancti multum voluerunt à se, & etiam ab aliis fidelibus obsequi cum diligentia exhiberi. De hac diligentia habemus exemplum in Abraham, qui tres viros hospitio susceperat; de quo ait Hieronymus: Non seruis præcepit, vt hominibus ministrarent: nec bonum quod exercebat, per alium ministrauit: sed quasi præda reperta, cum Sara humanitati solus incubuit. Ipse pedes lauit, ipse humeris suis vitulum de armento portabat, ipse vt seruus stetit, peregrinis prandentibus, & manibus propriis coctos cibos ieiunaturus apposuit. Aliud exemplum habemus in Paulo: Obsecro, inquit, vos fratres per Dominum nostrum Iesum Christum, & per charitatem Spiritus sancti, vt adiuuetis in orationibus vestris pro me ad Dominum, &c. vt obsequij mei oblatio accepta fiat in Hierosolyma. Sancti super omnia exempla, exemplum Christi, qui pedes discipulorum suorum lauare voluit, imitati sunt. Circa quod exemplum sex nobis attendenda sunt, ad ædificationem nostram: scilicet status eius cui pedes lauit, tempus quo obsequium exhibuit, locus vnde ad illud exhibendum surrexit, ministrantis sublimitas, ministrat humilitas, diligentia quam circa illud ministerium exhibuit. Denique dicit Augustinus. Hoc ad maximum cumulum humilitatis accessit: quod etiam illi pe-

Gen. 18.

Rom. 12.

Ioan. 13.

Tract. 55. *in Ioã. in fine.*

non dedignatus est lauare, cuius manus præuidebat in scelere. Circa secundum notandum, quod Dominus distulit dare hoc documentum vsque in finem vitæ suæ: vt melius memoriæ infigeretur. Chrysostomus quærit, propter quid antea non fecit? & respondet; Quæ maiora sunt, vltimo abiicit. Circa tertium notandum, quòd Dominus surrexit à cœna iam inchoata, nondum consummata. Augustinus. Non ita debemus intelligere cœnam factam, velut eam consummatam atque transactam. Adhuc enim cœnabatur, cum Dominus surrexit, & lauit pedes discipulis suis. Nam postea recubuit: & bucellam suo traditori postea dedit. Cœna ergo facta, hoc est, iam parata, & ad conuiuantium mensam vsque perducta. Mira dignatio quòd tantus à tali statu ad tale opus surrexit. Circa quartum notandum, quòd Euangelista sublimitatem ministrantis curauit nobis ostendere: vt eius humilitas nobis gratior esset. Vnde ait: Sciens quia pater omnia dedit ei manus. Augustinus. Ergo & ipsum traditorem. Idem: Iam traditor traditus erat ei, quem tradere cupiebat. Sequitur: Et quia à Deo exiuit, generatione æterna; in quo filius Dei ostenditur. Augustinus. Tanta est humanæ humilitatis vtilitas: vt eam suo commendaret exemplo, etiam diuina sublimitas. Bernardus. Vis humilitatis, nescio quo pacto, maior in maioribus, & clarior in clarioribus comprobatur. Circa quintum attende, quòd membra infima in corpore humano sunt pedes: & viles sordes eis adhærent. In hoc ergo quòd caput Ecclesiæ Christus pedes lauit, ostensum

Tract. 55. in Ioan. circa medium.

Tract. 55. in Ioan. post medium.

Eodē tract. 55. in fine.

Lib. 2. de cōsid. parū à med.

sum est, quòd maximus in Ecclesia Dei, in ne-
cessitate debeat etiam obsequia humilia in mi-
nimis præstare. Circa sextum attende, quòd ad
ministerium peragendum diligenter se para-
uit: vestimenta, vt esset expeditior, deposuit, lin-
teum accepit, & se præcinxit. Omnia facere vo-
luit, aquam enim in peluim misit, pedes lauit &
extersit. Chrysostomus. Ipse impleuit peluim
& non alium implere iussit: sed omnia ipse o-
perabatur: per hoc monstrans, quoniam cum o-
mni humilitate oportet implere talia. Item Pe-
tro resistenti non cessit, imò communicatione
eum ad consentiendum induxit, dicens: Si non
lauero te, non habebis partem mecum. Certa-
men habuerunt humilitas Christi, & humilitas
Petri: sed humilitas Petri cessit tanquam mi-
nor. Et quia obedientia humilitatem Christi
iuuit, ait Petrus: Domine tu mihi lauas pedes?
Chrysostomus. Manibus, quibus oculos cœci
aperuisti, leprosos mundasti, mortuos suscita-
sti? Augustinus. Quis non expauescat sibi lauari
pedes à filio Dei? quamuis magnæ audaciæ esse
contradicere seruum Domino, hominem Deo:
tamen Petrus hoc facere maluit, quàm pati
Christus eos lauaret. Item Augustinus loquens
de hoc exemplo: Didicimus fratres humilita-
tem ab excelso: faciamus inuicem humile
quod humiliter fecit excelsus. Faciunt hoc sibi
inuicem fratres, etiam hoc ipso opere visibi-
cùm se hospitio recipiunt: & apud sanctos, v
hæc consuetudo non est, hoc quod manum
faciunt, corde faciunt. Multo autem est meli-
& sine controuersia verius, vt etiam manib

Tract. 56. in Ioan. in prin.

Tract. 58. à medio.

fiat; nec dedignetur, quod fecit Christus, facere Christianus. Cùm enim ad pedes fratris inclinatur corpus, etiam in corde ipso vel excitatur, vel, si iam erat, confirmatur ipsius humilitatis affectus.

De amore inimicorum.

CAPVT XIIII.

SEquitur de dilectione inimicorum. Et notandum, quod qui est in congregatione, specialiter debet conari vt inimicos amet, & ad amandum se prouocet. Præceptum enim est Saluatoris, vt inimici diligantur. Diligite inimicos *Matth.5.* vestros, benefacite his qui oderunt vos. Augustinus. In mandatis Dei nihil est mirabilius: quàm quòd præcipimur diligere inimicos. Et quibusdam videtur impossibile, quòd eos diligant; quod ex defectu sapientiæ accidit. Ad lumen enim sapientiæ satis apparere potest, inimicos esse diligendos, non odiendos. Octo verò sunt, quæ si diligenter attendantur, non tanta difficultas in dilectione inimicorum esse credetur. Primùm, est status ipsius inimici, qui tibi iniuriatus est, & non vult satisfacere. Est enim spiritualiter mortuus. Ipse enim quasi insanus manus in se iecit, quando tibi iniuriam intulit. Homo per malitiam occidit animam su- *Sap. 16.* am. Magna crudelitas est, insanire in fratrem mortuum: cui compassio debetur. Crudeliores fuerunt, qui Christo mortuo non pepercerunt: quàm qui viuentem læserunt. Dedecus est velle se vindicare de mortuo. Secundum est vtilitas iniuriæ illatæ. Persecutores nosti, iuxta verbum

Psalmistæ, circumdant nos sicut apes: quia
modum apum molestant nos tribulationibu
sed in futuro fauum æternæ beatitudinis nob
Eccl.1. præparant. Vsque in tempus sustinebit patien
& postea erit redditio iocunditatis. Tertium e
quòd dilectio inimicorum nobis est vtilior q
amicorum. Ipsa multum valet ad spiritualiu
In tract. de rectitud. Cathol. cõuers. paulò ante medium tom. 9. vulnerum sanationem. Augustinus. Ego ad d
lectionem inimicorum vos moneo, quia ad f
nandá peccatorum vulnera, nullum medic
mentum vtilius esse cognosco. Ipsa etiam fac
multum ad perfectionem, & culmen bonitat
Post illud: Diligite inimicos vestros; subditu
Estote perfecti, &c. Augustinus. Manifestissim
bonitatis est, vt tuum quoque inimicum dil
gas: & ei qui tibi malum vult, & si potest, facit,
semper bonum velis, atque facias cum pos
Item magnam mercedem meretur. Si diligi
Luc. 6. eos, qui vos diligunt, quæ vobis gratia. Dilig
inimicos vestros, &c. & erit merces vestra m
gna. Quartum est, quòd Deo gratior est. Aug
stinus. Qui dilexerit inimicos, hic erit Dei am
In li. de rectitud. Cathol. conuersat. ante medium tom. 9. cus. Nec solum amicus: sed etiam filius. Vn
post illud Matth. 5. & Lucæ 6. Diligite inimic
vestros; subditur: Et eritis filij altissimi. Aug
stinus. Quanta gratia: per nos serui digni n
sumus, & inimicorum dilectione filij Dei effi
Eodẽ tract. aliquantulum à prin. tom. 9. mur. Chrysostomus sũper Matth. Nihil est qu
sic Deo similem efficiat, vt malignis atque
dentibus esse placabilem. Quintum est, qu
hæc dilectio, diabolo est molestior. Magis e
elongat ab eius similitudine: qui odio obstin
hominem persequitur. Gregorius: Stultum

seruire diabolo offenso: qui nullo placatur obsequio. Sextum est, quòd dilectio id quod odiendum est magis inimico destruit, quàm aliud. Ipsa est inimico ignis, inimicitias annihilans. Si esurierit inimicus, ciba illum, &c. Hoc enim faciens, carbones congeres super caput eius. Ipsa est gladius interficiens inimicum, in quantum inimicus est. Chrysostomus: Sustine ad tempus inimicum tuum, & benefac ei: postmodum autem victum beneuolentia tua, amabis eum quasi amicum tuum. Idem: Omnis inimicitia beneficiorum assiduitate compescitur. Gregorius. Miles Dei aduersitatis bello depressus, & patientiæ scutum debet ante ferre, ne pereat: & ad præliandum promptus, amoris inferre iacula, vt vincat. Cuius armaturæ summam Paulus breuiter insinuat, dicens: Charitas patiens est, benigna est. Cum verò ex vtroq; vnum defuerit: charitas non est. Si videlicet malos, absque benignitate tolerans, non amat. Et rursus si se sine patientia exhibens, negligit tolerare quos amat. Septimum est, quod non potes nocere ex proposito proximo tuo: quin tibi noceas. Augustinus. Malitia procedit ex te: & quid vastat antè quam te? Ergo quo profundit ramum, lædit: vbi radicem habet, non lædit? Non est dedecus alicui, si non vult inquinare os suum conuitium pro conuitio reddendo: imò honor est & signum nobilitatis animi. Honor est homini qui se separat à contentionibus. Octauum est, quòd ille qui tibi iniuriatur, magis Deo iniuriatur quàm tibi: qui hoc ei prohibuit, qui maius ius habet in te, quàm tu ipse. Si ergo Deus differt

Rom.12.

Lib.3 mor. cap.16. circa princip.

Pro.20.

vindicare iniuriam suam, & non est ei dedecus: non erit tibi dedecus, imò honor, si exemplo Eccl.23. Domini non vis vindicare teipsum. Gloria magna sequi Dominum.

Quarta pars. De honore, quem fratres sibi invicem debent exhibere.

CAPVT XV.

SEquitur de honore quem debent sibi fratres exhibere. Et primò quis honor iste sit, ostendetur: secundò, exhibitio mutui honoris commendabitur: tertiò ostendetur quod in exhibitione discretio sit habenda, quartò, quod fratris inhonoratio multum sit cauenda. Circa primum notandum quod nomen honoris quandoque sumitur pro dignitate, vt ad Heb. 5. Nec quisquam sumit honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Aliquando sumitur pro timore reuerentiæ quæ est affectio animæ qua aliquis altitudinem alterius reueretur, & dicitur esse fuga vel resilitio ab altitudine alicuius rei in propriam paruitatem, & huic motui interiori respondet exterius elongatio vel fuga, qua humiles perfectè elongant se ab his qui sunt in dignitate positi, non audentes se appropinquare. Aliquādo verò honor dicitur illud quod alicui personæ propter aliquam prælationem exterius exhibetur: quod aliquando fit gratia superioritatis ad ostensionem subiectionis, & ad ostendendum voluntatem paratam esse ad obediendum, vt cum aliquis assurgit venienti, vel assistit sedenti, vel inclinat transeunti, vel cum

incedentem sequitur, vel coram eo genua flectit. Ad exhibẽdum hunc honorem monemur. Cui honorem, honorem. Et: Regem honorificate. *Rom.13.* *1.Pet.2.* Aliquando exhibetur honor alicui propter prioritatem temporis, vt senibus, secundum illud: Coram cano capite consurge & honora personam senis. *Leuit.19.* Aliquando verò aliquis honorem exhibet alicui, quia ab eo sumpsit originem, secundum illud: Honora patrem tuum & matrem tuam. *Exod.20.* Aliquando verò propter excellentiam in aliqua gratia: & sic exhibendus est omnibus. Debemus enim credere, quod omnes nos excedunt in aliqua gratia. Omnes honorate. *1.Pet.2.* Et super illud ad Phil. 2. In humilitate superiores inuicem sibi arbitrantes, dicit glossa. Augustinus. *Glossa ord. ibi ex Aug.* Non hoc ita debemus arbitrari vt nos existimare fingamus: sed verè existimemus posse esse aliquid occultum in alio; quo nobis superior sit: etiam si bonum nostrum quo illo videmur superiores esse, non sit occultum.

Commendatio mutui honoris.

CAPVT XVI.

EXhibitionem honoris mutui inter fratres commendabilem reddit, Primò Scriptura sacra, quę multum ad hoc hortatur. Honore inuicem præuenientes. Glos. Aliter non est fraternus amor, nisi mutuis se pręueniat honoribus & obsequiis. *Glossa interlinearis ibid.* Subiecti inuicem in timore Christi. Reddunt etiam commẽdabilem exempla inter quę præcipuum est exemplum Dñi: qui hominẽ voluit honorare. Honorauit eum creando, quia ad imaginem & similitudinem suam eum fecit.

Hono-

Honorauit eum ei prouidendo: quia visibilia mundi propter eum fecit. In Psal. Gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius. Item honorauit eum in conseruatione, angelorum custodiam ei deputando: secundum illud Psal. Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis. Honorauit etiam eum in incarnatione, naturam humanam cum diuina in persona vna sociando. Honorauit etiam eum in passione, hominis gloriam crucis ignominia acquirendo. Vnde dicit Augustinus de Christo, quod redemit venditus, viuificauit occisus, honorauit iniuriatus. Honoraturus est etiam eum in retributione, quando regnum cœlorum est ei daturus, secundum illud: Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum, &c. Non est despiciendus ab homine, qui tantum honoratur à creatore.

Quòd in exhibitione honoris discretio sit habenda.

CAPVT XVII.

HAbenda est autem discretio in honoris exhibitione, vt non habeatur respectus ad bona contemptibilia, scilicet bona fortunæ: sed ad bona nobiliora, scilicet naturæ vel gratiæ. Honorare aliquem propter bona fortunæ; & bona honorabiliora, scilicet bona naturę & gratiæ despicere, magnę stultitię est, Seneca. Quemadmodum stultus est, qui equum empturus no equum, sed stratum & frena conspicit: sic stultissimus est, qui ex veste aut ex conditione, quæ modo vestis nobis circũdata est, hominem existimat.

Epist. 47. declinando ad finem. 41.

istimat. Secundum Gregorium in moralibus. Personam hominis accipere, est hominem non quia homo, sed propter aliquid quod circa ipsum est honorare. Discretionem quæ in exhibitione honoris habenda est, in parte ostendit Hugo de S. Victore his verbis: Discretio personarum quantum quidem pertinet ad dilectionem, secundum meritum: quantum verò ad venerationem, secundum ætatem vel officium habenda est. Meliores diligere, superiores honorare debemus: quia par contumacia est, siue in eo, qui propter inferiorem gradum in homine virtutem despicit: siue in eo, qui propter vitam inferiorem, gradum superiorem contemnit. Istis ergo honor: illis amor impendatur: sic tamen vt honor istorum sit voluntarius, & illorum amor venerandus. Reuerentia enim sine amore magis seruilis est: & amor sine reuerentia puerilis iudicari debet. Cum tanta igitur humilitate & reuerentia melioribus exhibendum est beneficium dilectionis: vt illis quasi ex necessitate videamur esse subiecti; & cum tanto affectu atque hilaritate superioribus soluendum obsequium subiectionis, vt solo potius dilectionis debito illis credamur astricti. Istis sic reddamus sua, quasi nostrum impenderimus: illis sic exhibeamus nostra quasi suum reddere-mus. Licet omnes homines sint honorandi tanquam ad Dei imaginem facti: amplius tamen honorandi sunt boni tanquam Dei filij, & tanquam qui à Spiritu sancto inhabitantur. Augustinus: Honorate in vobis Deum inuicem: cuius templa facti estis. Honorandi etiam sunt præ cæteris

25. mor. in princip.

In tract. de instituit. noui. ca. 5. in princip. tom. 2.

In 3. regulæ aliquātulum à prin.

Eccl.3. cæteris prælati, qui loco Dei sunt: & patres sunt
Ibid. spirituales. Dedecus filij, pater sine honore. Qui timet Dominum, honorat parentes. Exhibitio huius honoris valet ad prolongationem vitæ, & corporalis & spiritualis. Corporalis, quãtum ad parentes carnales: spiritualis quantum ad spirituales. Honora patrem tuum & matrem tuam:
Exod.20. vt sis longæuus super terram. Qui honorat pa-
Eccl.3. trem suum vita viuet longiore. Pater cœlestis vitam eorum conseruat: qui patri à quo vitæ principium habuerunt non sunt ingrati. Valet etiam exhibitio huius honoris ad hoc, vt exhibentes hunc honorem, à suis filiis honorentur.
Eccl.4. Qui honorat patrem suum iocundabitur in filiis. Honorandi sùnt præ cęteris sacerdotes: maxime pabulum cœleste ministrantes. Honorifica sacerdotes. Qui bene præsunt presbyteri du-
Eccl.7. *1.Tim.5.* plici honore digni habeantur: maxime qui laborant in scientia & doctrina.

Quòd fratris inhonoratio multum sit cauenda.

CAPVT XVIII.

MVltum cauenda est inhonoratio fratris. Primò, quia multum offenditur cùm inhonoratur. Vnde Saluator, qui patientissimus
Ioan.8. erat, de hoc videtur conqueri, dicens: Et vos inhonoratis me. Secundò, quia in fratre inhonoratur Deus, ad cuius imaginem factus est: & cuius inhabitator est. Inhonoratur etiam angelus: qui ad eius custodiam deputatus est. Matth.18. Videte ne cõtemnatis vnum ex his pusillis. Angeli enim eorum semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est.

SECVN-

SECVNDA PARS PRINCIPALIS.

OSTENSVM est generaliter quomodo fratres qui sunt in religione debeant se habere: nunc specialiter ostendendum est quomodo se debeat habere qui cæteris præest. Et tangentur duodecim quæ ad eum pertinent. Primum est vt habeat discretionem in fratrum receptione. II. est, vt habeat diligentiam in nouitiorum instructione. III. vt ad professionem leuiter non recipiat. IIII. vt omnibus bonum exemplum præbeat. V. vt in malorum correctione negligens non existat. VI. vt præponendo vnum alij, bonitatem, non carnis nobilitatem attendat. VII. vt de conuentu magnam curam habeat. VIII. vt infirmis exhiberi necessaria faciat. IX. vt præponat spiritualia temporalibus. X. vt maiora bona minoribus præponat. XI. vt dispensationes leuiter non faciat. XII. vt temperet vniuersa.

Quòd prælatus debet habere discretionem in fratrum receptione.

CAPVT I.

CIrca primum notandum, quòd qui vult vineam bonam habere: palmites ex quibus plantanda est, cum discretione debet eligere. Sic cum discretione fratres recipiendi sunt in religione, exemplo Domini: Ego plantaui te vineam electam, omne semen verum. Circa illum qui recipi vult, primo attendendum est, si magnam voluntatem ad religionem habeat. Illum enim qui magnum onus vult sibi assumere, portan- *Hier. 2.*

portandum toto tempore vitę ſuæ, oportet magnam voluntatem ad illud portandum habere,
Cap. 58. in prin. vnde dicitur in regula beati Benedicti de nouiter veniente ad conuerſionem, vt non facilis ei ingreſſus tribuatur: & vt dura & aſpera ei prædicentur. Sic apparet, an vehemens deſiderium ad id quod requirit, habeat: & dilatio deſiderium eius augmentat, quia deſideria dilatione creſcunt: iuxta verbum beati Gregorij: Magnitudo bonæ voluntatis in eo qui vult recipi, ſignum eſt Spiritus ſancti inhabitantis & in eo operantis. In libro de vita ſolitaria: Non ſine grandi ſcrupulo mentis à quacunq; profeſsione arcendus eſt, cui teſtis inhabitantis & trahentis Spiritus ſancti bona voluntas eſt. Secundò attendendum eſt circa illum qui vult recipi, quid ipſe principaliter intendat, vtrum Chriſtum, an aliud præter Chriſtum. Si aliud præter ipſum timendum eſt de ipſo, ait vnus ſcriba Chriſto
Matth. 8. Magiſter, ſequar te quocunque ieris. Qui cognito quod propter lucrum ſæculi eum ſequi vellet, dixit ei: Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet. Non vult Chriſtus vt propter bona temporalia eum homines ſequantur, ſed illi in futuro æternas diuitias dabit, qui in præſenti paupertatis eius ſocius fuerit: Fidem
Eccl. 22. poſside cum amico tuo in paupertate illius: vt in bonis illius læteris. Multum cauere debet qui tenet locum Dei: ne introducat in domum ipſius inimicum eius. Inimicus enim Dei eſt, qui eſt amicus mundi. Specialiter cauere debet, ne homines ſuperbos recipiat, qui neſciunt illi qui

Paulò ante med. libri & habetur in Bernar.

locum

locum Dei tenet subesse: nec fratrum volunt socij esse. Ex duobus generibus hominum domus religionis replenda est. Vel de simplicibus, qui sensu & voluntate ad assequendam religiosam prudentiam feruentes apparuerint & habiles, de prudentibus, quos religiosæ & sanctæ simplicitatis, constiterit esse æmulatores. In libro de vita solitaria. Stulta superbia, vel superba stultitia à tabernaculis iustorum semper procul sit. In eodem: Omnis superbia stulta, quamuis non omnis stultitia superba. Stultitia enim sine superbia nonnunquam simplicitas inuenitur, quæ si ignorat, forsan est docibilis: si nequit doceri, forsitan est tractabilis: & propria est ciuitas refugij simplicitati cohabitatio religionis, nisi sit talis quæ nolit humiliari: vel tam bruta, vt non possit regi vel tractari. Bona tamen voluntas, etsi multum sit bruta non est deserenda: sed salubri consilio ad laboriosam & actuosam vitam transmittenda. Superbia autem quamuis prudens sibi videatur: dimittenda est & abigenda. Discretionem debet habere qui præest, non qua simplices decipiat, suauia religionis eis ostendendo, & aspera occultando: sed qua recipiendis & recipientibus caueat. Crudelitas magna esse videtur: cum paruuli innocentes, asperitatem religionis non intelligentes, cruci religionis affiguntur. Hi in ingressu nihil spirituale intendentes, nec intelligentes ea quæ in regula cõtinentur, post ingressum inimici crucis Christi inueniuntur: ventri suo, non Domino Iesu Christo in monasterio seruiẽtes. Et notandum, quod multis de caussis accidit, quòd in religio-

Paulò ante med. libri & habetur in Bernar. circa medium libri.

ne recipiuntur, qui ad religionem non sunt i-
donei. Aliquando accidit hoc ex cupiditate re-
cipientium. Sicut enim nautæ aliquando ægro-
tantes, non ex toto mortuos, in mari nonti-
ment proiicere, vt bona eorum possint habere:
sic aliqui non timent homines adhuc in mundo
viuentes sudario inuoluere, & in sepulchro
claustri sepelire, vt aliquod temporale commo-
dum possint acquirere. Sudarium est habitus
religiosorum: cum in eo ipsi consueuerint se-
peliri. Mortui debent esse mundo, qui in hoc
sudario inuoluuntur. Non debent iam deside-
rio attrahere bona huius mundi: vt diuitias, de-
litias, & honores. Mortui etiam debent esse si-
bi ipsis. Nemo nostrum sibi viuit. Hanc mortem
Rom. 14. sequitur beata vita: Si mortui sumus cum Chri-
Rom. 6. sto, credimus quia simul etiam viuemus cum
illo. Aliquando accidit hoc ex carnalitate re-
cipientium: qui cum Dei ordinatione filios non
habeant, diaboli procuratione nepotulos sibi
aggregant: quos in religione recipi faciunt, non
vt saluentur, sed vt ditentur, & per eos fortiores
efficiantur: qui sicut carnaliter ingrediuntur,
sic post ingressum carnaliter cõuersantur. Quod
Ioan. 3. natum est ex carne, caro est, & quod natum est
ex spiritu, spiritus est. Aliquando hoc accidit ex
parentum carnalium improbitate: qui filios su-
os in religione ponunt, vt ab eis se expediant:

potius intendentes eorum corpora-
lem prouisionem, quàm eo-
rum salutem.

De diligentia in nouitiorum instructione.

CAPVT II.

CIrca nouitios debet qui congregationi præest diligentiam magnam habere. Matrem se debet eis exhibere, benignitatem ostendendo, vt eum non refugiant: sed ad eum tanquam ad sinum matris recurrant. Si verò in negotiis occupatus non potest intendere eis, mitem debet eis assignare fratrem, scilicet aliquẽ discretum, maturum, benignum: qui eos custodiat, munditiæ eorum intendant, cibo spirituali eos frequẽter pascat, imbecillitatem eorum sustentet, necessaria eis ministrat. Habenda est diligentia circa nouitios: tanquam circa paruulos. Custodiendi sunt à periculis, igne, aqua, fouea. Monendi sunt ad patientiam contra mala pœnæ, ne igne iræ bona spiritualia amittat. Qui impatiens est sustinebit damnum. Monendi sunt *Pro. 19.* ad temperantiam: ne in aquam voluptatis se immergant. Vult Pharao paruulos in flumine proiici. Item monendi sunt vt à fouea illa ca- *Exod. 1.* ueant: in quam toties lapsi sunt. Beatus vir qui *Eccl. 14.* non est lapsus verbo ex ore suo. Munditiæ eorum debet intendere. De modo confessionis diligenter sunt instruendi. Ante professionem confessiones eorum debent recipi. Ad frequenter confitendum sunt monendi: vt omni tempore sint candida eorum spiritualia vestimenta. Circa nouitios primo nitendum est peccatis amouendis: ne seratur super spinas. Nolite se- *Hier. 4.* rere super spinas. Spinæ sunt peccata quæ pungendo mentem cruciant: crescendo cum segete

bonorum operum eam ſuffocant: & incendio infernali materiam miniſtrant. Primo faciendū eſt amotio ſpinarum iſtarum: & ſi poſtea iterum creſcant, non eſt negligenda illarum extirpatio. Vnica enim ſpina mortalis peccati, ſegetem bonorum operum & vineam viri ſtulti deſtruit. Per agrum hominis pigri tranſiui, & ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerant ſuperficiem eius ſpinæ. Nouitiis ſpiritualis cibus frequenter eſt miniſtrandus, quo & nutriantur & augeantur. Quod inſinuatur Ioan. vlt. Vbi Saluator bis dixit Petro: Paſce agnos meos. Tria genera hominum non poſſunt eſſe diu ſine cibi ſumptione, quin grauētur: ſcilicet paruuli pueri, conualeſcentes à graui infirmitate, & itinerantes. Quaſi paruuli pueri ſunt nouitij, qui nondum per annum vitam religioſam duxerunt: quibus multum cauendum eſt, ne cibi ſpiritualis defectum patiantur. De quo defectu multum dolendum eſſet & plangendum, iuxta illud: Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Ipſi laborauerunt non vna grauitate ſolum, ſed multis: Ideo neceſſe eſt frequenter refici: vt vires reſumant. Cùm accepiſſet cibum, confortatus eſt. Ipſi longam viam & grauem, ſcilicet in cœlum, quæ valde ardua eſt, aggreſſi ſunt: ideo reficiendi ſunt frequenter ne in ea deficiant. Si dimiſero eos ieiunos in domum ſuam, deficient in via. Nouitiorum tanquam paruulorum imbecillitatem debet qui eos regit ſupportare, defectus eorum patienter ſuſtinendo: in tentationibus eorum eos conſolando: adiutorium diuinæ gratiæ, rati-

Pro. 24.

Tren. 3.

Actor. 9.

Matth. 16.

rationibus suis eis impetrando. Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere. Congregabit agnos: & in sinu suo leuabit. Status nouitiorum est tractabilior, sicut virga trabe est flexibilior: ideo directioni eorum cura multa est adhibenda. Tempore nouitiatus in psalmodia & officio diuino diligenter debent studere: & in regula, & in statutis ordinis, secundum quæ necesse habent viuere. *Rom.15.* *Isai.40.*

Quòd nouitij non sunt leuiter ad professionem recipiendi.

CAPVT III.

NOuitij non sunt leuiter ad professionem recipiendi. Leuiter recipiuntur cum de moribus eorum ante professionem experientia non habetur: Vel cum ea ad quæ in professione se obligant, eis ante professionem non exponuntur. B. Benedictus in regula sua dicit, vt nouitio post duorum mensium circulum legatur regula per ordinem: & dicatur ei. Ecce lex sub qua militare vis: si potes seruare, ingredere. Et si adhuc steterit, post sex mensium circulum relegenda est ei regula: vt sciat ad quod ingreditur. Et si adhuc stat, iterum post quatuor menses legenda ei. Prohibuit Dominus, Ne animal cœcum offerretur ei. Cœcum animal Deo offertur, quando aliquid Deo promittitur: & quid illud sit, nescitur. Quòd aliquis leuiter ad professionem recipitur, quandoque accidit ex superbia recipientium, qui verecundantur quòd aliquis qui ad eos ingreditur ad seculum reuertatur. *Cap.58.* *Leuit.22.*

tur. Qui tali fatuitate laborare videntur, qua laboraret qui verecundaretur de hoc quod in messe sua palea inueniretur. In his qui in religione ad probationem recipiuntur, ventus tentationis indicat quis palea, quis granum existat. Ad impetum enim huius venti palea discedit: granum verò locum suum non dimittit. Superuacuum esset tempus probationis, si omnes qui probantur, necessariò approbarentur. Cum de multis à Deo vocatis, pauci sint electi: non est mirum si non omnes qui probantur, ad professionem admittantur. Aliquando accidit quòd aliquis ad professionem leuiter recipitur, ex indiscreta pietate recipientium; qui carnalibus hominibus adeò compatiuntur, vt cum eis carnales efficiantur. Ipsi sunt infirmis adeò misericordes, quod sanis sunt crudeles & infideles: inter quos ponunt homines pestilentes qui eos corrumpant. Multi homines misericordes vocantur: vnum autem fidelem quis inueniet? Oportet vt religio despumetur, ad hoc vt in sua puritate seruetur. Vbi nulla est despumatio, est impuritas multa. Gloriantur aliqui de hoc quod de ordine eorum nullus apostatat: quibus dici potest, quòd non est mirum si nullus apostatando egreditur, in quo apostasia toleratur.

Pro.20.

Quòd prælatus omnibus exemplum bonum debet præbere.

CAPVT IIII.

MVltum decet eum qui congregationi præest, vt exemplum bonum ei miniſtret: & congregationi hoc valde vtile eſt. Contrarium verò, ei qui præeſt multum eſt verecundum: & congregationi valde noxium. Dicit B. Benedictus in regula ſua de abbate: Vt bona & ſancta, factis amplius, quàm verbis oſtendat. Gregorius: Sit rector actione præcipuus: vitæ viam ſubditis viuendo denunciet. Idem: Præpoſitorum bonitas ſubditorum ſalubris eſt regula. Ad Tit. 2. In omnibus exemplum teipſum præbe bonorum operum. Prælati eſt dicere ſubditis, quod dicit Gedeon, Iudicum 7. Quod me facere videritis, hoc facite. Matthæi 3. dicit caput Eccleſiæ præcurſori: Sic decet nos implere omnem iuſtitiam. Superiores omnem iuſtitiam debent implere: quia neceſſe habent, omnem iuſtitiam docere. Quaſi contra naturam eſt, quod lingua ſit maior manu. Bernardus in libro de conſiderat. Monſtruoſa res eſt gradus ſummus, & animus infimus: ſedes prima, & vita ima: lingua magniloqua, & manus otioſa: ſermo multus, & fructus nullus. Qui alios ſuperat ſublimitate, excedere debet eos honeſtate. Gregorius. Non debet hominum ducatum ſuſcipere, qui neſcit homines bene viuendo præire. Bern. loquens de Saluatore inſtigane præcurſorem, vt eum baptizaret; Sic plane, inquit, ſic decet, vt vincat humilitate, qui ſublimitate

Cap. 2. ante medium.
Li. 1. regiſt. cap. 24.
Li. 5. regiſt. cap. 165.
Li. 2. de cõſid. parùm à med.
Li. 25. mor. ca. 30. ante medium.

limitate vincebat. Eccl. 3. Quanto maior es, humilia te in omnib⁹. Vtile valde est cõgregationi vt prælatus potius: quæ agẽda sunt, factis, quàm verbis ostendat. Efficacior enim est vox operis quàm vox sermonis. Et secundum verbum sapientis: Longum iter per præcepta: breue & efficax per exemplum. Opus doctrinam debet iuuare, non impedire. Gregorius. Loquendi autoritas perditur, cùm vox opere non iuuatur. Augustinus. Non obedienter auditur, qui seipsum non audit. Opus, verbum debet confirmare, non confundere. Eccl. 29. Confirma verbum. Hieronymus. Non confundant opera tua sermonem tuum. Multum confortat fratres bonum exemplum prælati. Augustinus. Magna consolatio membris ex capite. Si viderint fratres prælatum asperitatem ordinis cum ipsis viriliter sustinentem: multum ex hoc animantur. Si verò viderint eum quæ aspera sunt fugientem: multum exterrentur. Strenuitas ducis milites non modicum consolatur: ipso verò fugiente, ipsi in fugam vertuntur. Præterea cum prælatus ordinis asperitates cum aliis sustinet, ipse intelligit quæ sunt proximi ex seipso: & dum sentit miseriam, addiscit misericordiam & temperat quæ temperanda sunt. Vnde de capite Ecclesiæ dicitur, quod debuit assimilari per omnia fratribus, vt misericors fieret. Qui per experientiam non nouit, miseris compati nescit, secundum illud: Bibentes vinum in phialis & optimo vnguento delibuti, nihil compatiebantur super contritione Ioseph. Valde verecundum est prælato bene docenti, si malè agi-

Qua-

* *Seneca Ep. 6. à med. Tale quid habet lib 1. reg. cap. 24. & 21. mor. cap. 8. in prin.*

Hebr. 2.

Amos 6.

Quasi enim ante se lucernam defert, qua immunditiam suam aliis ostendit. Mandatum lucerna est: & lex lux. Item vulnus portans in faciem: aliis mederi præsumit. Gregorius. Qua præsumptione aliis mederi properat, qui vulnus in facie portat? Ipse de bello fugiens, alios ad strenuè pugnandum inuitat. Ipse literas propriæ damnationis publicat, secundum illud: In quo alium iudicas, teipsum condemnas. Exemplum mali prælati multum nocet congregationi. Qui enim mali sunt, in ea per hoc in sua malitia confirmantur, secundum illud: Confortasti manus impij: vt non reuertatur à via sua mala, vt viueret. Item: Errare facit simplices in religione. Vnde est maledictus; secundum illud: Maledictus qui errare facit cœcum in itinere suo. Ipse facit contra illud: Non pones coram cœco offendiculum. Et poterit dicere Dominus non solum illud: Aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum: sed etiam, quòd aduersus proprium filium ponebas scandalum. Prælatus debet esse & lux, & sal monasterij. Si verò lux ista obtenebretur, & sal infatuetur, tenebrę sunt in monasterio: ita vt quæ agenda sunt non videantur: & deficit condimentum, vt ea non sapiant, quæ aguntur. Prælatus est in monasterio sicut sol in mundo; secundum illud: Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo. Si verò iste sol conuertetur in sanguinem. Congregatio enim peccati sanguine maculatur. Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem: antequam veniat dies Domini. Sol factus est niger sicut saccus cilicinus: & luna tota facta est sicut sanguis:

Pro.6.

Rom.2.

Ezech.13.

Deut.27.

Leuit.19.

NB

Phil.2.

Ioel.2.

Apoc.6.

& ſtellæ ceciderunt de cœlo. Stellæ de cœlo cadunt: quando fratres cœleſtem conuerſationem deſerunt. Sol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum: & ſtellæ cadent de cœlo. Prælatus eſt ſicut lucerna ſuper candelabrum. Si verò hæc lucerna fuerit extincta: fumum reddit peſtiferum. Bernardus. Nunquid poteſt abſcondi veritas ſupra montem poſita: aut latere fumus lucernæ extinctæ ſuper candelabrum? Prælatus tanquam paſtor debet gregem ſuum præcedere & dirigere: ſicut dicit Saluator de bono paſtore: Cum emiſerit oues ſuas, ante eas vadit: & oues eum ſequuntur. Cum verò per abrupta viciorum graditur: neceſſe eſt vt in præcipitium grex ſequatur. Filij facile patrem imitantur. Quæcunque pater fecerit: hoc & filius ſimiliter facit. Pereunte prælato, timendum eſt aliis, ne & ipſi ſimiliter pereãt. Factum eſt grande miraculum: vt Chore pereunte filij eius non perirent.

Matth. 24.

Li. 2. *de cõſid. parùm à medio.*

Ioan. 10.

Ioan. 5.

Num. 2.

Quòd prælatus correctionem malorum non debet negligere.

CAPVT V.

CAuendum eſt multum ei qui præeſt, ne malorum correctionem negligat. Vnde dicit beatus Benedictus in regula ſua: Non diſſimulet Abbas peccata delinquentium: ſed mox vt cœperint oriri, radicitus ea (vt prævalet) amputet. Et notandum quod variis de cauſsis accidit quod ille qui præeſt, mala non corrigit. Quãdoque hoc accidit ex ipſius pigritia. Aliqui cum vocati ſunt à Domino vt in ipſius vinea laborent,

Cap. 2. *à med. illius.*

rent, sic se habent ac si dixisset eis spiritus, vt quiescerent à laboribus suis. Per agrum homi- *Pro.24.*
nis pigri transiui, & per vineam viri stulti,& ecce totum repleuerant vrticæ: & operuerant superficiem eius spinæ, & maceria lapidum destructæ erat. Hic est ordo deficiendi in monasteriis. Primò, est quasi murus cum cemento valde tenaci, cùm scilicet, superiores ex charitate vtiliter præcipiunt: & inferiores ex amore humiliter obediunt. Huic muro aliquando succedit maceria, quæ est murus macilentus, scilicet, sine cemento, quando superiores cum austeritate & potentia præcipiunt: & inferiores ex timore obediunt. Tandem maceria destruitur, cùm ab eo qui præest correctio delinquentium negligitur, sicut legitur: In pigritiis humiliabi- *Eccl.10.*
tur contignatio, id est, lignorum iunctura. Proprium est enim pigritiæ, non statim subuenire periculo, sed expectat donec totum ædificium corruat. Somnus pigritiæ valde reprehensibilis est in eo qui præest. Ad quod ostendendum specialiter Saluator reprehendit Petrum de dormitione: Simon dormis? Dormitio ista sibi *Matth.14.*
& aliis est periculosa. Est enim prælatus sicut vigil in vrbe obsessa. Inuenerunt me vigiles, *Can.13.*
qui custodiunt ciuitatem. Cum dormientibus his qui habent vigilare, intrant hostes: primò desæuiunt in eos, deinde in alios. Ideo bene dicitur Timotheo, qui prælatus erat: Tu verò vigila. In Psalm. Non dormitabit neque dor- *1. Tim.4.*
miet qui custodit Israël. Pigritia prælatorum multum nocuit monasteriis. Matthæi 13. Cum dormirent homines, inimicus superseminauit zizania

zizania in medio tritici. Aliquando qui præs
non corrigit, quia ipse reprehensibiliter viuit.
In Apolog. ad Gulielmum abbatem, ca. penultimo à medio. Bernardus: Nemo fideliter reprehendit, in quo
se esse irreprehensibilem non confidit. Siqui-
dem humanitatis est omnium, in quo sibi qui-
que indulget, aliis non vehementer irasci. Ali-
quando verò non corrigit, quia per indiscretam
humilitatem, corrigendi auctoritatem amisit.
In 3. regula, non remotè à fine illius. Contra quod dicit Augustinus in regula sua, lo-
quens de prælatis: Quando necessitas disciplí-
næ, in moribus coërcendis, dicere vos dura ver-
ba compellit; si etiam ipsi vos modum excessis-
se sentitis, non à vobis exigitur, vt à vobis sub-
ditis veniam postuletis; ne apud eos, quos opor-
tet esse subiectos, dum nimium seruatur humi-
Tit. 2. litas, regendi frangatur autoritas. Argue cum
omni imperio. Aliquando etiam non corrigit
quia in rebus temporalibus sollicitudinem iu-
am & amorem posuit: & de spiritualibus non
curans, fratrum culpas nec punit.
Li. 3. de cõsider. circa finem. Et quia mala non puniuntur, sine timore perpe-
trantur. Bernardus: Impunitas est incuriæ sobo-
les, insolentiæ mater, radix imprudentiæ, trans-
gressionum nutrix. Item aliquando non corri-
git timore scandali, vel alicuius temporalis in-
commodi: non attendens quod veritas non sit
dimittenda propter scandalum: & quod plus
debeat timere Deum quam proximum. Cum
Matth. 15. dicerent Christo discipuli eius: Scis quia Phari-
sæi audito hoc verbo, scandalizati sunt, ait: Om-
Eccl. 48. nis plantatio, quam non plantauit pater meus
cœlestis, eradicabitur. Sinite eos: cœci sunt et
duces cœcorum. Et de Helia dicitur: quod no
pera

pertimuit principem, nec superauit eum verbum aliquod. Item aliquando non corrigit, quia remissio, quæ falso benignitas creditur, hoc impedit quæ videtur fuisse in Hely, qui remisse arguebat filios suos, dicens: Quare facitis res huiuscemodi, quas ego audio? Qui de cella cecidit retrorsum & fractis cervicibus mortuus est. Item aliquando non corrigit, quia malitiam tantum crescere permisit, quòd iam ei non sufficit prævalere. Ideo bene dicitur in regula beati Benedicti; vt peccata mox vt oriri cœperint, radicitus amputentur. Versus: Principiis obsta, sero medicina paratur, Cum mala per longas conualuere moras. Eccl 11. A scintilla vna augetur ignis. Paruuli infernales suffocandi sunt antequam creuerint. In Psalm. Beatus qui tenebit & allidet paruulos suos ad petram. Pharao præcepit paruulos Iudæorũ submergi. Edocti ergo ab ipso, & nos paruulos Pharaonis infernalis occidamus: quia fas est & ab hoste doceri. Caput serpentis infernalis conterendum est, iuxta illud: Ipsa conteret caput tuum. Hieronymus. Lubricus est antiquus serpens: & nisi capite teneatur, totus statim illabitur. In morte primogenitorum filij Israël de potestate Pharaonis liberati sunt. Si igitur vis esse immunis à seruitute Pharaonis infernalis, primos conatus eius destrue.

1. *Reg.* 2.

1. *Reg.* 4.

Cap. 2. *à med. illius.*

Ouid. lib. 1. *de remed. amoris.*

Exod. 3.

Gen. 3.

Exod. 11.

Quòd

Quòd prælatus præponendo vnum alteri, non carnis nobilitatem debet attendere, sed bonitatem.

CAPVT VI.

Cap. 2. parùm ante med.

QVi congregationi præest nobilitatem animi nobilitati carnis præponere debet. Vnde B. Benedictus in regula sua: Non præponatur ingenuus ei qui conuertitur ex seruitio: nisi alia rationabilis causſa exiſtat. Cuius contrarium multum nocuit aliquibus monaſteriis. Prælati enim qui fratres illos præponere debebant, qui ſapientia & vitæ merito præcellebant, illos præpoſuerunt, qui generis nobilitatem habuerunt, corpore quidē nobiles, meliori verò parte ſui ignobiles: illos verò contempſerunt, qui ex humili ad nobilitatem ſurrexerunt. Illis honorem dederunt, qui de nobilitate in ignobilitatē ceciderunt. Ipſi propter genus honorauerunt degenerantes: & deſpexerunt, genus proprium nobilitantes. Ipſi prætulerunt ignauiam deficientium, probitati proficiētium. Ipſi propter nobilitatem illos extulerunt, qui ipſi nobilitati decus fecerunt: illos verò depreſſerunt, qui generis ſui gloria fuerunt. Ipſi nobilitatem illam contempſerunt, quæ filios Dei & Chriſti cohæredes facit: illi verò nobilitati detulerunt, quæ eſt etiam in his qui turpitudini vitiorum ſeruiunt. Malus enim tot dominorū ſeruus eſt, quot vitiorum: vt dicit Aug. Sapiens: Is liber exiſtimandus eſt, qui nulli turpitudini ſeruit. Prælati illos honorauerunt, qui de aliena probitate tumebant: illos verò deſpexerunt, qui propria virtute

Li. 4. de ciuit. Dei, ca. 3. circa finem.

Epiſt. 93. parùm à fine ad innuit.

virtute pollebant. Sapiés: Nemo in gloriam nostram vixit: nec quod ante nos fuit, nostrum est. Animus nobilem facit. Ipsi seruos diaboli reputauerunt nobiles: filios verò Dei, ignobiles; cùm contrarium iudicet Deus: Quicunque honorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. De seruis diaboli dicitur: Vidi seruos in equis, & principes ambulantes quasi seruos super terram. Bernardus. An non seruus, cui dominatur iniquitas? nisi tu fortè indignius iudices, hominem tibi, quàm vitium dominari. Ipsi illud, quod Deus abominatur, id est, altitudinem terrenam dilexerunt: & eam sanctitati prætulerunt. Quod altũ est apud homines, abominatio est apud Deum. Cum terrena altitudo Deo sit abominabilis, qui monasteria per terrenam altitudinem Deo credunt placere, abominationes Ægyptiorum Deo suo volunt immolare. Ruinam etiam monasteriorum suorum videntur quærere, cùm scriptum sit: Qui altam facit domum suam, quærit ruinam. Cùm minister Dei Deum debeat imitari, secundum illud: Qui mihi ministrat, me sequatur: Deus verò ignobilia & cõtemptibilia mundi elegit, vt non glorietur omnis caro: non debet prælatus nobiles cæteris præferre, si sint sine sapientia & sanctitate. Si enim qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare: quanto magis necesse est, vt prælatus sicut Christus ambulet, qui in monasterio locum Christi tenet? Nobilitas generis & potentia secularis, instrumenta possunt esse boni & mali. Si autem sapientia & bonitas adsint,

Seneca ep. 44. post medium.

1. *Reg.* 2.

Eccl. 10.

Luc. 16.

Pro. 17.

Ioan. 12.

2. *Cor.* 1.

1. *Ioan.* 2.

vten-

vtentur illis in bonum : si verò stultitia adsit & malitia, vtentur illis in malum. Non sunt ergo nobilitas generis, & potentia secularis, sufficiens ratio, quare vnus alteri præponatur in monasterio. Diabolus est magnæ potestatis, secundum illud: Non est potestas super terram, quæ comparetur ei. Creatione etiam est valde nobilis, & etiam valde magnæ scientiæ : tamen hæc noxia sunt, cum deficiat bonitas, qua eis bene vtatur. Et notandum, quod bonorum temporalium defensio, videtur fuisse occasio, quod in monasterio nobiles aliis præferuntur. Decepti tamen in hoc fuerunt prælati. Plus enim nocent nobiles mali & fatui, monasteriorum bona fatuè expendendo : quàm prosint ea defendendo. Plus etiam grauant monasteria carnales eorum amici, quàm facerent inimici. Amici eorum sunt vt murilegi, qui caseos à muribus defendunt : tamen si facultatem habeant, eos plus quàm mures consumunt. Nobilitas generis est possessio parui valoris, onerata magnis expensis : ita vt ad eius expensas non sufficiant magni comitatus vel Episcopatus : imò magnis debitis comites & Episcopi obligantur, vt quod nobilitas requirit impleatur. Dominus ex humili statu assumere voluit primos reges populi sui, vt ipsi humiles essent. Saulem assumpsit post asinas, Dauid post oues. Non sunt nobiles, propter suam nobilitatem, in monasteriis cæteris præferendi & præponendi. Nobilitas generis si honorata fuerit, & discretio & bonitas defuerint, humilitatem & obedientiam monasterio expellit, & correctioni malorum se opponit : sic

Iob. 4.

hodie

hodie multos prælatos facere experientia docuit. Vnde & si nobiles aliquando sint vtiles, bona temporalia defendendo : tamen si fatui sunt & mali, magis sunt noxij, bona spiritualia dissipando.

Quòd prælatus magnam curam debet habere de conuentu.

CAPVT VII.

QVi congregationi præest, multam curam de conuentu debet habere. Valde reprehensibilis est, si cõuentui, iuxta facultatem monasterij, necessaria non ministrentur; cùm conuentus pondus diei & æstus sustineat: Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum. *Eccl.34.* Conuentus est vt iumentum, cui dominus insidet. Saluator enim manet in communitate. Bernardus. Amator communitatis & commendator, quomodo communitatem desereret? *Serm. 4. in Epiphan. Domini, parùm ante mediũ.* Idem. Non amat veritas angulos: nec ei diuersoria placent: in medio stat. Communi vita, communibus studiis delectatur. Inhumanum est, vt iumento necessarium pabulum subtrahatur, cui onus imponitur, & flagellum virgæ adhibetur. *Serm. 6. ascens. Domini à medio.* Valde reprehensibile est, quòd filiis Belial, qui iugum fregerunt, vincula ruperunt, & dominum proiecerũnt, superflua ministrentur: sustinentibus verò dominum, & ei obsequentibus necessaria subtrahantur. Non decet hoc regem gloriæ: nec fidelem seruum reputat, qui familiæ eius cibum, & alia necessaria non ministrat in tempore. Non est secundum legem Dei, quòd os boui trituranti infrenetur:

quod præcipuè cauendum est, vbi vituli lasciui-
entes delicatè nutriuntur. Non est æqua partitio inter eos qui in vnum monasterium conueniunt: quando vnus esurit, & alter ebrius est. De communitate illa, cuius rectores fuerunt Apost. legitur: Quòd nullus egens erat inter illos, diuidebantq; singulis prout cuiq; opus erat. Per hoc quod necessaria conuentui non prouidentur, multa mala proueniunt. Prouenit inde murmur; nec mirum, cum asina Balaam, Prophetam eam iniustè cedente, conquesta sit. Sequitur etiam euagatio conuentus. Aliquando enim pro defectu, qui modico posset suppleri, refectorium euacuatur; & cum magnis expensis, & cum magno detrimento religionis, fratres per cameras disperguntur: & etiam datur eis occasio vt proprietarij esse velint.

Act. 4.

Num. 22.

Quòd prælatus debet infirmis necessaria prouidere.

CAPVT VIII.

Cap. 36. in prin.

CIrca infirmos maximam curam debet habere qui præest. Vnde B. Benedictus in regula sua: Infirmorum cura ante omnia & super omnia adhibenda est. Cùm inter miserias præsentis exilij, quæ sunt fames, sitis, frigus, labor, infirmitas excedat; magnitudo verò miserię debeat ad misericordiam prouocare; misericordia circa infirmos debet esse. Item cum religio munda & immaculata apud Deum & Patrem sit, visitare pupillos, & viduas in tribulationibus eorum, & immaculatum se custodire ab hoc seculo: & plus quàm pupillus sit, qui non solum patrem & matrem, sed etiam omnes amicos de-

seruit.

seruit: primò ad religionem pertinet, vt de infirmis cura magna habeatur. Item cùm frater omnem mundi societatem propter monasterij fraternitatem reliquerit: magna inhumanitas est, si monasterium in tanta necessitate ei desit. Frater enim in angustijs comprobatur. *Prouerb.* 12. Item cùm Christus derelictus sit pauper, quomodo ille qui in monasterio vices Christi gerit, illi qui pro Christo se depauperauit, in tanta necessitate viscera sua claudere poterit? Item, cùm homines seculares, qui sunt extra patriam, in hoc fidem sibi custodiant, vt infirmitate sibi subueniant: quomodo qui de hoc mundo exierunt, in hoc sibi fidem non seruabunt? Item quomodo se esse Christi discipulum confidit, qui mandatum de fraterna dilectione, auribus discipulorum à Christo maximè inculcatum, non custodit: cum non diligat fratrem in necessitate, opere & veritate? Prælatus patrẽ fratribus se debet exhibere, compatiendo infirmis. Quis infirmatur, & ego non infirmor? De 2. *Cor.* 11. bono patre legitur: Pro animabus filiorum suo- *Eccles.* 30. rum colligabit vulnera sua. Vulnera enim pro ipsis excipiet: & super omnem vocem turbabũtur viscera eius. Prælatus non solum patrem, sed etiam matrem se debet exhibere fratribus, qui patrem & matrem reliquerunt, & ei adhæserunt. E conuerso verò, multi prælati se habent ad fratres suos, sicut struthio ad filios suos. Durabitur ad filios quasi non sint sui. Hoc dicitur de struthione. Ad habendum curam de infirmis inuitamur exemplo filij Dei, qui humanum genus in infirmitate

positum personaliter visitare voluit & curare: & hoc cum magnis expensis. Infirmis etiam corporaliter, magnam humanitatem exhibuit. Eos enim virtute sua curauit. Leprosum etiam, cuius infirmitas contagiosa est, non aborruit: imò voluit eum tangere & curare. Inter opera misericordiæ videtur excellere illud quod circa infirmos exercetur. In vitis patrum legitur, quòd quidam frater interrogauit quendam senem dicens: Duo fratres sunt, quorum vnus ieiunat sex diebus, multum laborans: alius verò seruit ęgrotantibus: cuius opus magis est gratum Deo? Respondit senex: Si frater qui sex diebus ieiunat laborans, appendat se per nares, non potest esse æqualis illi, qui infirmantibus seruit. Negligentia circa infirmos in multis monasteriis vitium proprietatis introducit, vitium nequissimum, secundum iudicium B. Benedicti, & præcipuè à monasterio radicitus amputandum. Multi enim videntes quòd fratribus in suis infirmitatibus de communi non prouidetur, non intelligentes quòd maius esset periculum male viuendi, quàm cito moriendi, proprium voluerunt habere: vt de proprio possent sibi in suis infirmitatibus prouidere. Multis verò in infirmitate proprium non fuit: imò è contrario infirmitati occasionem dedit, vt cito incurreretur, vel difficile sanaretur: sicut accidit cuidam hortulano, de quo habetur in vitis patrum: qui omnia dabat in eleemosynas, quę de labore suo acquirebat, pręter tenuem victum. Tãdem suggestum est ei suggestione maligni spiritus, vt colligeret aliquam pecuniam, quam, cùm senescere-

Matth. 8.

In secunda parte in li. de charit. circa medium.

Cap. 33. in prin.

In 2. parte in lib. quod monachus nihil debet possidere, paulo à fin.

sceret, vel ægrotaret, posset expendere. Et fecit sic. Contigit autem eum infirmari in pede: & expendit quidquid habebat in medicos, & curari non potuit. Et tandem vnus expertus medicus dixit, eum non posse sanari & curari, nisi per pedis abscisionem. Et cùm quadam die medicus esset allaturus instrumenta sua ad pedem abscindendum, nocte præcedenti hortulanus ille pœnituit de nummis collectis: & quod non dederat eos pauperibus. Et statim angelus Domini astitit ei dicens: Vbi sunt nummi quos collegisti: & vbi est pes quem tractasti? Qui cùm pœniteret, & misericordiam peteret, angelus Domini tetigit pedem eius, & sanatus est. Mane verò medicus veniens inuenit hortulanum in agro sanatum atque operantem: & laudauit Deum.

Quòd prælatus debet spiritualia temporalibus præponere.

CAPVT IX.

QVi præest in congregatione, spiritualia temporalibus debet præponere. Beatus Benedictus in regula sua: Non plus gerat abbas sollicitudinem de rebus transitoriis & terrenis, quàm de salute animarum. Valde reprehensibile est, quod prælatus animas vilipendat: qui eius vices gerit, qui animas specialiter amat. Parcis omnibus, quia tua sunt Domine, qui amas animas. Frequenter essent ei appendendæ animæ, ex pretio quod Saluator pro eis dedit, ne sibi vilescerent. Frequenter cogitandum esset ei quòd

Cap. 2. declinando ad finem.

Sap. 11.

Saluator animam ſuam poſuit pro eis: & ſanguine ſuo eas acquiſiuit. Negligentia prælati circa ſpiritualia, cum diligentia circa temporalia, in aliquibus monaſterijs, in quibus omnia honeſtè ſecundum ordinem fieri deberent, tantam inordinationem induxit, vt in eis terra ſit ſurſum, & cœlum deorſum. Terrena ibi cœleſtibus præponuntur. Pedes ſunt ibi ſupra caput. Viri enim ſpirituales ibi deſpiciuntur, homines verò terrena ſapientes, ad regimen temporale vtiles, in honore habentur. Pes eſt ille qui ſollicitudine, & amore, & miniſterio terram tangit: qui frequenter læditur & maculatur. Et licet videatur eſſe neceſſarius, qui ſuſtinet & portat corpus: tamen ſi ſcandalizat, eſt amputandus, ſecundū illud: Si pes tuus ſcandalizat te, amputa illum. Facies eſt retro: quia in operibus quæ videntur bona, potius intenditur vtilitas terrena, quàm merces æterna. Interiora effuſa ſunt extra: cùm bona æterna negligantur, & exteriora diligantur. Dicitur de auaro, quòd in vita ſua proiecit intima ſua. Deus ibi conculcatur: & terra deificatur. Deficit enim ibi charitas, & regnat auaritia vel cupiditas: quæ eſt idolorum ſeruitus. diabolus ibi honorificè recipitur: & Deus contumeliosè repellitur, vel ignominiosè ſuſcipitur. Raptores enim vel vſurarij, qui ſunt membra diaboli, libenter & cum magno honore ibi recipiuntur, & cum expenſis ibi procurantur: boni verò pauperes, vel repulſam patiuntur, vel malè procurantur; in quibus Deus vel recipitur vel repellitur. Quamdiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis

Matth. 10.

Eccleſ. 10.

Epheſ. 5.

Matth. 25.

feciſtis. Signa quibus perpendi poteſt, quòd prælatus ſalutem animarum paruipendat, & plus de rebus tranſitorijs, quàm de animabus curam gerat, hæc ſunt. Si in propria perſona terrenis negotijs intendit: & in ſpiritualibus vicarium ponit. Si non timet fratres ſuos periculo exponere, vt temporalia bona ſeruare valeat & augere: vt cùm fratres iuuenes & leues ponit in officijs exterioribus: vel paucos fratres in paruis prioratibus. Item qui cum magnis expenſis muros erigit, & mores negligit. Si quotidianas expenſas frequenter computat: animarum verò detrimẽta vel profectus ignorat. Si quando fratres veniunt ad capitula, de rerum temporalium conſeruatione vel multiplicatione eſt tractatus primus: de ordinis verò reformatione vltimus vel nullus. Item ſi ſollicitè prouidentur quæ neceſſaria ſunt corporibus: de his verò non curat quæ ſunt neceſſaria animabus. Primum, ſcilicet quòd prælatus, quantum ad ſpiritualia, vicarium imponat, & relicto grege temporalibus intendat, valdè reprehenſibile eſt, & multum longè à conſilio quod Ietro Moyſi: Eſto, inquit, tu populo in his quæ ad Deum pertinent. Prælatus ad intendendum temporalibus alium decet ſubſtituere: ipſe verò orationi & doctrinæ debet intendere. Ipſe debet eſſe quaſi medius inter Deum & populum. Aliquando debet loqui Deo pro ſubditis, ipſum orando: aliquando ſubditis pro Deo, ipſos inſtruendo. Quod autem nõ ſit tutum vicarium ponere & gregẽ deſerere, patet ex primo vicario ſynagogę. Moyſes *Exod.* 18.

enim ascensurus ad Dominum, ad regimen populi meliorem vicarium posuit quem inuenit: & tamen populus quem recedens fidelem reliquit, elapso modico tempore, ipso redeunte inuentus est infidelis. Secundum, scilicet, pro rebus temporalibus, periculis fratres exponere, personas minus securas in exterioribus officiis ponendo: vel per prioratus paruos eos dispergendo, multum est reprehensibile. Cùm enim boni pastoris sit animam ponere pro ouibus suis: longè videtur esse à bonitate pastoris, pro temporalibus rebus eos exponere lupis. Lupi infernalis est oues dispergere, secundùm illud: Lupus rapit & dispergit oues. Saluatoris verò & boni pastoris est oues colligere. Qui non congregat mecum, dispergit. Et: Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, illas oportet me adducere: vt fiat vnum ouile & vnus pastor. Visitabo oues meas, & liberabo eas omnibus locis, in quibus dispersæ fuerant: in die nubis & caliginis. Mandato Pharaonis, dispersus est populus Israël per vniuersam terram Ægypti: ad colligendas paleas. Et procuratione Pharaonis infernalis, viri religiosi de monasteriis magnis per paruos prioratus videntur fuisse dispersi: vt temporalia bona acquirerent vel conseruarent: Dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum. Cùm Saluator dispersos Israël congregare venerit, indiscretè videntur feciſſe, qui vices eius gerebant, quando congregatos dispersérunt. Item cùm Dauid qui super sene intellexit, dixerit: Ecce quàm bonum & quàm iocundum habitare fratres in vnum; temerarie egisse

*Ioan.*10.

*Matth.*12. *Ioan.*10.

*Ezech.*34.

*Exod.*5.

*Thren.*4. *Isa.*11.

egisse videntur, qui eos, qui elegerant viuere in congregatione, posuerunt in dispersione. Thomæ existenti in congregatione apparuit Dominus: separato verò ab ea non apparuit. Filij Iacob congregati benedictionem patris receperunt. Et super discipulos congregatos Spiritus sanctus descendit. In paruis prioratibus religio annihilatur: ibi vitio proprietatis appropinquatur: meritum obedientiæ minuitur: continentia facile periclitatur. Qui solus est in prioratu, vel cum vno socio, vt frequenter ferè est proprietarius; quæ habet, pro maiori parte habet sibi. Obedientia ipsius minus meretur, cui nullus aliquid iubet: & ideo facit quod facere libet. Continentia etiam facile periclitatur: quia oportunitas peccandi habetur. Bernardus cuidam moniali volenti deserere cõgregationem. Audi me filia, audi fidele consilium. Noli te separare à grege, ne quando lupus rapiat, & non sit qui eripiat: Dispersæ sunt oues meæ, &c. & factæ sunt in deuorationem omnium bestiarum agri.

Ioan. 20.

Gen. 49.

Actor. 2.

Epist. 115. *circa finẽ.*

Ezech. 34.

Quòd prælatus debet maiora bona minoribus præponere.

CAPVT X.

QVi congregationi præest, maiora bona minoribus debet præponere. Cuius contrarium aliquibus monasteriis multum nocuit: vbi magnis expensis aqua fontis de longè adducebatur, de aqua verò sapientiæ Saluatoris non curabatur. Altaria auro & argento & lapidibus pretiosis operiebantur: corpora sanctorum, qui

dum in hoc mundo viuerent, aurum & argentum contemnebant, in vasis aureis & argenteis reponebantur; parietes tam Ecclesiarum quàm clausstrorum depingebantur: monachi cappis sericis in missis & processionibus induebantur: cultus verò & ornatus interior, qui viros spirituales maximè decet, & Deo maxime placet negligebatur. Corpora procurabantur splendidè: & non curabatur de animarum refectione. Si amittebatur asina, quærebatur; si peribat anima, non reputabatur. Hanc inordinationem reprehendit Bernar. his verbis: O vanitas vanitatum, sed non vanior quàm insanior. Fulget Ecclesia in parietibus: & in pauperibus eget. Suos lapides auro induit, & suos filios nudos deserit. De sumptibus egenorum seruitur oculis diuitum. Inueniunt curiosi quo delectentur: & non inueniunt miseri vnde sustententur. Idem: In claustris coram legentibus fratribus, quid facit illa ridiculosa monstruositas, mirè deformis formositas, aut formosa deformitas? Quid ibi immundæ simię, quid feri leones: quid monstruosi centauri, quid semi homines, quid maculosæ tigrides: quid milites pugnãtes, quid venatores tibicinantes? Videas sub vno capite multa corpora, & rursus in vno corpore multa capita. Tã multa denique tanquam mira diuersarum formarum apparet vbiq; varietas, vt magis libeat legere in marmoribus quam in codicibus: totamq; diem occupare singula ista admirando, quam in lege Dei meditando. Proh dolor, si non pudet ineptiarum, cur non piget expensarum? Idem Oratoriorum immensæ altitudines, immoderatæ long-

In Apolog. ad Guliel. abbatẽ ca. Olt. in prin.

In Apolog. ad Guliel. abbatẽ, ca. Olt.

In eadem Apol. iam dicta cap. penult. de elun. ad fin.

longitudines, superuacuę latitudines, sumptuosæ depolitiones, curiosæ depictiones, dum in se orantium retorquent aspectum, impediunt & affectum.

Quòd prælatus non debet dispensationes leuiter facere.

CAPVT XI.

MVltum cauendę sunt leues dispensationes illi, qui congregationi præest. Bernardus in libro de præcepto & dispensatione: Nouit fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ibi tantum vsurpare dispensationem, vbi bonam possit habere recompensationem. In eodem: Remissio voti absque necessitate, non dispensatio, sed præuaricatio est. Idem in libro de consideratione: Non sum tam rudis vt ignorem nos positos dispensatores in ædificationem: non in destructionem. Denique quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. Vbi necessitas vrget, excusabilis dispensatio est. Vbi vtilitas prouocat, dispensatio laudabilis est: vtilitas dico communis, non propria. Nam cùm nihil horum est, non plane fidelis dispensatio: sed dissipatio crudelis est. Ad dispensationem duo requiruntur, scilicet auctoritas, & causſa. Altero horum deficiente, non est dispensatio. Christus cruci suæ non adhæsit leuiter, sed affixus fuit fortiter: Sic clausſtralis cruci religionis affixus debet esse fortiter, nec facilè ab ea recedere. Galat. 5. Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt. Bernardus. In crucè salus nostra est: tantum

Post 1. fol. à prin. libri numer. Lib. 3. aliquantulũ ante finem.

ei

ei viriliter inhæreamus. Idem: Si pœnitentia no-
ſtra crudeli miſeratione minuitur: paulatim
gemmis corona noſtra priuatur.

Quòd prælatus debet vniuerſa temperare.

CAPVT XII.

Cap. 64. parùm à fine. QVi monaſterio præeſt, vniuerſa temperare
debet. Vnde Benedictus in regula: Abbas
opera quæ iniungit, diſcernat & temperet. Item
Eodem cap. circa finē. Abbas ſic omnia temperet, vt ſit quod fortes cu-
piant, & infirmi non refugiant. Temperantia
iſta experientiam requirit. Sicut enim vinum
non bene temperatur, niſi præguſtatione virtus
eius ſentiatur: Sic prælati qui in conuentu nun-
quam iacent, vel comedunt, vel diuinum offi-
cium audiunt, onus quod conuentus ſuſtinet,
temperare neſciunt. Vnde non exhibent ſe pa-
tres vel prælatos, ſed potius exactores; quales
fuerunt exactores Pharaonis, qui à populo De
conſuetum numerum laterum exigebant: ta-
men paleas & quod conſuetum erat eis, mini-
ſtrare nolebant. Exodi 5. Sic tales prælati, & vi-
tra regulam fratres onerant, & tamen eis necce-
ſaria non miniſtrant. Tales ſunt imitatores Ba-
laam, non parcentes aſinæ, ſed eam cedentes vi-
que ad querimoniam. Num. 22. Congregatio-
nem enim, quæ vt iumentum apud eos facta eſt,
adeò ſtimulant, vt eam murmurare compe-
lant. Prælatus timere debet gregi ſuo, exemplo
Iacob. Geneſ. 33. Si greges meos plus in ambu-
lando fecero laborare: morientur vna die cun-
cti greges. Et notandum, quòd ſicut prælatus
temperare debet quæ ſunt aliorum, ſic & qui
ipſe

ipsius sunt. Bona monasterij sunt pauperum Christi: ideo cùm in Ecclesia tot pauperes egeant, non sunt bona illa prodigè expendenda. Vnde dicit beatus Benedictus in regula sua de cellario monasterij: Quod non sit prodigus aut extirpator substantiæ monasterij: sed omnia mensuratè faciat. Prælatus non debet in fastu huic sæculo se conformare. Pauperem enim se debet reputare, cùm in bonis monasterij non habeat dominationem, sed dispensationem: de qua districtam rationem eum reddere oportebit. Sapiens: Pauper vbi cœperit diuitem imitari, perit. Monasteria depauperantur, cùm in fastu principes imitantur. Quem fastum Bernardus reprehendit his verbis: Quod, vt cætera taceam, speculum humilitatis est, cum tanta pompa comitatus incedere, tantis hominum circuitorum stipari obsequiis, quatenus duobus Episcopis vnius abbatis sufficiat multitudo? Mentior, si non vidi abbatem sexaginta equos, & amplius, in suo ducere comitatu. Dicas si videas transeuntes, non patres esse monasteriorum, sed dominos castrorum: nec rectores animarum, sed principes prouinciarum. Illas expensas debet prælatus libenter facere, quæ valent ad conseruationem religionis, & quibus vitatur occasio dissolutionis. Aliquando pro defectu, qui pro modico posset suppleri, euacuato refectorio, cameræ replentur. Prouidere debet prælatus, quantum potest, ne dentur diuitibus, vel consanguineis vel alis, quæ sunt danda Christi pauperibus. Panis enim egentium, vita pauperis est. Qui defraudat illum, homo sanguinis

Ca. 31. circa medium.

In Apol. ad Gulielmũ abbatem, cap. penult. à med.

guinis est. Eccles. 34. Item prouidere debet ne furentur infideles ministri, vnde viuere debeant serui Christi: & ne egeant domestici, vnde luxuriantur extranei. Cogitare debet futuram comparationem: vt in dispensando habeat discretionem. Ideo aliqui bona sibi commissa dissipant: quia de reddenda ratione non cogitant. Prouerb. 28. Viri mali non cogitant iudicium: qui autem inquirunt Dominum, animaduertunt omnia.

Incipit secunda pars, in qua ostenditur quomodo se debeat habere qui subditus est.

OStensum est, quomodo se debeat habere qui congregationi præest, nunc ostendendum est quomodo se debeat habere, qui est subditus, qui inobedientiam specialiter debet timere & cauere. Vnde vna de duodecim abusionibus claustri enumeratur discipulus inobediens. Vnde obedientiam specialiter amplecti debet, qui in statu subiectionis est. Hæc primo commendabitur. Secundo eius gradus distinguentur. Tertio tangetur de his quæ eam iuuant. Quarto de his quæ ei aduersantur. Quinto de eius partibus.

De commendatione obedientiæ, & detestatione inobedientiæ.

OBedientia lignum vitæ est his qui apprehenderint eam: & qui tenuerit eam, beatus est. Simonem, id est, obedientē beatificat saluator. E contrario inobedientia, lignum mor-

est. Fuit enim homini, causſa mortis. Et qui per viam inobedientiæ incedit, miſer eſt & maledictus. Hæc patent Deut. 28. ex benedictionibus, quę fiunt his qui legi obediunt: & maledictionibus quæ fiunt his qui legi non obediunt: Bern. Inobedientiam cauſſam mortis omnes experimur: omnes morimur propter eam. Obedientia ſcala eſt quam Iacob vidit. Gen. 28. Scala illa ſuper terram ſtabat, & cacumen eius cœlũ tangebat: & angeli aſcendebant & deſcendebant per eam, & Dominus erat innixus ſcalæ. Stare debet obedientia ſuper terram, per cœleſtẽ intentionem: cacumen cœlum tangit, quantũ ad cœli peruẽtionem. Perfecta obedientia immediatè ſe habet ad cœlum. Parum enim vel nihil morantur perfectè obedientes in purgatorio: quia magni lucri eſt obediẽtia, vnde ſufficit hic ſoluere debita ſua: Et quia in perfectè obediente, Chriſtus viuit & operatur: Gal. 2. Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus; non eſt veriſimile quod in futuro Deus ſit eorum vltor, quorum eſt hîc actor. Inobedientia hominem expulit de paradiſo terreſtri: obedientia verò perducit ad cœleſtem. Angeli aſcendunt & deſcendunt per hanc ſcalam. Siue enim nobis miniſtrent, ſiue Deo adſiſtant, per viam obedientiæ incedunt: cuius voluntatem agere intendunt Dominus innixus eſt huic ſcalæ. Per viam enim obedientiæ inceſsit, & in mundum veniens, & in mundo viuens, & de mundo tranſiens. De primo legitur Ioan. 6. Deſcendi de cœlo, non vt faciã voluntatem meam, ſed volũtatem eius qui miſit me. De ſecundo Ioan. 4. Meus cibus

eſt,

est, vt faciam voluntatem eius qui misit me. De tertio Matth. 26. Non sicut ego volo, sed sicut tu. Ioan. 14. Sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio. Bernardus. Mementote fratres: Christus ne perderet obedientiam, perdidit vitam: & in signum, quòd obediendo mandato patris mortuus est, inclinato capite emisit spiritum.

De gradibus obedientiæ.

CAPVT XIIII.

In serm. de virtute obedientia & eius gradibus.

ET notandum quod Bernardus tangit septem gradus obedientiæ. Quorum primus est obedire libenter, quem gradum, vt ipse ait, non potest ascendere, nisi qui voluntatem præcipientis suam fecerit. Voluntas verò præcipientis, subditi non efficitur, nisi voluntas subditi prius abscindatur. Sicut cum fit insertio in arbore, ramus minus nobilis prius abscinditur, & pòst, nobilior ramus inseritur: sic voluntas propria prius abscindenda est, post voluntas eius qui loco Dei est, recipi potest, quæ pro Dei voluntate habenda est. Bernardus. Quidquid vice

In li. de dispensat. & præcepto ante med.

Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud aliter accipiendum est, quàm si præciperet Deus. Quid enim interest vtrum per se, aut suos ministros, siue homines siue angelos, notum facit beneplacitum Deus?

In eodem lib. aliquātulum ante medium.

Idem. Ipsum, quem pro Deo habemus, tanquam Deum in his quæ non sunt apertè contra Deum audire debemus. Multi sunt qui multis annis in religione fuerunt: qui nondum primum gradum huius scalæ adscenderunt. Et notandum quòd libenter obedire, præcipuè laudabile est cum

cum grauia iniunguntur. Vnde ſuper illud 1. Regum. 19. Melior eſt obedientia quàm victimæ,&c. dicit gloſſa Gregorij. Sciendum quòd obedientia aliquando nulla eſt,ſi de ſuo aliquid habet; aliquando minima eſt, ſi ſuum aliquid non habet. Cùm enim locus ſuperior imperatur, obedientiæ virtutem ſibi euacuat, qui ad hunc proprio deſiderio anhelat.Cùm verò probra & contumeliæ imperantur, niſi hoc ex ſemetipſo animus appetat, obedientiæ ſibi minuit meritum, qui ad hoc inuitus deſcendit. Sic Moyſes principatum populi humiliter recuſat: Paulus autem audacter dicit; Ego non ſolum ligari in Hieruſalem, ſed & mori paratus ſum.Secundus gradus eſt obtemperare ſimpliciter. Multos enim videmus ſecundum verbum Bernardi poſt præcipientis imperium multas facere quæſtiones; quare,ſæpius ingeminare, vnde hoc venit? quis hoc inuenit conſilium? Inde murmuratio, excuſatio, ſimulatio impoſsibilitatis,aduocatio amicorum. In Pſalm. In auditu auris obediuit mihi. Gloſſa. Vt oſtenderet vno eodemq; momento proceſsiſſe, & præcipientis imperium,& obedientis obſequium.Bernardus in libro de conſiderat. Omnibus nobis in conuerſionis initio nulla virtus magis neceſſaria, quàm ſimplicitas humilis obedientiæ, & grauitas verecunda. Idem in ſermonibus. Rara auis in terra diſcretio: ideò diſcretionis locum fratres, in nobis ſuppleat virtus obedientiæ, vt nihil plus, nihil minus, nihil aliter quàm imperatum ſit faciatis.Idem: Non te moueat imperitus magiſter,indiſcreta poteſtas:ſed memento quia

In ſerm. de virtute obedientiæ, & eius gradibus parũ ante med.

Serm.3.in Epiph. Dñs non procul à fine.

In ſerm. de virtute, obediẽtiæ & eius gradibus ante med.

non est potestas nisi à Deo: & qui potestati resistit, ordinationi Dei resistit. Quinam simplicitatem debet habere, subditi obedientia. In Psalm. Qui deducis velut ouem Ioseph. Ad hanc simplicitatem experiendam, antiqui patres in principio non præcipiebant fratribus recta. Vnde in vitis Patrum dixit quidam Abbati Pastori; Patres seniores non loquuntur ab initio fratribus recta, sed magis distorta: & si viderint, quia ea quæ distorta sunt, faciunt, iam eis non loquuntur, nisi quod expedit, agnoscentes quoniam in omnibus obedientes sunt. Tertius gradus est hilariter obedire, 2. Corinthiorum 9. Hilarem datorem diligit Deus. Bernardus. Serenitas in vultu, dulcedo in sermone, multum colorant obedientiam obsequentis. Nubilosa corporis compositio, & facies tenebris tristitiæ obfuscata, deuotionem ab animo recessisse significat. Ecclesiast. trigesimo quinto: In omni dato hilarem fac vultum tuum. Qui cum murmur obediunt, cum praua falsa Deum pascere volunt. In Psalmo: Dederunt in escam meam fel. Tales sunt, vt magni lapides, qui moueri non possunt, sine afflictione mouentis. Ecclesiastici decimo: Qui transfert lapides, affligetur in eis. Tales sunt, vt rotæ carri, non solùm in hoc quòd præ defectu vnctionis murmurant: sed quia vnus alterum præcedere non vult, dicentes: Quare potius mihi iniungitis quàm alteri? Ecclesiastici 33. Præcordia fatui quasi rota carri. Tales sunt, vt imagines in ædificiis, quæ sustinent columnas, in facie tristitiam ostendentes. Prælatus cuius subditi cum tristitia & mur-

In serm. de virtute obedientiæ & eius gradibus circa medium.

Eccl. 10.

mũre obediunt, similis est illi, qui habet omnia membra infirma, quæ necessariò haberet mouere, & nullum mouere posset sine dolore, qui in magna miseria esset. Prælat⁹ talis imperat isti, & illi affligitur & contristatur, & ipse cum eo, & sic de aliis: & ita qui obsequi debuerant, of- *Hebr.* 1.
fendunt. Obedite præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim peruigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris, vt hoc faciant cum gaudio & non gementes. Hoc enim non expedit vobis. Quartus gradus est velociter obedire. Dictum est Zachæo. Festinans descende. Dicitur de Petro & Andrea à Domino vocatis; Illi continuò relictis retibus secuti sunt eum. Et similiter subditur de Iacobo & Ioanne; Illi statim relictis retibus & patre, secuti sunt eum. Hieronymus. Perfecta obedientia est, sua imperfecta relinquere. Manus illius tornatiles. In vitis Patrum, Abbas Siluanus habebat 12. di- *Cant.* 5.
scipulos, vni eorum nomen Marcus, quem diligebat præ cæteris propter bonum obedientiæ quod erat in eo. Cum⁹q; quidam dicerent ei, *In 2. parte*
quòd alij discipuli contristarentur ex hoc, ipse *cap.* 133.
pulsauit ad ostium vniuscuiusque, vocans eos: & nullus exire voluit. Tandem vocauit Marcum, qui statim exiuit, & inuenit in quaternione, quem ille scribebat tempore vocationis, literam vltimam imperfectam, quam post vocationem, propter bonum obedientiæ, complere noluit. Tunc illi iudicauerunt eum esse magis diligendũ, eò quòd magis diligeretur à Deo propter bonum obedientiæ. Valde gratum esse solet principibus, cùm præcepta eorum velociter

Pro. 22. adimplentur. Vidisti virum velocem in opere suo, coram regibus stabit, nec erit ante ignobiles. Quintus gradus est viriliter adimplere mandatum. Bernardus. Manum tuam misisti ad fortia: agendum est instanter, & constanter obediendum: nec inter asperitatem verborum, tamen regalis est semita relinquenda. Loquitur de semita obedientiæ. Christus hanc semitam pro morte ignominiosa relinquere noluit. Factus est obediens vsque ad mortem, &c. Bernardus. Putas obedientiæ fructum, cùm subditus audit obedientiam, quam multis expetierat votis, quando ei præcipitur, quòd redoleat dignitatem? E contrario meritum assigna tunc illi obedientiæ, quæ terret animum audientis, grauis ad audiendum, grauior ad implendum, grauissima ad tenendum. Sextus gradus est humiliter obedire. Et subdit Bernardus. Magna virtus humilitas, sine cuius obtentu virtus fortitudinis non solùm virtus non sit, sed etiam in superbiam erumpit. Lucæ 17. Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus. Quod debuimus facere, fecimus. Septimus gradus est indesinenter obedire. Et subdit Bernardus. Perseuerantia, singularis filia est summi regis. Idem. Quid currere prodest: & ante metam cursus deficere? Sic currite, vt comprehendatis.

Phil. 2. Eodem loco nũc proximè citato.

In serm. de virtute obedientiæ & eius gradibus à med.

In serm. de virtute obedientiæ & eius gradibus à med.

Eodem loco nunc citato.

De his quæ ad obedientiam iuuant.

CAPVT XV.

ITem notandum quòd quinque sunt quæ solent valere ad hoc, quod aliquid sit magis tractabile vel flexibile: & similia his valent ad hoc quòd

quòd cor alicuius sit magis obediens. Primum est separatio rei ab aliqua re minus flexibili, cui adhæret: vt patet in corio adhęrenti ligno, quod flecti non potest nisi à ligno separetur. Sic oportet quod aliquis perfectè obediens voluntatem suam separet ab omni re temporali, & eam recolligat: vt habeat eam paratam quando mandatum superioris venerit. In Psal. Paratus sum, & non sum turbatus. Item: Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Bernardus. Paratum ad sublimia: paratum ad vniuersa quæcunque præceperis. Idem. Verus obediens mandatum non procrastinat: sed parat aures auditui: linguam voci, manus operi, pedes itineri, & sic se totum intra se recolligit: vt mandatum peragat imperantis. Vt Abraham, qui vt magis esset obediens Deo, Dominus voluit eũ separari ab omni re temporali, dans ei tria præcepta: in quorum primo, voluit eum separare ab his à quibus ortum duxerat; Egredere de terra tua, & cognatione tua, & de domo patris tui. Secundo à seipso, quantum ad carnalia desideria; Circumcidetur ex vobis omne masculinum. Circumcisio in carne facta monebat ad resecationem superfluorum desideriorum carnalium: ideo fiebat in membro in quo maximè concupiscentia sæuiebat. Tertio ab eo quod ortum duxerat ab ipso; Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Isaac. Secundum valens ad tractabilitatem est exilitas, vt patet in virga quæ propter exilitatem flexibilis est: etiam ferrum si sit tenue vel exile, flecti potest. Sic exilitas humilitatis multum valet ad obedientiam. Ideo Apostolus loquens

In meditat. cap. 4.

In serm. de virtute obed. & eius gradibus à medio.

Gen. 2.

Gen. 17.

Gen. 22.

Phil.2. quens de obedientia Christi, præmittit de eius
Lib.14.ca. humilitate,dicens: Humiliauit semetipsum pro
13.circa nobis factus obediens,&c. Augustinus.14.libro
medium. de ciuitate Dei. Obedientia nisi humilium esse non potest.Cùm humilitas sit proprij sensus vacuitas, humilis habet vbi alienum sensum recipiat, tanquã qui vacuus est à suo. Et qui sensum alienum recipit, nisi sit apertè malus, recipit alienam voluntatem: & sic fit obediens. Superbus prius exibit de sensu suo,quàm recipiat sensum alienum, vel alienam voluntatem: & fiet
Pro.26. verè obediens. Vidisti hominem sapientem sibi videri,magis illo spem habebit insipiens. Cibus in quo nimis est de sale, quasi perditus est. Facilius sal cibo additur,quàm subtrahitur. Sic ille in quo proprius sensus nimis abundat, non est aptus religioni. Facilius homo simplex religiosus efficitur, quàm ille. Tertium est alicuius liquoris admixtio. Vt pellis dura vngitur, vt sit tractabilior: Et terræ duræ aqua miscetur. Similiter vnctio gratiæ necessaria est: vt cor magis tractabile fiat. Ideo qui in religione est, frequenter Deo debet supplicare in oratione, vt obediendi ei gratiam tribuat: & prælato suo beneplacitum suum de eo inspiret. Augustinus in libro confessionum. Domine continentiam iubes da quod iubes: & iube quod vis. A simili dicere debet religiosus Deo. Obedientiam iubes, et quod iubes: & iube quod vis. Quartum est calefactio, vt patet in cera, quæ calefacta tractabilior est: & in metallis, quæ ad ignem liquefacta formam rei cui infunduntur, faciliùs recipiunt: Sic accendendum est cor hominis ad obe-

Lib.10.cap.
29. Tom.1.

dientiam, vnctione beneficiorum iam acceptorum, & generalium & specialium. Item ostensione beneficiorum promissorum. Immittendus est etiam ignis diuini amoris in cor viri religiosi, vt cogitet qualiter Deus pro nobis obedire voluit vsq; ad mortem crucis: vt confundatur malè obediens esse ad leuia, quæ ex parte ipsius ei iniunguntur. Ignem veni mittere in terram: & quid volo nisi vt accendatur? Valet etiã ad accensionem considératio culparum commissarum: & pœnarum quæ pro his debentur. Bernard. O si cognouisses quàm multa, & quàm multis debes: videres quòd nihil est quod facis. Primo, debes Christo totam vitam tuam: quia ipse pro tua posuit suã. Secundo, exigunt præterita peccata mea, totam vitam meam, vt faciam dignos fructus pœnitentię: & recogitem omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Quid si tertium creditorem ostendam, qui eam vendicet sibi? puto quòd desideres gloriam, quam oculus non vidit, &c. Nonne ad hanc emendam totum te, & quicquid poteris, dare oportebit? Et cùm omnia compleueris, non sunt condignæ passiones huius temporis ad gloriã futurã, quæ reuelabitur in nobis. Quarto ergò creditori debes quod es, à quo totũ habes, qui te fecit, & bene facit, & cuncta ministrat. Cui horũ proponis reddere quod debes? Item valet accendendum cor ad obediendũ, misera seruitus, in qua remanet qui non proficit: & libertas & consolatio ad quæ peruenit, qui proficit. Manus fortiũ dominabitur: quæ aũt remissa est, tributis seruiet. Hostes hominis remissi quotidie aliquid acquirũt

Luc. 2.

In serm. de quadruplici debito.

Pro. 12.

super eum: & sic in duram seruitutem eum ponunt. Homo remissus semper habet pugnam, & nunquam victoriam: nec promissam vincenti lætitiam. Vincenti dabo manna absconditum. Quintum, est assuefactio. Equus acquiescit circumuolutionibus, vt faciliùs ad voluntatem assessoris flectatur. Religiosus qui in voluntate sua nutritur, destruitur. In vitis Patrum, Antonius præcepit Paulo simplici heremitæ, suere & dissuere vestimenta sua, texere & frangere sportulas: vt voluntatem eius flexibilem & obedientem faceret.

Apoc. 2.

Li. 1. in vita S. Pauli Simplici. circa med.

De his quæ obedientiæ aduersantur.

CAPVT XVI.

OBedientiæ proprius sensus & propria voluntas specialiter aduersantur. Sensus proprius est qui non est communis. Circa quem est reprehensibilis, si sociis non sit suasibilis: reprehensibilius verò est, si non sit subiectus ei qui tenet locum Dei: maximè autem reprehensibile est, si Deo non sit subiectus. Determinandus est potius respectu superioris, quàm respectu inferioris. Sicut enim non dicitur prælatus proprietarius, quantum ad bona temporalia, si non disponat de illis ad voluntatem eius qui inferior est: sic nec dicendus est proprietarius quantum ad sensum, si sensus eius non sit subiectus sensui inferioris. Proprius sensus valde periculosus est ei qui in religione est. Bernardus in sermone. Lepra proprij consilij eo pernicioſior quo occulta: & quantò plus abundat in homine, tantò sibi sanior esse videtur. Hic illorum est, qui zelum

Serm. 3. in tẽpore resurrectionis, & est

lum Dei habent, sed non secundum scientiam : sequentes errorem suum,& obstinati in eo, ita vt nullis velint consilijs acquiescere. Hi sunt vnitatis diuisores, inimici pacis,charitatis expertes,vanitate tumentes, placentes sibi, & magni in oculis suis : ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituere. Et quæ maior superbia, quàm vt vnus homo toti congregationi consilium suum præferat : tanquam ipse solus spiritum Dei habet ? Idololatriæ scelus est non acquiescere : & quasi peccatum ariolandi. Ecce nunc qui se faciunt religiosiores, qui non sunt sicut cæteri hominum, idololatræ & arioli facti sunt. Non debet hominem regere in claustro proprius sensus, qui eum rexit in mundo. Non debet eum habere pro duce, qui in tot foueas eum præcipitauit. Non facietis ibi, quæ nos hic facimus hodie, singuli quod sibi rectum videtur. Proprius sensus est oculus veteris hominis, oculus inquam,caligans, sicut oculi solent in senibus caligare.Oculus iste est destruendus, sicut & cætera membra veteris hominis. Mortificate membra vestra quæ sunt super terram. Item Proprius sensus est oculus scandalizans & ideo eruendus. Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proijce abs te. Sicut equus videns non est idoneus circuire ad molam : sic qui in religione est, non est aptus volubilitati obedientiæ, nisi oculus proprij sensus ei erutus fuerit. Proprius sensus est consiliarius infidelis: de quo non est confidendum : eo quod nimis coniunctus est carni. Noli consiliari cum socero tuo. Item iudex est, qui meritò suspectus habe-

de mersione Naamã circa medium.

Deu. 12.

Cor. 3.

Matth. 5.

Eccles. 37.

tur, eò quod inordinato amore, vel odio, vel timore peruertatur. Bernard. in libro de conside. Amor vel odium, veritatis nescit iudicium. Et notandum, quòd vna ratio, quare aliquis religionem ingreditur, est hæc: vt Deus plenius in eo dominetur. Cùm aliquis vult recuperare castrũ amissum, vbi sunt multæ portæ per quas oportet eum intrare: primo oportet eum habere ingressum primæ portæ. Si non habet eius ingressum, non habet ingressum secundæ. Velut prima porta est sensus. Si non habet Deus sensum hominis: non habet eius voluntatem, nec perfectè ei dominatur. Obedientiæ multum aduersatur propria voluntas. De qua Bern. Voluntatem dico propriam quæ non est cõmunis Deo & hominib⁹: sed omni casu quod volumus, non ad honorẽ Dei vel proximi profectum, sed propter nos ipsos facimus, propriis satisfaciẽdo affectibus. Hæc in viro religioso displicet Deo, placet diabolo, & religioni multũ nocet. Non mirum si Deo multũ displicet, cùm dominiũ suum ei auferat. Gregorius de superbo: Quasi à se iugum dominationis conditoris excutit, cui per inobedientiam subesse contemnit. Bern. Propria voluntas, recta fronte cõtraria est charitati, qua Deus est aduersus huiusmodi exercens inimicitias. Quid enim odit Deus vel punit, nisi propriam voluntatẽ? Cesset propria voluntas: & infernus non erit. Diabolo multũ placet. A voluntate tua auertere. Si præstes animæ tuæ concupiscentias eis, faciet te in gaudium inimicis tuis. Propria voluntas multum nocet & ei in quo est, & cæteris qui in con-

In tractat. de gradib. humilitatis, ca. inquirimus. circa medium.

In ser. de mersione Naaman in Iordane.

Eodem loco proximè citato in codẽ Bern.

Eccles. 18.

gregatione sunt. Cæteris nocet scandalizando eos. Bern. Vnde scandala: nisi quòd sequẽdo voluntatem propriã, & quod apud nos temerè diffinimus, si quomodo prohiberi cõtingat vel impediri, statim in murmur & scandalũ prorumpimus? Sibi in quo est, multũ nocet. Primo Dei beneficia subtrahendo. Gregor. Dignum est, vt ab eius beneficijs sit quilibet extraneus, qui eius iussionibus non vult esse subiectus. Secundo, meritum eius euacuando: Quare ieiunauimus, & non aspexisti? Et subditur: Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra. Bern. Grande malum propria voluntas, qua fit vt bona tua, bona non sint: quia non sapit Deo ieiunium, quod non sapit obedientiam, sed vitium propriæ voluntatis. Ego autem in silentio, & in omni obseruantia regulari, idipsum sentio. Tertio, eum confundit. Cõfundetur Israël in voluntate sua. In hoc confundetur, qui propriã voluntatem sequitur, quia contrarium ei accidit eius quod intendit. Quærit alicubi consolationẽ, & ex hoc postea maiorem habet desolationẽ: vel in remorsione conscientię, vel in punitione pœnitentię, vel in infirmitate, quæ quandoque ex hoc sequitur. Qui plus vult facere voluntatem suam in religione, plus cogitur facere contra eam. Cùm enim talis non habeat gratiam illam apud DEVM vel homines, quam habet verus obediens, multa non conceduntur sibi, quæ conceduntur verè obedienti. Ionas qui effugere voluit, vt Dei voluntatem non impleret: impleuit eam inuitus. Gregorius: Ecce Ionam fugitiuum DEI, tempestas inuenit,

In ser. de subiectione propriæ voluntatis à medio.

Isai. 58.

Serm. 71. super Cantic. in med.

Oseæ 10.

Lib. 6 mor. cap. 13. in princip.

uenit, sors ligat, mare suscipit: & quia actoris voci obedire renititur, ad locum, quo missus fuerat, suo carcere reus portatur. Quarto hominem in afflictioue ponit, vnde Saul inobedientem malignus spiritus exagitat. 1. Reg. 16.

De partibus obedientiæ.

CAPVT XVII.

DE partibus obedientiæ notandum, quòd est obedientia reprehensibilis, & est obedientia commendabilis. Obedientia reprehensibilis triplex est. Prima est, cùm aliquis obedit creaturæ inferiori homine, vt pecuniæ. Pecuniæ obediunt omnia. Secunda est, cùm ex remissione superioris, & ceruicositate inferioris accidit, quòd ille obedit qui debet imperare, & membrum inferius est super verticem: & qui debuit esse supra, est infra. Per tria mouetur terra, & quartum non potest sustinere: per seruum cùm regnauerit. Tertia est, cùm aliquis suo superiori in malo obedit. Gregor. in moral. Nunquam per obedientiam malum licet fieri. Aliquando autem licet bonum quod agitur, per obedientiam intermitti. Idem. Caueant subditi, ne plus quàm expedit sint subiecti: ne dum plus quàm expedit studeant subijci, superiorum compellantur vitia venerari. August. Sic modus obedientiæ tenendus est, vt bonis in malo non consentias: malis in bono nõ contradicas. Obedientia commendabilis duplex est. Quædã sufficiens, quædã abundans. Sufficiẽs est voluntas implẽdi præceptum vel mandatũ superioris iuxta

Eccles. 10.

Prou. 30.

Lib. 35. moral. cap. 33. in principio.

In lib. de dispens. & præcepto inter prin. & med.

iuxta modum professionis. Et intellige præceptũ, vbi est coactio imperij: mandatũ verò, vbi non est. Bern. Modus obeditionis est tenor professionis. Nec se valet extendere potestas imperantis: nisi quantum attingit votum obedientis. *Eodem loco nunc citato.*

Idem. Nil mihi prælatus prohibeat eorum quæ promisi; nec plus exigat. Vota mea nec augeat sine mea voluntate: nec minuat sine necessitate. *Eodem lib. inter princip. & med.*

Idem. Est quidam obedientiæ limes secundum tempus, ipsa temporis extremitas, vt is sit finis obedientiæ, qui est vitæ. Abundans obedientia est, cùm aliquis obedit in his, ad quæ ex voto professionis non tenetur. Bernard. Subiectus huiusmodi obedientiam, quæ finibus cohibetur, nouerit imperfectam. Nam perfecta obedientia legem nescit, terminis non arctatur, neque contenta angustijs professionis, largiori fertur voluntate in altitudinem charitatis: & ad omne quod iniungitur, spontaneo vigore liberalis alacrisq; animi, modum non cõsiderans, in infinitatem extenditur. Et notandum quòd ad perfectionem obedientiæ pertinet non solum facere quod iubetur: sed sicut iubetur. Dicitur de Abraham, quòd circuncidit carnem præputij eorum, statim ipsa die sicut præceperat ei Dominus. dicitur de Ioseph, quod fecit, sicut præcepit ei angelus. Et sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio. Et notandum quod Bernardus tres gradus obedientiæ distinguit his verbis; Bonus obedientiæ gradus est, si propter metum gehennæ seu propter professionẽ factam, quis obediat: Melior cum ex Dei amore obeditur. Illa quippe necessitatis *In lib. de dispen. & præcep. inter prin. & med.* *Gen. 17.* *Matth. 1. Ioan.* *In li. de dispens. & præcep. inter prin. & med.*

tis est: ista charitatis. Illum autem optimum obedientiæ dixerim gradum, cum eodem animo recipitur, quo iniungitur: vt scilicet plus velit qui exequitur, quàm vult ille à quo iubetur. Idé. Nouit verus obediens & minima non contemnere: & maxima maximè curare. Et notãdum, quòd religio, vbi sola seruantur præcepta, multum est dehonestata. Auris enim obedientiæ in maiori parte in ea est mutilata, cùm in religione benè ordinata, plura mandata contineantur in regula & constitutionibus, quàm præcepta: & plura mandẽtur à superioribus, quàm præcipiantur. Qui sic obedit, magnam partem census, vel seruitij domino debiti, retinet infideliter: & quasi furatur. Et est similis furi in primo furto deprehenso: cui pars auriculæ est amputata. Talis obedientia parum videtur esse grata Deo. Quis enim est dominus terrenus, qui velit habere seruientem, qui nihil pro eo faciat, nisi quod præcipiat ei, titione eleuato, vel gladio euaginato? Sic iubet, qui dicit, præcipio. Tale enim est, quasi diceret: Si non feceris, mortis æternæ gladio occideris. Item parum est obediens, qui ad plura non est obediens. In iure enim diuino, & in iure positiuo, & in statutis religionum, quæ bene sunt instituta, plura mandantur: quàm præcipiantur. Item parum est gratus domino seruus, qui non potest induci ad eundum ad locum, ad quem à domino mittitur, nisi prius ligetur. Præceptum est vinculum quo malè obediens ligatur. Item infirmus est molestus medicanti & custodienti, quem oportet ligari. Item com-

pediri

pediri præcepti violentia, non pertinet ad bonum filium, vel etiam ad seruum beneuolum: sed ad maleuolum: Seruo maleuolo, tortura & compedes. Cùm voluntas sit radix merendi, magis voluntarium videtur esse magis meritorium: & obsequium quod minus gratum habetur. Parum est voluntarium, quod violentia præcepti à subdito extorquetur. *Eccl. 33.*

INCIPIT TERTIA PARS, CONTINENS VNUM CAPITULUM, IN QUO AGITUR DE MINISTRIS.

CAPVT I.

OSTENSVM est, quomodo subditi in religione debeant se habere: nunc tangendum est aliquid de ministris, qui bona temporalia habent dispensare. Circa quos specialiter est cauendum, ne indiscretè multiplicentur. Secundùm B. Benedict. in regula: Vnus debet esse cellarius, qui omni congregationi sit sicut pater: & curam gerat de omnibus. Quod Abbas iusserit, debet facere: quod prohibuerit, non debet præsumere. Si congregatio fuerit maior, ad solatium debent ei dari, qui eum adiuuent: vt ipse æquo animo impleat officium sibi commissum. Non est secundum regulã, vt multi sint principales, bona monasterij dispensantes, sed vnus. Ille non solum conuentus, sed infirmorum, pauperum & hospitum curam debet gerere. In multis tamen monasteriis occasione infirmorum, pauperum & hospitum, *Cap. 31. in prin.*

& eo-

& eorum quæ ad ecclesias pertinent aliquibus personis non solùm bonorum temporalium dispensatio, sed etiã donatio data est vel permissa: vt bona illa dispensent, non secundùm prælati iussionem, sed secundum suam voluntatem: vt non solum de illis officium sibi iniunctum impleant, sed etiam sibi prouideant; & quæ abundant, vel prodigè alijs distribuant, vel auarè sibi custodiant. In congregatione cui Christus præfuit, vnus fuit dispensator, & ille fuit latro; dicitur de illo, quod fur erat, & loculos habens ea quæ mittebantur portabat. In multis verò monasterijs multiplicati sunt bonorum temporalium dispensatores, & multiplicati sunt latrones. Sicut enim Iudas ea quæ danda erant pauperibus, dabat vxori & filijs: sic tales quæ danda essent Christi pauperibus, dant attinentibus sibi. Et sicut sunt similes Iudæ in culpa: sic frequenter fiunt similes ei in pœna. Iudas occasione huius peccati in maius peccatum incidit, vt Deum venderet, & desperans laqueo se suspenderet. Sic tales postquam defraudando pauperes Christi, peccauerunt in proximum; indignè celebrando, vel simoniam committendo, peccant in Deum: & sine pœnitentia morientes, infernale incurrunt supplicium. Qui in religione fratribus ministrant, solliciti debent esse, vt ministrando, Deo placeant: cuius sunt bona, quæ dispensant, & familia, cui illa dispensant. Non debent ea nec auarè retinere, nec prodigè expendere. Cauere debent à personarum acceptione. Augustinus in regula sua: Distribuatur vnicuique vestrum à præposito vestro victus

Ioan. 12.

In regula 3. circa principiũ.

victus & tegumentum: non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes: sed potius vnicuique sicut cuique opus fuerit. Sic enim legitis in Actibus Apostolorum, quia erãt illis omnia communia: & distribuebatur vnicuique sicut cuique opus erat. Sine murmure debent ministri fratribus seruire: & sine dilatione ea quibus indigent, dare. Augustinus in regula: Siue qui cellario, siue qui codicibus, siue qui vestibus præponuntur: sine murmure seruiant fratribus suis. Idem: Vestimenta & calceamenta, quando fuerint necessaria, dare non differant, sub quorum custodia sunt quæ poscuntur. Idem: Maledictus dispensator auarus, cuius largus est dominus. Item: Ministri monasterij ne indignentur, vel ex conditione iubentis, vel ex conditione ministerium suscipientis. Attendere debent, iussionem prælati, iussionem esse Dei, secundùm illud: Qui vos audit, me audit. Item attendere debent, ministerium quod exhibetur minimo fratri, Christo exhiberi: secundùm illud: Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Ei ministrare nulli est dedecus, sed honor magnus: cùm ille, quo inter natos mulierum maior non surrexit, dicat se dignum non esse, vt soluat corrigiam calciamenti eius. Item attendere debent, dominum indigno humile ministerium exhibuisse, scilicet proditori suo Iudæ. Attendere etiam debent, quòd angeli hominibus quantumcunque vilibus non dedignantur ministerium exhibere. Videte ne contemnatis vnũ ex his pusillis. Angeli enim eorum semper vident faciem

In 3. regula cap. 34. tom. 1.

Ibidem ca. 36.

Luc. 10.

Matth. 25.

Matth. 18.

patris mei, qui in cœlis est. Item attendere debent gloriã præmij, quã habebunt ex humilitate ministerij. Qui humiliat° fuerit, erit in gloria.

Iob. 22.

INCIPIT QVARTA PARS, IN QVA ostenditur, quomodo se debent habere, qui fuerunt diuites in sæculo, & qui fuerunt pauperes.

CAPVT I.

CONSEQVENTER ostendendum est, quomodo se debeant habere in monasterio & qui in sæculo fuerunt diuites: & qui fuerunt pauperes. Quod ostendit Augustinus in regula sua his verbis: Qui aliquid habebant in sæculo, quando ingressi sunt monasteriũ, libenter velint illud esse commune: qui autem nihil habebant, non ea quærant in monasterio, quæ nec foris habere potuerunt. Sed tamen eorum infirmitati, quod opus est tribuatur, etiã si paupertas eorum, quando foris erant, nec ipsam necessaria poterat inuenire. Non tamen ideo potent se esse fœlices, quia inuenerunt victũ & vestimentum, quale foris inuenire non potuerunt, nec erigant ceruicem, quia sociãtur eis, ad quos foris accedere non audebant: sed sursum corda habeant, & terrena vanè non quærant: ne forte incipiant monasteria esse diuitibus vtilia, non pauperibus: si diuites illic humiliantur, & pauperes inflantur. Rursum illi qui aliquid videbantur esse in sæculo, non habeant fastidio fratres suos, qui ad illam sanctam societatem paupertate venerunt. Magis autem studeant

Parum à prin. reg. 3.

non de parentum diuitum dignitate, sed de pauperum fratrum societate gloriari. Nec extollantur, si communi vitæ aliquid de facultatibus suis contulerunt; nec de suis diuitijs magis superbiant, si eas monasterio partiuntur, quàm si eis in sæculo fruerentur. Alia quippe quæcunque iniquitas in malis operibus exercetur, vt fiant: superbia verò bonis operibus insidiatur, vt pereant. Idem: Qui infirmi sunt ex pristina consuetudine, si aliter tractantur in victu, non debet molestum esse, nec iniustum videri eis, quos fecit aliqua consuetudo fortiores. Nec illos fœliciores putent, quia sumunt quod non sumunt ipsi: sed sibi potius gratulentur, quia valent quod non valent illi. Et si eis qui venerunt ex moribus delicatioribus ad monasterium, aliquid alimentorum, vestimentorum, operimentorúmve datur, quod alijs fortioribus, & ideo fœlicioribus, non datur, cogitare debent quibus non datur, quantum de sua sæculari vita illi ad istam descenderint: quãuis vsque ad aliorum qui sunt corpore fortiores fœlicitatem peruenire non potuerunt. Nec debent velle omnes quod paucos vident amplius, non quia honorantur, sed quia tolerantur, accipere; ne contingat detestanda peruersitas, vt in monasterio, vbi quantum potest fiunt diuites laborioſi, fiant pauperes delicati. In quibusdam tamẽ monasterijs multa circa hæc peruersitas inuenitur: vt scilicet aliqui ibi velint habere abundantiã, qui in sæculo habuerunt penuriam. Aliqui enim iuxta verbum Hier. ditiores sunt monachi, quàm fuerint sæculares:

In 3. regula cap. 14.

& posident opes sub Christo paupere, quas sub locuplete diabolo non habuerant. Aliqui etiam delicata ibi quęrunt, qui vix in sæculo panẽ sufficienter habebant de quibus dicit Hierõ. Nati in paupere domo, in tugurio rusticano, qui vix milio, cibario pane ventrem rugientem satiare poterant, nunc similam & mella fastidiunt. Ibi etiam aliqui volunt honori haberi, qui in sæculo fuerunt despecti. Bern. Plerique in domo Dei

Homil. 4. super missus est à medio.

non patiuntur haberi contemptui, qui in sua nõ nisi contemptibiles esse potuerunt. Ibi etiá alii qui volunt sibi nomen facere, qui in sęculo nullius nominis fuerũt. Bern. Qui antea in suo op-

Homil. 4. super missus est à medio.

pido vix cogniti fuerunt, modò circumeuntes prouincias, curias frequentãtes, regum notitias & principum familiaritates cõsecuti sunt. Item aliqui qui in sæculo ducebãt vitam laboriosam, contra consuetudinem suam volunt ducere vitam otiosam; quod non solum animabus, sed etiam corporibus est nociuũ. Vnde medici mittunt ægrotantes ad consueta. Ministranda sunt necessaria etiam his qui in sæculo pauperes fuerunt. Primò, vt periculum acceptionis personarum caueatur; quod peccatũ dissuadetur: Fratres mei nolite in personarũ acceptione habere fidem Dñi nostri Iesu Christi. Secundò, vt murmur & scandalũ pusillorum vitetur: q; multum

Iacob. 2.

Matth. 18.

timendum est; Quicunq; scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credũt, expedit, vt suspendatur mola asinaria in collo eius. Tertiò propter honorem Christi, qui sibi reputat fieri

Matth. 25.

quod fit pauperi; Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi feciſtis. Ad honorem cœlestis regis

faci-

facit, quod ministris eius sufficienter necessaria ministrentur. Quartò, quia maius est meritũ in his quæ pauperibus ministrantur, quã in his quę diuitibus ministrantur: quia Deus solus ad hoc mouet, in his verò quæ ministrantur diuitibus, frequẽter mouet aliud. Vltimò, quia bona monasterij pauperum sunt, etiam antequã monasterium ingrediantur: quanto magis postquam ingressi sunt: & in domo Dñi laborant? Dignus est enim operarius mercede sua. *Luc. 10.*

INCIPIT QVINTA PARS, IN QVA agitur de infirmis.

CAPVT I.

VLTIMò in hoc quinto libro ostendendum est, qualiter se debent habere infirmi. Multa verò sunt quæ ad infirmitatẽ pertinent, de quibus. XII. tangere sufficiat. Primum est vt attendat, à quo infirmitas detur. II. est vt attendat, ad quid datur. III. est vt aduertat, quantum donum Dei fuit sanitas quã prius habuit. IIII. est vt cogitet, quanta est vtilitas infirmitatis. V. est, vt Deo & ministrantibus sibi propter Deũ valde gratus existat. VI. vt si quem defectum temporalium habet, patienter sustineat. VII. est vt expedientia infirmitati suæ potius, quàm delectantia appetat. VIII. vt exempla sanctorum ad sui consolationem ad memoriam reuocet. IX. vt spe euasionis maiorum malorũ, & spe æternorum bonorum, afflictionem suam alleuiet. X. vt timorem Domini cordi suo infigere studeat. XI. vt alijs compati addiscat.

discat. XII. vt si ei in infirmaria deest necessitas, habeat in patientia: vitam verò communem in desiderio habeat, & cessante necessitate ad eam lætus redeat. Attendere debet, infirmitatem datam esse à patre luminum & misericordiarum, qui non daret filijs suis, nisi quod scit eis expedire, & ideo gratanter debet eam recipere. Ad quod monemur exemplo Saluatoris: *Ioan. 18.* Calicem quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum? Attendere debet ad quid datur; & ad minus hoc debet intelligere, quòd iumentum videtur cognoscere cum percutitur, quòd scilicet percutitur, vel quia extra viam est, & ad viam redit: vel quia nimis lentè incedit, & gressum suum accelerat. Scrutari debet conscientiam suam, quem Dominus infirmitate percutit, & si extra viam paradisi se inuenit, compungi & confiteri: si verò non inuenit se extra viam paradisi, cogitare debet quòd piger erat ad bene operandum: & proponere quòd ad bonum feruentior erit. In Psal. Multiplicatæ sunt infirmitates eorum: postea accelerauerunt. Attendere debet quid ei Deus dedit, cùm dedit sanitatem: intelligere facit infirmitas, quid valet sanitas. Qui nunquam fuit infirmus, nescit quid habet, cùm sanitatem habeat: ideo non Deum pro ea debito modo diligit, nec ei gratus existit. Cogitare etiam debet, quanta sit infirmitatis vtilitas. Illa hostem domesticum debilitat: & sic hominẽ interiorem roborat. Bern. *Serm. 29. in Cant. à medio.* Quid mirum si hoste debilitato tu fortior efficeris? Infirmitas corporis infirmitatem pericu-
losiorẽ sanat, scilicet infirmitatẽ mentis. Eccl.
Infir-

Infirmitas grauis, sobriam facit animã. Dicit B. Greg. de B. Benedicto, qui ꝑpter tentationẽ carnis posuit se in spinis, quòd vulnere carnis, sanauit vulnera mentis. Idẽ: Quis nesciat quòd multo melius est ardere flãmis febriũ quàm igne vitiorũ? Et tamen cùm febre corripimur, quia vitiorum ęstum qui occupare nos poterat, cõsiderare negligimus, de ꝓsecutione murmuramus. Idem: Durũ non æstimes esse quod pateris: externis cruciatibus ab interna passione liberaris. Item infirmitas virtutem perficit, secundum illud: Virtus in infirmitate perficitur. Infirmitas etiam hominẽ probat: Quia acceptus eras Deo; necesse fuit vt tentatio ꝓbaret te. Probauit me quasi aurum ꝙ per ignem transit. Senec. Non in mari tantũ, aut in pręlio vir fortis apparet: exhibetur etiam in lectulo virtus. Multum etiã est vtilis infirmitas. Vnde in vitis Patrum, cùm quidam peteret à Ioanne heremita, vt sanaret eum à tertiana. Respondit: Rem tibi necessariã cupis abijcere. Vt enim corpora ferro à vitio, ita anima languoribꝰ & castigationibus purificatur. Et quidã senex infirmanti discipulo dixit: Ne contristeris ex infirmitate vel plaga corporis. Si enim ferrũ es, rubiginem per ignẽ amittis: si verò aurũ es, per ignẽ probaris, & ad maiora proueheris. Et cùm quidam miles rogaret quẽdam virum sanctũ, vt à morbo liberaret eum ꝓcibus suis: Vir sanctus audito ab eo, quòd melior esset in ægritudine & deuotior quàm in sanitate, dixit: Oro Deum vt seruet te in quo melior es. Frater multum debet esse gratus Deo, & ministranti sibi propter DEVM. In monasterio

Lib. 2. dialog. cap. 2. in medio.

Lib. 34. moral. cap. 23. circa medium.

1. Corinth. 12.

Tob. 12.

Iob. 23.

Ex epist. 79. à medio.

PP. In Vita de S. Ioan. Aegyptio Heremita.

enim ordinato homines gratis recipiuntur, & gratis eis miniſtratur. Non enim qui eis miniſtrat, ab eis miniſterij mercedē expectat: & quaſi ſine merito eorum eis miniſtrat. Etenim ſi laborant, pro æternis eſt labor ille: nō pro terrenis. Vnde valdè gratum debent habere: quòd Deus gratis fecit eis prouideri. Non eſt principale, quod miniſtratur, ſed adijcitur. Hęc omnia adijciētur vobis. Victu magis tenui debet eſſe cōtētus, qui expectat mercedem magnā, quàm qui expectat nullam. Et ſi aliquem defectū ſuſtineant, patienter debent illud ſuſtinere: cùm Deus ſit monaſterij prouiſor: & illum defectum, medicinalem ſubtractionem debent reputare. Auguſt. Scit cœleſtis medicus, quid nobis daturus ſit ad conſolationem: & quid ſubtracturus ad exercitationem. Non enim homo ſine cauſa iumento ſuo cibaria detrahit. Non debet ibi eſſe murmur, quia contra Deum eſſet, qui prouiſor eſt: Non contra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra Dominum. Vſquequo multitudo hæc peſsima murmurat contra me? Cor debet eſſe firmum, vt non diſſoluatur abundantia: nec murmuret penuria. Optimum eſt gratia ſtabilire cor, non eſcis quæ non præfuerunt ambulantibus in eis. Multum eſt cauendum à murmure in clauſtro. Murmuratio vna eſt de duodecim abuſionibus clauſtri. In vitis Patrum dicit abbas paſtor: Qui queruloſus eſt, monachus non eſt. Expedientia magis quā delectantia debet velle. Vnde Auguſt. in regula ſua: Si velit, ſi fortè non expedit: ſuæ cupiditati non eſt obediendum. Idem: Vtrum ſanando dolori quo delec-

Matth. 6.

Exod. 16.
Num. 14.

Hebr. Vlt.

In 3. regul. cap. 31.

delectat expediat, si non est certum, medicus consulatur. Exemplis sanctorum debet se consolari. *Thob.2.* Hanc autem tentationem ideo permisit Dominus euenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiæ eius: sicut & sancti Iob. Et post: Non est contristatus contra Deum, quod plaga cæcitatis euenerit ei: sed immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ. Sufferentiam Iob audistis. *Iacob.5.* Gregorius. Facta prȩcedentium patrum recolamus: & non erunt grauia quæ toleramus. Spe euasionis maiorum malorum, debet afflictionem suam alleuiare. *Lib.4. in li. regum. in prin. habet aliquid tale.* Magna misericordia est, quòd Deus pro malis futuris, quæ meruit homo, accipit infirmitates, vel alia mala præsentis vitæ. Tale est, ac si ille cui debentur marchæ auri & argenti, reciperet pro eis fabas, vel lapillos, pro quibus computatio facta est. Plus enim est faba vna respectu marchæ argenti: quàm tribulatio præsens respectu pœnæ futuræ. Diem pro anno *Ezech.4.* dedi tibi. Item consolari debet magnitudine mercedis. Augustinus. Gaude sub flagellis: quia tibi seruatur hæreditas. Illis ad tempus parcit, quos in æternum damnabit. Idem: Non timeas flagellari, sed exhæredari. Gregorius: Nisi correctis Dominus dare disponeret hæreditatem, erudire eos per molestias non curaret. Timorẽ Domini debet cordi suo infigere, vt per pœnam quam patitur, pœnam futuram intelligat. Gregorius. Si tam asperè Deus percutit vbi parcit, quàm asperè percutiet, vbi non parcet? Cogitare debet quomodo poterit ignem sustinere, qui non potest sustinere modicum calorem febrilem?

brilem? Febris enim est calor, non ignis. Item qui non potest sustinere ignem in vno digito, quomodo poterit sustinere quòd corpus & anima sunt in igne grauiori? Item qui non potest sustinere ignem ad momentum, quomodo poterit illum sustinere in æternum? Compassionem addiscere debet. Nescit infirmus compati, qui infirmitatem passus non est. Qui omnium habebat notitiam, compassionem voluit addiscere per experientiam. Non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia. Cessante necessitate ad communem vitam libenter debet redire. Vnde Augustinus in regula sua dicit de infirmis: Cùm vires pristinas reparauerint, redeant ad fœliciorem consuetudinem suam, quæ famulos Dei tantò amplius decet, quantò minus indigent: ne cibi eos teneat voluptas, iam vegetatos, quos necessitas leuarat infirmos.

Hebr. 4.

Paulo ante medium.

Finit liber quintus.

AD

AD LECTOREM.

SEQVEBATVR iam Sextus liber eiusdem Authoris, De quiete mentis in Deo, breuior omnino & succinctior quàm ipsius rei tũ dignitas, tum etiam necessitas, nostris præsertim temporibus, postulare videbantur. Quare illius loco, (ad eundem tamen finem spectantes) duos alios Tractatus: Alterum quidem de horis canonicis ritè persoluendis; alterum verò de viis quibus ad perfectam vnionem cum Deo perueniatur (quod per orationem ac meditationem inprimis fit) à pio quodam & perdocto viro ex D. Benedicti familia, olim accuratè conscriptos & elaboratos subiunximus: vt hac ratione non modò satisfaceremus ardenti desiderio plurimorum, verùm etiam quantum in nobis esset, omnium omninò Religiosorum vtilitati ac profectui spirituali consuleremus.

* Fr: Garciæ cist: nensi Benedictino.

NOTA.

De Tractatũ hũius Authore maximæ vtilitate videatur Domni ARNOLDI à Wion liber quintus, paginâ 601. NB.

TRA-

TRACTATVS PRIOR QVI DIRECTORIVM HORARVM CANONICARVM INSCRIBITVR, IN QVO religiosus instruitur, quomodo tam in nocturna quàm in diurna psalmodia sese habere debeat, vt illam debita cum attentione & reuerentia perficiat.

Quòd religiosus magnopere debet esse sollicitus circa diuinum officium.

CAPVT I.

IN secundo libro Paralipomenon ca. 29. scribitur: Filij mei nolite negligere, vos elegit Dominus, vt stetis coràm eo, & ministretis illi, colatisq; eum. Quia igitur Deus elegit religiosum in suum ministrum, vt colat & seruiat ei, oportet vt sciat, qualiter ei seruiendum est. Nam vt ait Gerson nihil ita primo & præcipuè conuenit religioso, sicut digne & studiose cultum replere diuinum, id est, horas canonicas, quas pater & dux noster Benedictus in regula opus Dei nuncupat. maxime cum præcipuum religiosi officium prout dicit beatus Hieronymus sit diuinis laudibus vacare, offerendo ei hymnos, psalmos, orationes, & sacrificia: & per hæc populum Deo reconciliare sua & proximorum deflendo peccata. Vnde oportet monachum

nachum vigilanter ac diligenter ſtudere, vt ſeruitutis ſuæ pẽſum dignè valeat exoluere, ne illa eum Hieremiæ Prophetę formidanda comprehendat maledictio; Maledictus homo qui opus Dei facit negligenter.

Quòd neceſſarium ſit religioſo, ſe ante vigilias præparatum reddere ad diuinum officium perſoluendum.

CAPVT II.

LEgitur in Eccleſiaſtico: Ante orationẽ præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo qui tentat Deum. Legitur præterea in collatione Abbatis Iſaac, quod quales cupim⁹ in oratione inueniri, tales ante eam oportet nos præparari. Scribitur quoq; in libro, qui dicitur Speculum monachorum: Stude excitare cor tuum aliqua deuotione præueniens horam canonicam, quam dicturus es. Sume tibi exemplum à paupere, qui cùm vult eleemoſynam ab aliquo diuite expoſcere, ſtudet eum præuenire: cogitans quibus verbis ad impendendam optatam eleemoſynam valeat eum flectere. Inſpice quoque aliquem mortis reum, antequam contra eum feratur ſententia, quàm ſtudioſè nititur cogitare, antequam ſiſtatur iudicis tribunalibus, quid poterit perorare cùm ei aſtiterit, quod eum valeat ad miſericordiã inclinare. Similiter ſeruus Dei antequam appareat in conſpectu diuinæ maieſtatis ſollicitè cõſiderare habet, quomodo & quibus verbis eius miſericordiam poſsit flectere. Grandis igitur fratres & temera-

meraria audacia est absque vlla præparatione ad tantam accedere maiestatem. Omnis quippe tam diurni quàm nocturni diuini officij fructus consistit in præuia præparatione, secundum quod dicit Propheta: Præparationem cordis mei audiuit auris tua. Et nulla potest esse perfecta oratio, quam meditatio non præuenerit, vt ait Hugo in tractatu de oratione. Et Gerson in tractatu de mystica Theologia admonet, vt religiosus prætermissis cæteris, ad canonicas horas dicendas se disponat.

Itaque dilectissimi fratres non sit nobis molestum vno horæ puncto, ante vigilias à lectulis surgere: cùm omne earum meritum consistat in præparatione. Et venundemus Deo illam temporis morulam, & experiemur quàm abundanter retribuet nobis. Et vt in hac præparatione aliquem teneamus modum, & non sit nobis vanum surgere ante lucem, tangemus hîc breuiter tres præparationis modos.

De tribus præparationum modis ad diuinum officium peragendum, & specialiter quomodo se religiosus ad vigilias debeat præparare.

CAPVT III.

DIlectissimi fratres describunt Sancti tres præparationis modos, scilicet, præparationem

Remo-

Remotam, { quæ } { sanctè viuendo,
Propinquam, { cõsi- } { profundè considerando,
Proximam, { stit in } { feruenter orando.

PRIMA est generalis: & hanc explemus bene & sanctè viuendo, scilicet vt nobis semper caueamus ab omni vanitate tam in cogitationibus quàm in verbis, quàm in actibus: & studeamus assiduè vt cor nostrum diligenter custodiatur, & tempus vtiliter expendatur: & operum intentio finaliter in Deum dirigatur, ne cor nostrum tempore orationis vanis phantasmatibus impediatur. Et si quando se vanis cogitationibus senserit infestari, debet aliquantulum legere ante orationem. & conetur ad ea quæ legit applicare mentem suam: & materia lectionis debet esse talis, vt ferat opem ad purè orandum.

SECVNDA præparatio dicitur propinqua & specialis, quæ facienda est in illo quadrante ante inchoationem vigiliarum, hoc modo: Postquam igitur exurgentes de cubilibus fuerimus induti, manebimus in cellis & stantes erecti supra pedes in loco, vbi quisque orare consuenit, debemus nos pro viribus intra nosmetipsos recolligere. Et sic recollecti, debemus mox considerare quid est quod sumus acturi, & propter quid surreximus à lectis: qui enim non considerat quod acturus est, incautus incedit in operibus suis. Quid enim fratres acturi sumus tempore diuini officij, nisi apparere in conspectu Dei & sanctorum Angelorum, & in Concilio iustorum & sanctorum fratrum? Vnde tria oportet

nos

nos diligenter considerare, scilicet quòd tendimus.

ad { Deum adorandum, Deo gratias agendum, Deum orandum.

Primo tendimus ad Deum adorandum trinum in personis, & vnum in essentia adoratione latriæ super iudicia iustificationis suæ. Iudicia autem iustificationis eius, fratres intelligere debemus incarnationem filij sui vnigeniti Redemptoris nostri, natiuitatem, circumcisionem, Regibus manifestationem, in templo præsentationem; & denique suam sanctissimam passionem, resurrectionem & cætera alia: quæ glorioſus Dominus propter nostram redemptionem super terram operari dignatus est. Et dicuntur iudicia diuinæ iustificationis, quia per ea redempti sumus & iustificati. Hoc est igitur primum, quod postquam à lectulis consurreximus vt dictũ est, cum summa diligẽtia & deuotione debemus cõsiderare. Et in his iudiciis exhortantur nos sancti debere adorare, benedicere, laudare, & magnificare Dominum: accipiendo ea sicut obiecta in vigiliis, sicut infra dicetur in officio vigiliarum.

Secundum quod considerandum est, cùm ad officium diuinũm concurrimus, est, quod tendimus ad impendendum gratias Deo & eum laudandum pro receptis beneficiis, eaq; tanquam obiecta in diurnis horis intueri: vt exponetur in prima & tertia.

Tertium quod à nobis est aduertendum, est quod tendimus orare immensam Dei clemen-

tiam

tiam pro nobisipsis, & pro vniuersis Ecclesiæ statibus, accipiendo personam singulorum vt explicabitur in sexta & nona. Inuitat autem nos ad prædicta, si attendimus quòd nihil Deo est.

{ Adorari dignius,
{ Laudari rationabilius.
{ Magis necessarium & vtilius.

His cum ingenti deuotione mente pertractatis, oportet vt mox nosmetipsos circumspiciamus: an, vt decet, simus dispositi apparere in Dei præsentia: ad quem habere sermonem tendimus. in Psalmis enim alternatim nobis loquitur Deus, nosq; loquimur ei. Ad hanc dispositionem requiruntur tria scilicet,

Mentis { Purificatio,
{ Recollectio,
{ Affectatio.

Debemus primo habere mentem purificatam ab omni mortali peccato, vt ante diuinam præsentiam dignè apparere valeamus. Secundo recollectam ab omni distractione, vt diuinum officiũ attentè dicere queamus. Tertio affectatam aliquo deuotionis affectu: vt excusso torpore reuerenter canere possimus: vt sequenti præparatione apparebit clarius.

TERTIA præparatio quæ dicitur proxima, consistit in orationis frequentia: nihil enim prodest humana industria nisi adsit diuina gratia. Post prædictorum igitur considerationem flexis genibus suppliciter exoremus dominum, vt concedat nobis quatenus super iudicia iustificationis eius ipsum dignè queamus adorare,

& pensum seruitutis nostræ deuotè valeamus exoluere. Cumq; auribus nostris cymbalum maius insonare cœperit, surgemus ab oratione, dicentes hæc verba: Hoc signum magni Regis est, eamus & inquiramus eum, & offeramus ei aurum, thus, & myrrham.

Aurum deuotionis,
Thus deuotæ attentionis,
Myrrham fortis & reuerentis stationis.

Et sic pergemus ad oratorium cantantes in cordibus nostris cum ingenti lætitia cantica iubilationis, dicentes iterum: Ecce venit ad templum sanctum suum dominator Dominus: gaude & lætare Syon occurrens Deo tuo. Ecce ô anima mea Deus vniuersæ terræ: & ideo in conspectu suæ immensæ maiestatis psallere sapienter. His igitur & aliis similibus verbis Seraphicis oportet monachum mentem exhilarare, & se totum in Deum leuare. Ingredientes autem chorum aspergentes nosipsos aqua benedicta, dicemus: Asperges me Domine, &c. concipientes generalem de culpis leuibus contritionem. Et in ipso ingressu dicemus quoque: Introibo in domum tuam. Dicatur totus versus: Nosque profundè inclinantes, mentis oculos, in Eucharistiæ Sacramentum figentes, atque Dominum Deum nostrum cum summa reuerentia adorantes adiungemus: Adoramus te Christe & benedicimus tibi, &c. & sequatur continuo: Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te: tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, te iure laudant, te adora-

te glorificant omnes creaturæ tuæ. Et hæc adoratio dicitur latriæ, quæ est quædam species honoris, quæ soli Deo debetur. Et sic vnusquisque nostrum in loco suo stans clausis oculis, & attracto spiritu, formabit intentionem in corde suo dicens: In conspectu Angelorum psallam tibi, ad laudem & gloriam, & gratiarum actionem summæ & indiuiduæ Trinitatis, & humanitatis Iesu Christi, & in vnione omnium superferuentissimarum affectionum, & orationum Domini mei Iesu Christi olim in terris, & nunc in dextera Dei patris pro nobis interpellantis: & in intellectu quem intendit Spiritus sanctus: & in veneratione beatissimæ virginis Mariæ, & istius sancti cuius hodie memoriam celebramus, & omnium sanctorum. pro salute quoque vniuersalis Ecclesiæ desidero has exoluere laudes; vtinam possem dignas. Et scitote fratres quod hæc intentionis formatio post prædictorum solicitam considerationem est magnæ virtutis: illa enim exhibet vniuerso vigiliarum officio vim merendi, vt beatus Ambrosius, & alij Sancti testantur. Et adhuc si ex infirmitate in vigiliarum processu mens inaduertenter ad alia distrahitur, excusat nos à reatu distractionis: quia totum refertur ad primam intentionem, sicut præmissum est, formatam. & ideo oratio semper est meritoria, nisi aduertenter distrahatur, & non curet quantum in se est, mentem distractam reuocare. Et hæc sint quo ad præparationem, quam monachus debet facere ante vigilias in præmemorato horæ puncto, si cupit

ſpiritualiter proficere, & eius obſequium acceptum eſſe Deo, & tota die erit deuotus & iocundus, & ad diuinum officium promptus. Per horas diurnas breuiter poſtquam in prædictis fuerit aſſuefactus, poterit conſiderare, quòd tenditapparere coram Domino, vt adoret eum, eiqúe gratias agat, atque deprecetur eum vt ſupra diximus. Et quoties ingreſſus fuerit oratorium, toties aqua benedicta aſpergatur, dicens vt ſupra: Adoramus te Chriſte, &c. adiciens: Deus meus es tu, &c. Et ſtans in loco ſuo in illa morula qua genu flectitur, formet intentionem, & attracto & recollecto ſpiritu tractet mentaliter præmiſſa ſcilicet. In conſpectu Angelorum, & cætera.

Quomodo poterit deuotus religioſus in pſalmodia eſſe attentus, & mente in Deum eleuari.

CAPVT IIII.

DIlectiſsimi fratres, Sancti in pſalmodia varios deſcribunt attentionis modos. Sed quia hac noſtra ætate homines ſunt rudis intellectus, & in diuinis rebus parum eruditi, non poſſunt ad ſenſus ſpirituales, quos ſancti deſcribunt pertingere. Et ideo ex omnibus modis quos ſancti Doctores ponunt, vnum decretum mediocrem eligere: & ſecundum hunc totum diuinum officium, quo ad noſtram pſalmodiam diſponere, vt quicunque quantumcunque rudis, ipſum valeat capere, & in ipſo exerceri.

Tri-

Trina oratio.

Primò igitur præmissa trina oratione, vel mentali præparatione, firmiter debemus credere nos esse in præsentia Dei, & conari vt simus ibi reuerenter attentè & deuotè, & ac si essemus Angeli Dei in cœlo ante thronum diuinæ maiestatis in medio illorum nosmetipsos præsentare. Cum autem qui præsidet facit signum, cogitare debemus nos à Deo vocari, vt ad habendum colloquia cum eo præparemur. Et quia indigni sumus ipsum supplicamus, vt vos reddat dignos, dicentes in exordio vigiliarum:

Deus in adiutorium — Deus in adiutorium meũ intende: adiicientes ter:

Domine labia — Domine labia mea aperies: Et os meum annunciabit laudem tuam.

Domine quid multiplicati — Et Dñe quid multiplicati sunt qui tribulant me. In quibus suppliciter petimus longe à nobis fieri vniuersa hostium impedimenta, quatenus dignè & reuerenter Dominum super iudicia iustificationis eius adorare, laudare, & magnificare possimus: vt in superioribus dictũ est. Sequitur deinceps,

Inuitatorium — Inuitatorium. in quo cogitandi sunt Angeli adesse, & nobis alioqui inuitando nos, vt vna cum eis Dominum adoremus & laudemus. Et sunt deuote ruminandi omnes versus huius Psalmi: Venite

exultemus Domino, &c.

Hymnus — Statim subditur Hymnus: qui est quidam modus laudis, quem Deo offerimus collaudantes diuinam præsentiam, eiq; congratulantes. Subsequuntur Psalmi primi nocturni, in quibus oportet monachum mentem stabilire in aliquo certo loco, & certas disponere stationes: ne huc illuc vagus discurrat. Et in quantum poterit, applicet sensum Psalmi his, quæ in illo assignato loco fiunt, & sic prosequatur totum vigiliarum officium, collocando omnes earundem Psalmos in iuncturis quatuor digitorum leue interioribus, & exterioribus hoc modo: Ponat vnguem pollicis in prima iunctura indicis: & in ea colloce

1. Psalmus — primum Psalmum quem dicens meditari debet aduentum Angeli Nazareth, ac si cerneret venientem Angelum ad domunculam Dominæ nostræ, & dicentem: Aue gratia. & cum Angelo multitudinem Angelorum psallentium: cum quibus & ipse cantet primum Psalmum, applicans pro posse eum his, quæ ibi geruntur scilicet mysterio Incarnationis filij Dei. — Annunciatio.

Primo finito Psalmo, ponat vnguem pollicis in secunda iunctura indicis aptans mentem suam ciuitati Bethleem, & intueatur natum infantem positum in

2. Psalmus — præsepio, & Angelos & pastores canentes. & cum eis cantet ipse secundum Psalmum adaptans vt dictum est sensum eius, ad ea quæ — Natiuitas.

illic aguntur. & sic procedat per omnes leue iuncturas, vt si mens vagare cœperit, vngue tangens iuncturam reuocet eam ad debitam meditationem.

Tertius Psalmus cantandus est circumcisioni Domini, applicando iuxta prę̃missa eum mysteriis ibi gestis scilicet materiali circumcisioni, per

3. Psalmus — Circumcisio.

quam nostra spiritualis significatur. Et impositioni nominis Iesu: quod interpretatur Saluator: & effusioni sui precioſi sanguinis & doloribus & lachrymis, &c. Quartum Psalmum canta cum

4. Psalmus — Adoratio Regũ.

Regibus, qui venerunt ad adorandum Regem Regum, adaptans eum &c. Quintum concine Psalmum

5. Psalmus — Præsentatio.

cum Simeone & Anna in præsentatione pueri Iesu in tẽplo. Sextum cum Domina nostra, & Ioseph in Ægyptum.

6. Psalmus — Fuga Domini in Ægyptum.

Ægypto, in amissione Domini in templo, in baptismo, deserto, & transfiguratione. Et sic finitur primus nocturnus. Sedens autem in subsellio attende ad sensum lectionum & responsoriorum cùm dicuntur: & transfigurare cum Domino in monte.

SEQVITVR secundus nocturnus, in quo debemus facere alias sex stationes. Primam ad ingressum Domini in die Palmarum,

7. Psalmus — Ingressus Dñi

in ciuitatem Hie- in Hieruſalem.
ruſalem. Et conſidera diligenter quæ ibi aguntur: quomodo Dominus flet ſedens ſuper aſinam: & ibi vna cum vniuerſis illis turbis concine primum Pſalmum ſecundi nocturni, qui in ordine pſalmodiæ ſeptimus eſt, aptando illum ad propoſitum vt diximus. Secundus Pſalmus concinendus eſt cum Apoſtolis in cœna. Et attende diligenter

8.Pſalmus quę ibi aguntur. Cœna Domini

Tertius Pſalmus eſt cantandus orante Domino in horto cum Michaele Ar-

9.Pſalmus changelo & aliis Angelis ibi aſtantibus. Oratio Dñi.

Quartum Pſalmum concine ab hor- A captione vſque ad domum Annæ.

10.Pſalmus to vſque ad domum Annæ cum beato Ioanne cernens eum trahi captum & vinctum. Quintum in domo

11.Pſalmus Annæ vbi fuit colaphis & alapis cæſus. In domo Annę

Sextum in domo Cayphæ vbi fuit

12.Pſalmus In domo Cayphæ.

vultu velatus & ſputis linitus. Et ſic eſt finis ſecundi nocturni. Cum dicuntur lectiones, vide Dominum in carcere habendo tamen attentionem ad lectiones & reſponſoria.

SEQVITVR tertius nocturnus: qui continet tria cantica, quorum primum concine-

cum Dominus

dedu-

1. Canticum.	deducitur à domo Cayphæ in domũ Pilati.	In domo Pilati.
2. Canticum.	Secundũ cum de domo Pilati ad Herodem. Tertium	A Pilato ad Herodem.
3. Canticum.	vero cum reducitur ab Herode ad Pilatum. Et de	Ab Herode ad Pilatum.
Homelia	inde dicitur Homelia, Intuere Dominũ flagellari & ſpinis coronari. Et poſt duodecimum reſponſorium contemplare, quomodo educunt Dominum foras flagellatum, & ſpinis coronatum: & oſtendunt eum populo dicentes, Ecce homo. & pro eorum blaſphemijs concine tu;	Flagellatio & coronatio.
Te Deum	Te Deum laudamus. Poſt hæc aſpice quomodo ſiſtitur dominus Pilato, vt audiat ſententiam quæ per Euangeliũ ſignificatur: quod attentè debes audire. Si autem fuerit dies feria-	Ecce Homo.
Euangelium	lis, ſtationes quæ fiunt in Canticis, & Te Deum laudamus, ſunt faciendæ in Pater noſter, & Aue Maria: quæ dicuntur in principio laudum, & in Pſalmis; Deus miſereatur noſtri; & Miſerere mei Deus: ita vt Pſalmus Miſerere mei, finiatur extra ciuitatẽ, vbi Dominus crucem depoſuit. & in Pſalmis ſequentibus facies ſtationes ſecundum quod dicetur in laudibus feſtorum.	Sententia.

PSALMI Laudum ſunt canendi cum ſtationibus quæ ſequuntur,

Deus misereatur, Cum post latam sententiam iussus est reuerti ad locum vbi fuit flagellatus, vt se proprijs indueret vestimentis.

Dominus regnauit, Cum educitur de domo Pilati baiulans sibi crucem vsque ad portam ciuitatis.

Iubilate, A porta ciuitatis vsque ad montem Caluariæ.

Deus Deus meus, Cum exuitur tunica & cruci interra positæ supinus affigitur.

Benedicite, Cum subleuatur de terra pendens in cruce.

Laudate Cum de cruce deponitur in matris gremio, & in sepulchro.

Cap. & Resp. Cum descendit ad lymbum sanctorum Patrum.

Hymnus, Ad gaudium quo gauisi sunt sancti Patres in eius visione.

Benedictus Cum sanctis patribus de sua liberatione ei gratias agentibus.

Pater noster & Oratio, Significat re vnionem animę & corporis Domini in sepulchro.

Aue stella, Significat primam apparitionẽ Domini factam matri suæ & Dominæ nostræ.

Et hîc finiuntur laudes. Et hoc modo mens nostra inueniet se circa Deum semper occupatam fuisse, eum adorasse, benedixisse, laudasse, & glorificasse, & pro nostris necessitatibus orasse. Hęc enim tria in singulis canonicis horis explemus, Deum super iudicia iustificationis eius adorantes: & de suis beneficijs ei gratias agentes:

& pro

& pro nobisipsis, & pro vniuerso populo Dei exorantes, quamuis specialiter in nocturno officio iudicia diuinæ iustificationis assumimus tanquam obiecta: in diurno vero status Ecclesiæ & beneficia à Deo recepta. Oportet igitur nos in omni opere Dei, & cunctis horis canonicis esse attentos, vt cum sensus Psalmi vel versuũ eius ad adorandum, aut gratias agendũ vel exorandum nos inuitat, adoremus, gratias agamus, & exoremus. Et quia nonnulli formã adorandi, gratias agendi, & orandi, in Psalmis ignorant, ideo hîc est subscribenda.

Forma adorandi.

Adoratio his verbis nõ tam vocaliter quam mentaliter est facienda: O supersumme Domine, anima mea te adorat super iudicia iustificationis tuæ in tuo dilectissimo filio expleta. His igitur vel similibus verbis in Psalmis, Dominus est à nobis adorandus.

Forma actionis gratiarum.

Gratiæ hoc modo agendæ sunt: O supersumme Domine, anima mea tibi offert gratias, & laudes de ardentissimo amore tuo: quo me ante mundi constitutionem amasti, prædestinasti, creasti, redemisti, Christianum fecisti, conuertisti, de sęculo deduxisti.

Et per hunc modum præmissa verba ad agendas gratias pro quocunq; beneficio poterunt aptari.

Forma orandi inter Psalmos.

Orationem inter psalmodiam per hunc modum formare poterimus pro nobis ipsis, aut

pro

pro ſancta Eccleſia, vel pro peccatoribus ſeu pro parentibus, aut pro benefactoribus viuis & defunctis, vel quouis alio ſtatu. Primo igitur in primo vigiliarum Pſalmo quaſi in fine eius ſic poterimus orare dicentes mentaliter & raptim: O Domine per tuam ſanctam incarnationem, propitius eſto mihi peccatori; vel libera me de tali tentatione; vel fac me humilem aut caſtum ſeu patientem; vel concede mihi tuam gratiam vel gloriam. Vel dicendo: O Domine propitius eſto Eccleſiæ tuæ, vel peccatoribus, aut animabus defunctorum, &c. In ſecundo Pſalmo ſic adorandum: O Domine per ſanctam Natiuitatem tuam propitius eſto mihi peccatori vt ſupra. Vel per tuam ſanctam circumciſionē, aut Regibus manifeſtationem, aut in templo præſentationem: vel per fugam in Ægyptum: vel per tuas ſanctas lachrymas quibus ciuitatem ingrediens Hieruſalem lachrymatus es, largire mihi contritionem, & lachrymarum compunctionem: vel per tuam ſanctam cœnam. Et ſic poterit monachus per totam pſalmodiam orare tam pro ſe, quam pro vniuerſis Eccleſiæ ſtatibus, formans diuerſos affectus ſecundum diuerſitatem cauſarum, vel neceſſitatum.

QVE

QVEM MODVM DEBET HABERE *monachus in prima & tertia per totam hebdomadam, assumendo tanquam obiecta beneficia diuina secundum ferias.*

CAPVT V.

Feria 2.	Beneficium	Creationis,
Fer. 3.		Gratificationis,
Fer. 4.		Vocationis,
Fer. 5.		Iustificationis,
Fer. 6.		Dotationis,
Sabbato		Gubernationis,
Dominica		Glorificationis.

Quodlibet istorum beneficiorum distinguitur in sex articulos: quorum tres aptantur ad primam, & tres ad tertiam, secundum senarium numerum Psalmorum, qui ad prædictas horas dicuntur. Vnde singuli Psalmi sex canendi sunt ad singulos articulos, referendo Domino gratias hoc modo:

Oratio.

GRatias tibi ago supersumme Domine Deus meus, de tali beneficio. Hymnos ad primam, tertiam, & sextam, per totam hebdomadam concine congratulans diuinæ præsentiæ.

Feria secunda.

FERIA secunda considera beneficium Creationis,

gra-

gratias agens Domino, qui te	Prædeſtinauit,	ad 1.
	Creauit,	
	Corpus donauit,	
	Animam contulit, (buit,	ad 3.
	Cuſtodem angelũ retri-	
	Parentes Chriſtianos de-	
	dit.	

Feria ſecunda ad primam.

Ab æterno te prædeſtinauit, & perpetua charitate dilexit, & ſemper circa te ſolicitus fuit.

Creauit te tempore, quo ei placuit, & te inter ſuas nobiliſsimas creaturas ſcilicet homines conſtituit: & noluit te condere lapidem, aut tale aliquid.

Impendit tibi corpus cum membrorum integritate, complexionis bonitate, & ſexus nobilitate: à multis te miſerijs eruens, & ad ei ſeruiendum te aptum faciens.

Feria ſecunda ad tertiam.

Tribuit tibi animam, creans eam ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, condendo eam ſui capacem & immortalem: & adornando multis viribus & potentijs.

Dedit tibi angelum cuſtodem à tuæ conceptionis hora, in vtero matris tuæ: qui te cuſtodiret & multis beneficijs donaret.

Largitus eſt parentes Chriſtianos, ex quibus naſcereris Chriſtianus non Agarenus, aut Iudæus, vel infidelis, & in tempore fidei Chriſtianæ.

Feria tertia.

FERIA tertia ad primam & tertiam conſide-

rare

rare debes beneficium gratificationis, eodem ordine quo feria secunda dispositimus,

Gratias agens Domino qui te	Gratificauit,	ad 1.
	Spiritum sanctum dedit,	
	Sacramenta impendit,	
	Baptismo abluit,	ad 3.
	Confirmatione roborauit,	
	Christianum fecit.	

Feria tertia ad primam.

Gratificauit te in suo dilectissimo filio non parcens ei, sed eum tibi largiens in pretium, exemplum, & socium.

Dedit tibi Spiritum sanctum in signum adoptionis, & in priuilegium dilectionis, & in annulum desponsationis: sua tibi communicans dona, fructus, & sanctas inspirationes.

Impendit tibi sacramenta, & primo sanctam Ecclesiam in refugium, vbi à diluuio peccatorum, sicut Noë in arca à diluuio aquarum, posses saluus fieri.

Feria tertia ad tertiam.

Abluit te baptismate, in quo tibi indulsit originalem culpam, restituit innocentiam, vestiuit suam iustitiam.

Roborauit te in Sacramento confirmationis, quo multi caruere: quo te multis donauit muneribus, & eruit à malis pluribus.

Fecit te Christianum, vocans te suo nomine, ad ostendendum te gratificatum, & in sua gratia acceptum: & hoc tibi nomen imposuit in sui memoriam, constituens te filium Dei, & hęredem regni cœlorum.

Feria

Feria quarta.

FERIA quarta debes ad primam & tertiam considerare beneficium, eodem ordine, quem in feria secunda assignauimus,

Gratias agens Domino qui te
- Sustulit, } ad 1.
- Reuocauit, } ad 1.
- Bona voluntate donauit, } ad 1.
- Recepit, } ad 3.
- De seculo eduxit, } ad 3.
- In loco reformato constituit. } ad 3.

Feria quarta ad primam.

Patienter te sustulit, licet post tanta recepta beneficia à Deo auersum, & per diuersa scelera ad creaturas conuersum: & diutius expectauit, & te damnare noluit, neque in tali statu mori permisit.

Te multifarijs modis oberrantem tam sæpe reuocauit, modo per internas inspirationes, aliquando per aliorum admonitiones: quandoque per sacræ scripturæ exhortationes: nonnunquam per suorum beneficiorum largitiones: interdum per suppliciorum & æternorum gaudiorum ostensiones, & per alios modos plures.

Te bona voluntate, quæ suorum munerum est præcipuum, donauit, mentis suæ surditatem dignanter confringendo: vocem veritatis voci suæ impendendo: conuersionis tuæ obstacula longè repellendo.

Feria quarta ad tertiam.

Quoties ad eum conuerti voluisti, paternaliter instar illius filij prodigi Euãgelici, cum gau-

dio te recepit amplexando, & deosculando, & primam stolam & annulum tibi restituendo.

Præter hoc quòd te pœnitentem recepit, de sęculo te eduxit, sicut Loth de Sodomis, & Abraham de Chaldæis, & Noê de diluuio.

In loco reformato te posuit, coniungens te conuentui sanctè & regulariter degentium, & custodiens conuentu malignantium: donauit quoque tibi tempus pœnitendi, quod est valde precios um: & gratiam merendi. & per professionem præuia confessione & subsequente absolutione remissionem omnium præteritorum peccaminum concessit.

Feria quinta.

FERIA quinta debes considerare beneficium iustificationis ordine quo supra,

agens gratias Domino, qui tibi.
- Voluntatem mutauit, } ad 1.
- Perseuerantiam dedit, } ad 1.
- Spem contulit, } ad 1.
- Eucharistiam tribuit, } ad 3.
- Scripturas exhibuit, } ad 3.
- Ornamenta virtutum tradidit. } ad 3.

Feria quinta ad primam.

Mutauit tuam voluntatem, vt opera pœnitentiæ quæ tibi prius erant amara, fierent dulcia: & quę prius erant dulcia efficerentur amara dando tibi peccandi continentiam: quod est insigne donum.

Dedit tibi perseuerantiam & constantiam, sine qua nemo potest saluus fieri, cum multi qui inceperunt, non perseuerauerint.

Contulit ſpem & gratiam, ne in cœptis deſi-
ceres, ſed ſperares veniam, gratiam, & gloriam
te ab eo conſecuturum: de hoc te certum faci-
ens diuerſis modis internarum cõſolationum
& conferens gratiam ad proficiendum per odi-
um præteritorum malorum, & deſiderium fu-
turorum bonorum.

Feria quinta ad tertiam.

Tribuit tibi Sacramentum altaris, parando
in conſpectu tuo menſam, vbi refectionem ſu-
meres, & ſuſtentari poſſes ne deficeres in pro-
fectu. donauit tibi ſacramentum ſui pretioſi
corporis & ſanguinis, in viaticum huius pere-
grinationis, & in Sacramentum communionis,
& in ſacrificium redemptionis.

Exhibuit tibi ſanctas ſcripturas tanquam ſpe-
culum, vbi tuos defectus valeas contemplari,
affectus valeant inflammari: & magis ac ma-
gis poſsis purgari & iuſtificari.

Tradidit ornamenta & exercitia virtutum
quibus fœditatem tuorum peccaminum ope-
rires. Et ne in iuſtificatione deficeres & tepe-
ſceres, ſanctos tibi in exempla contulit, qui-
bus & inſtruaris & accendaris.

Feria ſexta.

FERIA ſexta in prima & tertia conſidera-
debes beneficium dotationis, ordine quo ſu-
pra feria ſecunda agens gratias Domino: qu-

Tibi { Inſignia dona præbuit, / Alia plura bona adhibuit, / Gratiã meditandi exhibuit. } ad 1.

Te { Inflammauit, / A peccato custodiuit, / Iacentem erexit. } ad 3.

Feria sexta ad primam.

Præbuit tibi insignia dona Naturæ; præbens tibi sensum ad capiendum, & memoriam ad retinendum: Fortunæ scilicet fortitudinem & pulchritudinem: Gratiæ; purè credere & ardenter imitari.

Alia multa bona adhibuit, te reducens aberrantem; te instruens ignorantem: te erigens iacentem.

Gratiam meditandi, & in interioribus te exercendi exhibuit intellectum erudiendo: affectum accendendo: affectum coagendo.

Feria sexta ad tertiam.

Inflammauit tuum affectum. Nam non modo intellectum illustrauit meditatione: sed quod plus est affectum affecit gustu & deuotione, & inflammauit interna consolatione, dando tibi arram vitæ æternæ.

A peccato te custodiuit, propulsans causas ad delinquendum, præstans virtutem ad resistendum, sanans affectiones ad permanendum.

Te iacentem erexit. Et si aliquando te tentatione superari permisit, te fortiorem surgere fecit, vires ad fortius resistendum impendendo, & ne frangereris, manum suam super te imponendo.

Sabbato.

SABBATO ad primam & ad tertiam debe
considerare beneficium gubernationis, ordine
quo supra : agens gratias DOMINO, qui

te { Ineſſe conſeruauit, / A multis malis præſeruauit, / Neceſſarijs ſuſtentauit: } ad 1.

tibi { Alia adminiſtrauit, / In eſſe alias creaturas ſeruauit, / Regendo & gubernando intendit. } ad 3.

Sabbato ad primam.

Conſeruauit te in eſſe, dans tibi augmentum
quotidianum, & eſſe iocundum & ſanum: cum
ex te ſis nihilum.

Te à cunabulis, vſque ad præſentem diem
præſeruauit à tantis periculis, languoribus, in
ſtibus, & alijs malis pluribus.

Neceſſarijs te ſuſtentauit, præſtans tibi ſufficienter victum & veſtitum quotidianum.

Sabbato ad tertiam.

Subminiſtrauit tibi omnia alia neceſſaria
impendens domum ad manendum, & le
ctum ad quieſcendum, &c. Et non modò ne
gitus eſt neceſſaria, ſed & multa alia vtilia &
iocunda.

Conſeruauit in eſſe propter te cæteras crea
turas, miniſtrans ſucceſsionem temporum,
producens diuerſitatem fructuum ad tollen
dum faſtidium.

Te rexit & gubernauit, deducens te non so
lum per proſpera, ſed etiam per aduerſa,
quibus complura tibi contulit bona purg

do delicta & augendo merita. Et quod potius est quòd semper circa te ita est solicitè intendens, & intentè solicitus ac si aliorum non esset ei cura. Et semper est tibi præsens, omnia opera tua prospiciens.

Dominica die.

DIE DOMINICA ad primam & tertiam debes considerare beneficium glorificationis, ordine quo supra feria secunda, agens gratias DOMINO de beneficijs glorificationis,

quæ sunt { Supra te, Iuxta te, Intra te, } ad primam.
{ Extra te, Subtus te, Circum te, } ad tertiam.

Die Dominica ad primam.

Gaudia Paradisi tibi promisit, supra te diuinitatis fruitionem Redemptoris nostri eiusqúe glorioſæ matris visionem. Considera igitur quàm grande erit gaudium videre Regem cœlorum in decore suo, & Dominam nostram virginem Mariã totam deificatam & glorificatam.

Iuxta te fruiturus es Sanctorum societate iucundissima, propter eorum qualitatem. sunt enim speciosissimi, nobilissimi, charitate plenissimi, & in numero plurimi.

Intra te, ppter glorificationẽ animæ & corporis ratione quadruplicis dotis, qua adornabitur & vestietur immortalitate & præ sole fulgebit.

Die Dominica ad tertiam.

Extra te, præbiturus est tibi locum amœnis-

simum, delicioſiſsimum, omni quod delectare poteſt refertiſsimum ſcilicet odoribus, ſuauitatibus, canoribus, melodijs, & diuerſis harmonijs: altiſsimum, latiſsimum, lucidiſsimum.

Subtus te, alia plura gaudia tibi largiturus eſt. Nõ enim ſolùm his quæ ſupra te ſunt, fruiturus es: ſed etiam quę ſubtus te ſunt: cùm perſpexeris te tam ſæuos & terribiles diuina virtute hoſtes deuiciſſe, & commiſſos reatus Dei clementia defleuiſſe, & tam doloroſos cruciatus Dei miſericordia euaſiſſe.

Circum te, alia mũlta bona tibi exhibiturus, quæ ſunt tam multa, vt nequeãt numerari: tam magna, vt nequeant menſurari: tam preciosa, vt nequeant extimari: itaq; gaudium accipies amotione omnium malorum, & impletione omnium deſideriorum, omne habens quod cupias, & nihil habens quod odias.

Vtilitas gratiarum actionis pro beneficijs.

HACTENVS dilectiſsimi fratres per totius hebdomadæ ferias in prima & tertia Dei beneficia retulimus, ne quis ſe valeat excuſare, dicens, ſe ignorare pro acceptis beneficijs gratias agere: cum inter cuncta religioſi exercitia hoc ſit præcipuum; vt gratias agens de receptis, ſua dignus recipiendis. Quia enim ſumus ingrati, ideo tantam virtutum & diuinorum donorum & præcipuè diuini amoris patimur inopiã. Nullatenus quippe perfecto amore Deo valemus aptari, niſi per aſsiduam ſuorum beneficiorum cõſiderationem: nam iſti ſunt funiculi, quibus trahimur, aptamur, & adhæremus Deo, ſecundùm quod ipſe per Prophetam Oſeã teſtatur dicens:

cens: Trahã eos in funiculis Adam. Et qui sunt fratres funiculi Adam nisi diuinorũ munerum iugis ruminatio, vt Linconiensis & Bonauentura dicunt? Ingenter igitur nobis insudandũ est, vt in præmissis exercitijs assiduè nosipsos exercendi peritiam habeamus. & proculdubio experiemur animas nostras diuinitus illuminari, & inflammari. quia vt B. August. dicit, nihil nos ita ad Dei inflãmat amorem, sicut crebra diuinorum beneficiorum recordatio.

QVEM MODVM DEBET TENERE *religiosus in sexta & nona.*

CAPVT VI.

QVEMADMODVM supra diximus, nõ solùm pro nobisipsis, sed pro toto mundo orare & totis pietatis visceribus supplicare debemus Dominum: quatenus suam dignetur inclinare misericordiam ad omnes creaturas, pro quibus princeps gloriæ Christus Redemptor noster pati dignatus est: vt scilicet ad agnitionẽ veritatis suæ Catholicæ fidei trahantur siue Christiani, siue Iudæi, siue alij infideles, & non priuentur illo beatorum consortio fœliciſsimo, & careant illa beatifica diuinitatis visione, ad cuius cõtemplationem & fruitionem rationales creaturæ fuerunt conditæ. Pro quibus quoque & sanguinis Christi pretiosus thesaurus fuit effusus in cruce. Præcipuè tamen diuinam arctamur pro populo Christiano supplicare maiestatẽ, sicut nos decet. Hieremias Propheta, videns populum suũ per iniquũ Regem Nabuchodonosor malè tractari, & captiuum in Babylonem trahi, dolens aiebat:

Quis dabit capiti meo aquã, & oculis meis fontem lachrymarum,& plorabo die ac nocte interfectos populi mei? Quis est Nabuchodonosor iniquus rex,fratres, nisi diabolus, qui trahit captiuas animas populi Christiani in Babylonem, hoc est in infernũ ? Et quis est Hieremias,nisi anima deuoti religiosi Deo per amorem conglutinata,quæ ante Deum astans spiritu pietatis delibuta,ex intimis cõpassionis visceribus die ac nocte plangere,& preces fundere nõ desistit pro interfectis populi sui? Debemus igitur fratres in sexta & nona affectuosè cuiuslibet status Ecclesiæ personam sumere , orantes vt ad memoriam reuocemus illa septem verba,quæ Redemptor noster anxietate plenus in cruce protulit,poscentes pro reuerentia cuiusq; illorum verborum à diuina maiestate illud, quod cuilibet septem statuum personarum est necessari-

	Septem verba.	Septem status.
Primum	Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.	Inimicis Christianis , Saracenis, Iudæis, & alijs infidelibus.
secundũ	Mulier Ecce filius tuus : & discipulo. Ecce mater tua.	Parentibus.
tertium	Hodie mecum eris in Paradiso :	Benefactoribus.
quartum	Deus meus Deus meus vt quid dereliquisti me ?	Tentatis, Afflictis, Captiuis.

quis

quintum	Sitio.	Exiſtentibus in peccato mortali.
ſextum	Conſummatum eſt.	Iuſtis.
ſeptimum	Pater in manꝰ tuas commẽdo ſpiritum meum.	Infirmis, & in mortis agonia laborantibus.

Ad ſextam per totam hebdomadam.

CONCINE primum Pſalmum repræſentando primum verbum ſcilicet; Pater dimitte illis, nõ enim ſciunt quid faciunt. Ora pro Chriſtianis inimicis, Agarenis, Iudæis, & aliis infidelibus: concipiens in corde tuo vt ad cognitionem veritatis perueniant, ne illa æterna beatitudine priuentur. Et affectu pietatis forma orationem dicens, O piiſsime Domine, per iſtud primum verbum quod in cruce pendens protuliſti, miſerere omnium iſtarum animarum.

CONCINE ſecundum Pſalmum in perſona omnium conſanguineorum, repræſentans ſecundum verbum, quod in cruce Dominus protulit ſcilicet; Mulier, ecce filius tuus: & diſcipulo, Ecce mater tua. Et formato ſic orationem, O Domine per iſtud verbum propitius eſto noſtris conſanguineis.

TERTIVM cane Pſalmum in perſona benefactorum, repræſentans tertium verbum, quod Dominus dixit ad latronem ſcilicet; Hodie mecum eris in paradiſo. Orationem autem ſic formabis: O Domine per virtutem iſtius ſacri verbi

tantæ misericordiæ miserere benefactorũ nostrorum.

Ad nonam per totam hebdomadam.

HYMNVS est concinendus in persona omnium tentatorum, afflictorum, & captiuorum ad repræsentandum quartum verbum scilicet: Deus meus Deus meus vt quid dereliquisti me? Oratio autem sic est formanda; O Domine per virtutem huius verbi subuenire dignare afflictis omnibus,& tentatis,atq; captiuis.

CONCINE primum Psalmum, in persona omnium in mortali peccato persistentium: repræsentans quintum Christi verbum in cruce pendentis scilicet. Sitio: salutẽ videlicet animarum. Et formetur per hunc modum oratio: O Dñe per virtutem huius sacrosancti verbi, miserere cunctorum in mortali consistentium crimine,& trahe eos ad veram pœnitentiam.

SECVNDVS Psalmus, in persona vniuersorum iustorum est cantandus, ad insinuandum sextum verbum Christi scilicet: Consummatũ est: videlicet, omne quod Prophetatum fuerat super iudicia iustificationis Patris mei. Orationem vero forma hoc modo: O Domine per hoc sacrosanctum verbum, conserua vniuersos iustos in actibus veræ iustitiæ.

PSALMVS tertius, cantandus est in persona ægrotantium, & in agone mortis laborantium. Et per eum repræsentatur septimũ Christi verbum, quod in cruce protulit scilicet: Pater in manus tuas commendo Spiritum meum. Et est hoc modo formanda oratio: O Domine per hoc sanctum

sanctum verbum miserere omnium infirmantium, & recipe animas eorum qui in mortis laborant agonia.

DE VESPERIS.

CAPVT VII.

AD vesperarum officium solicitus debet se religiosus præparare, vt offerat Domino sacrificium vespertinum. Et matutinorum & vigiliarum repetita præparatione, cùm fuerit in oratorio in loco suo, attracto spiritu, ascendat mente cœlum, præsentans se ante thronum diuinæ maiestatis, & multitudinis Angelorum & omnium sanctorum in circuitu throni psallentium; & quasi inter eos cum summa sit reuerentia, laudans Deum,

Concinat Psal.	Primum, Secundum, Tertium	cum	Angelis. Patriarchis. Prophetis.
Cantet	Quartum, Cap. & R., Hymnum	cum	Apostolis. Martyribus. Confessoribus.
Concinat	Magnificat: ver. quinque		Primos cum Domina nostra: secundos cum virginibus.
Concinat	Pater noster, & collectam.		In persona Ecclesiæ militantis.

DE COMPLETORIO.

CAPVT VIII.

INter horas canonicas diurnas, vltima est cõpletorium, & quemadmodũ hic est terminus diei

diei & operum vitæ actiuæ, ita deuotus religiosus illis expletis transire debet ad contemplationem, & ab exterioribus ad interiora. Et ideo in principio Completorij prę̃mittimus, Cõuerte nos Deus, &c. rogantes Dominum vt conuertat nos ab actione ad contemplationem.

PSALLE primũ Psalmum cum (Psal. 1.) vniuersis sanctis Patribus, in persona animarum in purgatorio luentium: repræsentans Dominum ad lymbum descendentem. Est autem sic orandum: O Domine per tuum sacrosanctum descensum ad lymbum, miserere omnium animarum in purgatorio commanentium.

PSALMVS secundus est (Psal. 2.) psallẽdus in persona sanctæ Ecclesiæ, repræsentans Redemptorem nostrum in monte oliuarum in die Ascensionis cum Domina nostra, & toto illo sacro Collegio eiusdem Ecclesiæ typum gerens. Et orabis sic: O Domine per tuam sanctam Ascensionem miserere Ecclesiæ tuæ, ordinum & graduum eius.

TERTIVM concine Psalmum (Psal. 3.) & totum completorij residuum in persona totius nostræ Congregationis cum Domina nostra, & cum Apostolis & discipulis & sanctis mulieribus in cœnaculo ad insinuandum aduentum Spiritus sancti. Ora verò hoc modo: O Domine per aduentum Spiritus sancti miserere huius nostræ Congregationis: & dignare in nobis eiusdem sancti Spiritus gratiam & dona diffundere: vt ipse nos semper gubernet & regat.

Conclu

Conclusio huius operis.

DIXIMVS hactenus de repræsentationibus deuotis & obiectis ad quæ in singulis Psalmis diuini officij debet religiosus respicere. Nam sicut præmissum est, multum confert vt attentissimus & deuoti mentem in aliquo certo loco stabilire. His obiectis vsi sunt Sancti in psalmodia diuersimodè. Nam quidam habuerunt respectum ad horas Dominicæ passionis. Alij ad vitam Redemptoris nostri per totam hebdomadam, vt ostendit Bonauentura in suo libro de Cõtemplatione vitæ Christi. Nonnulli ad Euangelium literaliter, vt scribit Gerson in suo Monotessaron. Quidam alij ad diuina beneficia. Et quia non omnia conueniunt omnibus secundum capacitatem huius nostri temporis, ex omnibus præmissis excerpsimus illa, quæ melius & minori fastidio valent exercitari. Vnde qui dignus citharista cupit esse Domini, modum supra positum obseruet diligenter. Quod si egerit; secura conscientia poterit apparere super distractionibus in officio diuino habitis ante diuinam clementiam, faciens quod in se est. nam absque mentis distractione Deo cantare Angelicum est, non humanum officium. Et vt parum eruditi intelligant quid nomine obiecti significatur, dicimus, quod in præsenti obiectum dicitur quæcunque materia deuota quæ præsentatur intellectui, vt vita Domini, Dei beneficia, status diuersi personarum: vt supra patuit.

Quomo-

QVOMODO SVNT HORAE CANONI-
cæ terminandæ: & quid meditari debet bonus mona-
chus in illa morula, in qua post singulas horas
canonicas in oratorio flec-
tit genua.

CAPVT IX.

DIximus ecce de horis canonicis quantùm ad ingressum, & quantum ad progressum, videndum est modò de eisdem quantum ad egressum. Legitur quippe in Ecclesiaste: Melior est finis orationis, quàm principium. Hoc dicit, quia omnis laus in fine canitur. Nam opus cuius finis bonus est, ipsum quoq; bonum est. Non igitur fratres decet vt finita hora canonica, de oratorio mox egredi festinemus. Valde enim hoc Sancti reprehendunt. quinimmo expleto peniti seruitutis nostræ debito, mens nostra solicita ex intimis præcordiis Dominũ exorare: quatenus seruitium nostrum gratum habere dignetur: & humili corde

Veniam petere,
Gratias agere,
Sacrificium offerre.

PRIMO consideret, si habuerit attentionem, deuotionem, & reuerentiam. & de eo in quo se cognouerit defeciſſe, exposcat sibi à Domino indulgentiam: vt nostræ humilitas orationis suppleat imperfectionem deuotionis. & dicat corde contrito illa Publicani quinq; verba: Deus propitius esto mihi peccatori. sunt enim indigentis virtutis, & admirandæ deuotionis. Si autem tantam efficaciam habuerunt, vt publica-

nun

num Deo reconciliarent, debemus fiduciam habere quod pro negligentiis quas in diuino officio inuiti committimus, valebunt satisfacere. Et ea dicentes, pectora tundere instar illius publicani non negligamus.

SECVNDO curet gratias Domino agere, qui dignatus est nos ad suas laudes admittere, & in nobis suam gratiam & consolationem diffundere, & præstare fiduciam eruditionis.

TERTIO studeat offerre sacrificium vigiliarum, & matutinorum & cæterarum horarum canonicarum, quod summè necessarium est: ne aues cœli scilicet dæmones, & vanæ cogitationes venientes, rapiant semen diuini verbi in agro cordis nostri, tempore psalmodiæ seminatum. quod scilicet diuinum semen confestim oratione est abscondendum. Vnde scitote fratres quodlibet bonum opus, esse per orationem semper Deo offerendum: vt semen deificum semper maneat in corde, & spiritualis fructus crescat in actionem: vt sit Deo grata, & nobis, & toti Ecclesiæ proficua. Et hæc oblatio post consummationem diuini operis nequaquam est prætermittenda: vt dignetur in nobis Dominus conseruare, quod nobis bonum dignatus est præstare. Et facienda est per manus sanctorum, quorum agimus festa, & præcipuè Dominæ nostræ. & dicatur sic: Suscipe Domine Deus meus, precibus & meritis gloriosissimæ virginis MARIAE & omnium sanctorum tuorum, singulariter Angelorum vel Apostolorum, vel talis sancti cuius hodie memoriam agimus, obsequium seruitutis meæ: & si quid

his

his laudibus dignum egi, clemens respice: & quod negligentius actum est, propitius ignosce per Christum Dominum nostrum. Vel sic: Consummatum est sacrificium matutinum, vel vespertinum, suscipe illud Domine per intercessionem beatissimæ virginis Mariæ, & istius sancti cuius hodie memoriam celebramus, & omnium sanctorum tuorum ad laudem & gloriam nominis tui, & salutem animarum nostrarum & omnium Christianorum: & requiem defunctorum, per Dominum nostrum. Post horas autem reliquas sic est oblatio facienda: Consummatum est sacrificiũ laudis suscipe illud, &c. Et ita nosipsos in eadem semper conseruare deuotione, & morum grauitate post orationem debemus: ac si tunc ab oratione discederemus: aptantes mentem ad solita exercitia, vel ad ea quæ in superioribus tractauimus, morosius ruminando.

Quid contemplandum est cùm in fine Psalmorum canitur, Gloria Patri.

CAPVT X.

VNiuersa Dei beneficia, secundum Bonaventuram, sunt,

Bona { Naturæ, Gratiæ, Supereminentiæ.

Bona { Naturæ, Gratiæ, Supereminentiæ. } sunt dona { creationis, iustificationis, redẽptionis.

Ista autem tria munera precioſa attribuuntur tribus diuinis perſonis,

Patri,	attribuitur	Creatio,
Filio,		Redemptio,
Spiritui ſancto		Iuſtificatio.

Quoties ergo pſallimus, Gloria Patri, toties memores ſimus horum trium munerum ſic dicentes,

Gloria { Patri: qui cùm non eſſem, me creauit. / Filio: qui cũ perditus eſſem, me redemit. / Spiritui ſancto: qui cùm eſſem filius iræ, me iuſtificauit.

Vel generaliter loquendo,

Gloria { Patri: qui omnia creauit. / Filio: qui totum mundum redemit. / Spiritui ſancto: qui omnes ſanctos iuſtificauit.

Tanta & talis gloria propter hæc omnia, & eorum quodq; ſit ei pariter, quanta erat in principio, cum eum laudarent aſtra matutina, & quanta eſt nunc & ſemper, & per diſcurſum preſentis vitæ ei dabitur ab vniuerſali Eccleſia: & quanta in ſecula ſeculorum ei erit ab vniuerſis cœli conciuibus in patria, quia tanta mihi largitus eſt bona, Amen.

EXPLICITVM eſt directorium horarum canonicarum ad honorem & gloriam Dei, & ſuperglorioſæ genitricis eius & Dominæ noſtræ virginis Mariæ. Deo gratias, Amen.

TRACTATVS iſte in ſumma, continet quatuor partes principales:
Præparationes ante diuinum officium.
Adorationes ad vigilias, matut. & veſperas.

Gratiarum actiones ad primam & tertiam.
Orationes ad sextam, nonam, & cõpletorium.

Præparationes sunt tres,

Remota, Propinqua, Proxima, } quæ consistit. { In sancte viuendo. In profunde cõsiderando. In feruenter orando.

Sancta vita consistit.

in { Cordis nostri peruigili obseruatione. Temporis fructuosa expensione. Nostrorum operum recta intentione.

Debemus autem profunde considerare, quod tendimus

ad { Deum adorandum. Deo gratias agendum. Deum orandum.

Quia nihil est

Deo { Adorari dignius. Laudari rationabilius. Magis necessarium & vtilius.

Ad feruenter orandum: oportet habere

Mentem { Puram, Recollectam, (timetur Affectã: vt in tertia præparatione cõ

Adorationes hoc modo fiunt:

In vigiliis.

adoranda est { Conuersatio, Passio, Glorificatio } Christi.

In vesperis.

adorandum est { Cum domina nostra. Cum triumphante Ecclesia. Cum militante Ecclesia.

In psalmodia primæ & tertiæ agimus gratias pro beneficiis à Domino receptis, ea ad memoriam reuocantes hoc ordine:

Feria 2.	Beneficium	Creationis.
Fer. 3.		Gratificationis.
Fer. 4.		Vocationis.
Fer. 5.		Iustificationis.
Fer. 6.		Dotationis.
Sabbato		Gubernationis.
Dominica		Glorificationis.

Vnumquodque præmemoratorum beneficiorum distinguitur in sex articulos: vt singulis sex Psalmis, qui per totam hebdomadam in prima & tertia psalluntur, correspondeant singuli sex articuli cuiusque prænominatorum beneficiorum, vt latius in singulis feriis superius dictum est.

Orationes in sexta & nona dicuntur pro septem statibus, in reuerentiam septem illorum sacrorum verborum à Christo in cruce prolatorum.

In tribus Psalmis qui ad sextam psalluntur, oramus

pro { Inimicis, Christianis, Saracenis.
Iudæis, & aliis infidelibus.
Consanguineis.
Benefactoribus.

In hymno & tribus Psalmis, qui ad nonam canuntur, oramus,

pro { Afflictis, tentatis, & captiuis.
In mortali peccato persistentibus.
Iustis.

Infirm atibus, & in mortis agonia labo-
rantibus.

In Completorio oramus.

pro { Animabus in purgatorio luentibus,
Statu vniuersalis Ecclesiæ,
Nostra Congregatione.

FINIS.



TR

TRACTATVS POSTERIOR QVI EXERCITATORIVM VITAE SPIRITVALIS INSCRIBITVR, ET RELIGIOSVM hominem informat, quibus viis ad veram summamq; perfectionem illi tendendum perueniendumq; sit.

PROLOGVS.

AD beatissimæ Trinitatis, & gloriosissimę virginis Dei genitricis Mariæ & dominæ nostræ gloriam: & ad magnam in vita spirituali se exercere cupientium vtilitatem; in hoc libro fratres dilectissimi tractabimus qualiter exercitator & vir deuotus debeat exercitari secundum illas tres vias: scilicet,

- Purgatiuam,
- Illuminatiuam,
- Vnitiuam.

Et qualiter certis & determinatis exercitiis per omnes dies hebdomadæ,

- Meditando,
- Orando,
- Contemplando,

gradatim poterit ascendere ad consecutionem optati finis: qui est animam Deo vniri. quod sancti veram & absconditam sapientiam appellãt. Istæ prædictæ tres viæ attribuuntur tribus virtutibus Theologicis: quæ sunt,

{Fides. / Spes. / Charitas.}

per quas quasi per quædam media, ad summitatem montis, qui est diuinus amor ascēdimus.

Fidei, Spei, Charitati, } tribuitur via { Purgatiua, vt initium. / Illuminatiua, vt medium. / Vnitiua, vt finis.

Non enim sine medio secundùm Gersonem in suo monte contemplationis de imperfecto ad perfectum transire valemus: neque subito quis & repēte fit summus, & in virtutibus perfectus: sed acquiritur ipsa perfectio ad similitudinem operationis naturalis: quæ procedit ab imperfecto ad perfectum. Ignis enim vt videmus, à fumo incipit, deinde est flamma cum fumo; postremo ignis purus & clarus in carbone. Similiter granum in terra seminatū primo putrescit, secundo germinat, postea pullulat extra terram & crescit vsque ad maturitatem. Et planta transplantanda, in terra sterili existens, primo eradicabitur; secundo replantabitur & erit tanquam mortua, postea virescit & in altum sua crescit. suo modo videre est in aliis naturalibus per totum. Pariformiter volens ascendere ad vitam vnitiuam & contemplatiuam, in suo initio non potest habere perfectionem: quin potius oportet eum prius emittere fumum dispiscentiæ de vita sua præterita: & flere amarè, seipsum turbare sine aliqua consolatione; postea veniet flamma amoris cum fumo tali: postremo amor pūrus sine fumo. In statu primo mortificabitur vita carnalis præterita. In secundo ger-

mina

minabit altius extra terram. In tertio fructus erit perfectus. Simili modo in similitudinẽ plantæ eradicabitur talis de terra mala & sterili vitæ mundanæ: quod fiet cum pœna magna & labore; postea replantabitur, vbi adhuc leuiter sustinebit grauitates. vltimo vero erit radicatus fortiter & perfectè: & afferet fructum multum. Itaque qui in prædictarum trium viarum exercitiis diligenter fuerit exercitatus auiditate adipiscendi diuinum amorem: adiuuante domino: citius valebit attingere perfectionem nisi ex sua culpa & negligentia hoc noluerit desinens in eis exerceri, aut rediens ad vitia & noxias delectationes: quæ vt superentur & radicitus euellantur, solicitè est laborandum: alioquin modicum proficiet, prout plenius continetur in tractatu de Spiritualibus ascensionibus: cuius initium est, Beatus vir.

QVOD RELIGIOSO SPIRITVALITER proficere cupienti, multum confert bonorum consortia quærere: & malorum deuitare.

CAPVT I.

HOrtatur nos Propheta dicens; Cum sancto sanctus eris: & cum peruerso peruerteris. Igitur frater in Christo Iesu dilectissime diligenter caue ne per prauorum dissoluta & dolosa consortia decipiaris. Adhære alicui viro religioso, qui sit virtute præditus, disciplina ornatus, scientia eruditus, grauitate maturus, in timore Dei fundatus, à quo iugiter audias

ædificationis & consolationis verba & imitatione digna. Sicut enim calculus frigidus si adiungatur calculo ignito, accenditur & ardet: ita qui tepidus & frigidus est, adiunctus ei qui est feruidus & deuotus, feruescit sæpe, & fit deuotus, eruditus, atque bonis moribus adornatus. Sicut Apostoli redemptori nostro cohærentes facti sunt viri sancti, & repleti Spiritu sancto. Similiter Marcus adhærens Petro, fuit eruditus in Euangelio & meruit esse Euangelista. Timotheus quoque Paulum comitatus, ab ineunte pueritia in Scripturis sanctis peritissimus fuit, atque per eundem Apostolum Paulum, Episcopus ordinatus: demumq; Euangelium prædicãs obiit glorioſus martyr. Rursus secutus Ambrosium Augustinus ab eo fuit instructus & baptizatus, meruitq; in sancta Ecclesia doctor esse clarissimus, atque in toto terrarum orbe nominatissimus. Sanctus etiam puer Maurus gloriosum patrem Benedictum sectatus, meruit postea Abbas dignissimus esse, ac virtutibus & miraculis refulgere. Et deuotus Bernardus Abbatem Stephanum comitans in Cistercienſi monasterio, in sua religione totius religiositatis effectus est lumen splendidum: & instar coruscantissimi syderis in cunctis claruit terris: & nunc claret in cœlis. Plura possemus tam veteris quàm noui Testamenti exempla ponere, quibus ad salutem animæ & ad spiritualia exercitia bonorum consortia multùm prosunt, & malorum nimium obsunt: quæ ob prolixitatem vitandam prætermittimus.

Qvo

QVOD AD PVRGANDVM SPIRITVM religioso valdè est necessarium in spiritualibus exercitijs exerceri.

CAPVT II.

FRatres dilectissimi in libro Psalmorum scribitur, quòd magnus ille Propheta Dauid dicebat; Meditatus sum nocte cum corde meo: & exercitabar & scopebam spiritum meum. Deuoto igitur religioso qui desiderat spiritum ad imaginem & similitudinẽ Dei factum, de Hierusalem in Hierico, id est, à statu tranquillitatis & pacis ad tantam status mutabilitatem lapsum reformare, & pristino statui restituere, necessarium est vt præfati præclarissimi Prophetæ exemplum accipiens spiritualibus exercitijs spiritum suum castiget, mundet, & purget, tam à vitijs & peccatis, quàm à corruptis affectionibus: vt gratiarum & spiritualium donorum valeat esse capax. Nam scriptum est, quod in animam maleuolam non introibit sapientia: neque habitabit in corpore subdito peccatis. Et quia, vt ait Augustinus, ordo est causa pacis & tranquillitatis animæ: & ea quæ non sunt ordinata non possunt permanere, & semper sunt inquieta: & quæ ordinata sunt permanent & quiescunt, & præstant animæ magnam fortitudinem: fit enim hostibus terribilis vt castrorum acies ordinata: ideo operæ precium est dare aliquẽ modum, & aliqua assignare determinata exercitia: vt scientes quæ nobis agenda sunt, semper simus pacifici, & in eis nosmetipsos exercentes, spiritum nostrum ad suam pristinam reformemus amissam dignitatem.

DE FRVCTIBVS, QVI EX CERtis & determinatis exercitijs proueniunt.

CAPVT III.

BOnorum exercitiorum perquam glorioſus eſt fructus.

PRIMVS ex certis & determinatis exercitijs proueniens, eſt prauarum & volùbilium cogitationum, ac noxiarum affectionum deuitatio; quibus frequenter ſordeſcimus, non habentes frænum, quo motus cordis noſtri conſtringantur: cùm ſenſus noſtri & cogitatio ſint prona ad omne malum ab adoleſcentia ſua, vt in Geneſi ſcribitur. Eſt autem impoſsibile cor à vagis cogitationibus reuocare niſi mediante diuina gratia fuerit certis & determinatis exercitijs ſtabilitum: vt enim ait Abbas Serenus in collationibus Patrum: naturaliter anima nunquam poteſt eſſe ocioſa, ſed eſt neceſſarium vt ſecundùm ſuam propriam mobilitatem diſcurrat, niſi habeat aliquid fixum & ſtabile, vbi ſuos motus exerceat. Et ſecundùm ſanctorum doctrinam, anima abſque certis exercitijs eſt quasi domus quatuor habens ianuas apertas: nam quicunque volunt ingrediuntur & egrediuntur domino domus neſciente: ſimiliter faciunt cogitationes in animam certa exercitia non habentem.

SECVNDVS fructus, quæ determinata afferunt exercitia, eſt cordis noſtri ad expeditè & magnificè operãdum ſtabilitio, nam ſæpè idem facientes, illud conuertimus in naturam, & ge-

neri

neratur in anima nostra habitus per continuatam operationem. certa autem exercitia non habentes tot in suis exercitijs recipiũt consilia: quot opera vident alios facientes. Hodie circa vnum & cras circa aliud occupantur semper dispersi & vagi, quod est valde reprehensibile: vt in collationibus Patrum legitur, & in tractatu cuius est initium, Homo quidam descendebat de Hierusalem in Hierico: vbi dicitur quod isti tales parùm, vel nihil proficiunt.

TERTIVS fructus est feruor: qui enim habet ordinata exercitia est feruentior ad explendum ea, & pudet torpore seu negligentia dimittere, quod semel feruenter & solicite cœpit. Vnde fit vt deuoti religiosi certa soleant habere exercitia secundum tempora & horas perutilia: ne in spiritus torpeant profectu, quin potius talibus exercitijs se arctant: quo magis ac magis iugiter in tali profectu flammescant. Et secundùm Sanctorum doctrinam, sicut ex incuria & negligentia spiritualium exercitiorum causatur tepor & frigiditas, ita ex assiduo eorundem studio, siue ad animam siue ad corpus pertinent, si absque aliqua remissione operemur ea, generatur in nobis suauis quædam actualis vel habitualis affectio.

QVARTVS fructus est: quia per certa exercitia facilius in tui deuenies cognitionem: vt scilicet scias quantum proficis vel quantum deficis, si progrederis vel si retrogrederis: considerans si expleueris exercitia feruentius & solicitius hodie quàm heri, an tepidius seu negligentius. Itaq; cõparatione vnius diei ad alium, videbis si proficis vel deficis.

QVIN-

QVINTVS fructus est: quia longè plus profi. cit & meretur, qui pauca ordinatè operatur recta intentione, quàm qui agit multa & difficilia vagus absque certo modo & ordine. Et vt Sancti testantur, vtilius est vnum opus rectè ordinatum sapientis; quàm multa laborioſa insipientis.

CONSIDERA ergo quàm copioſus fructus accreſcit eis, qui cor ſuum tradere curant certis vel determinatis exercitijs. Et quia tantus inde prouenit fructus, Deo adiutore, aliqua certa & determinata exercitia diſponemus, in quibus per totam hebdomadam valeamus exercitari ſecundum prædictas tres vias: ſcilicet, Purgatiuam, Illuminatiuam, & vnitiuam: prout inferius eſt dicendum.

QVAS CONDITIONES DEBENT HAbere qui in exercitijs ſpiritualibus exercendi ſunt.

CAPVT IV.

OPortet primo fratres dilectiſsimi, vt ille qui in ſpirituali vita vult exercitari, ab omni mortali crimine cor ſuum expurget per contritionem & confeſsionem: cor enim impurum Spiritus ſancti influxus nequaquam capere poteſt.

SECVNDA conditio eſt, vt omnem abhorreat carnis voluptatem, fugiens omnem leuitatem videlicet, Riſum, Fabulas, & quaſcunq; huiuſmodi conſolationes. qui vt ait Bernardus; deſecata eſt diuina conſolatio: & non datur admit-

ter-

tentibus alienam. Et Augustinus dicit; Cùm cor nostrum habet vnde delectetur exterius, absque consolatione manet interius. Filij Israël non receperunt manna, donec defuit eis farina quam de Ægypto asportauerant. Et quæ est fratres farina Ægypti nisi nostra secularia opera, quæ donec desint, cœleste manna quod est diuina consolatio, nequaquam gustare valemus.

TERTIA conditio est, vt cor à curis exterioribus & superfluis sit alienum: vt quasi vas vacuum diuinæ gratiæ implendum illud offerat.

QVARTA est: vt spiritualem profectum ardēter sitiat ad instar Iacob qui pro Rachele seruiuit non sentiens præ amoris magnitudine solis ardorem, neque hyemis algorem. Sit feruens in recolendo sua exercitia & in obseruando rememorata: ita vt nec minima negligat. nam qui minima negligit, paulatim decidit.

QVINTA conditio est, vt sit moderatus, id est, discretus in exercitiorum electione & executione; ne eorum multitudine grauetur: & ob indiscretionem ab intento fine fraudetur. Alio enim modo nos debemus habere circa finem, qui est diligere Deum sine mensura, & eum in cor nostrum imprimere: vt nullatenus aliquo consilio ab actu interioris (si fieri potest) dilectionis cessemus: nam huiusmodi dilectioni nullus ponitur terminus. Et alio modo nos debemus habere circa ea quæ nos ad finem deducunt: quæ sunt spiritualia exercitia: & sic ea ordinare, quatenus facilius nos valeant in optatum finem deducere; qui est diuinus amor &

cordis

cordis puritas: vt in collationibus Patrum: & in tractatu, Beatus vir scribitur.

QVALIA DEBENT ESSE EXERCItia spiritualia: & de eorum moderamine.

CAPVT V.

NOn expedit frater vt leuiter eligas qualiacunque exercitia: quin potius debes ea eligere & formare secundùm Sanctorum patrum exempla: iuxta illud quod scriptum est; Omnia fac secundùm exemplar, quod tibi móstratum est in monte. Obseruabant autem sancti Patres in suis spiritualibus exercitijs certas conditiones: quas & tu in tuis obseruare debes.

PRIMA est, vt diuinis scripturis & sanctorum dictis, & patrum exemplis consonent; nam quicquid sacræ scripturæ dissonum est, non immeritò licet videatur bonum, suspectum est. Et quia sunt multi qui ad suum sensum scripturarum intellectum extorquent, ideo oportet vt tua exercitia cũ aliquo spirituali & illuminato viro tractes: & super his eius consiliũ accipias.

SECVNDA conditio est diligenter attendere, vt exercitia sint moderata, maximè quantum ad duo secundùm Sanctorum doctrinam. Primum est, ne nimiam afflictionem, neq; immoderatam occupationem in eis sumas. Nam propter afflictionis nimietatem mentis dulcedo in amaritudinem vertitur: & propter immoderatam occupationem mentis tranquillitas destruitur. Vnde sic oportet exercitia moderari, vt

vt omnia cum quadam mentis alternatione & moderatione agantur: secundùm illud; Modo lege, modo ora, modo cum feruore labora, & sic hora breuis, & labor erit leuis. Nec te circa ea ita occupes quòd tibi fastidium generent, aut causent infirmitatem: alioquin non possent multum durare.

TERTIA conditio est, vt exercitia sic sint disposita & ordinata: quod congruant vnicuique secundum suum statum & dispositionem tam interiorem quàm exteriorem. non enim omnia omnibus conueniunt: neque omnes circa eandem rem æqualiter se habere possunt: quin potius talia exercitia vnusquisque debet sibi eligere: quæ contra suas vitiosas inclinationes decertent: & ad virtutis amorem trahant & promoueant & per talia exercitia magis poterit proficere: nam secundùm Ambrosium, quærendum quidem in omni actu quid personis conueniat, quid temporibus & ætatibus: quid etiam singulorum ingenijs sit accommodatum.

QVARTA conditio est, vt summè caueatur ne sint temporalia, videlicet quòd ad tempus permaneant, & ad tempus negligantur: sed sint stabilia, hoc est, vsque in finem permanentia. Valdè nanque ait Bernardus, est suspecta leuitas eorum, qui nunc hoc volunt, nunc illud: nunc sic se exercent, nunc sic, in nullo fixi. qui tot de se consilia præsumũt, quot loca reuisunt; semper quod non habent cupientes & quod habent fastidientes, & in neutro proficientes. Qui vult in suis exercitijs proficere, oportet

statue-

ſtatere aliquem finem, & ad eius adeptionem
ſua media quæ ſunt ſpiritualia exercitia, ordi-
nare: & in illis fixus permanere. Finis autem
noſtrorum exercitiorum vt ait Abbas Moyſes
in quadam ſua collatione: & tractatus Beatus
vir, eſt adipiſci cordis puritatem & perfectam
Dei charitatem. Quorum vnum ſcilicet De
perfecta dilectio vel beatitudo eſt finis vltimus
alterum quod eſt finis ſecundarius & diſpoſi-
uus eſt cordis munditia quæ diſponit nos ad
perfectæ charitatis & beatitudinis adeptionem
& ad hos duos fines animæ oculus ſemper et
dirigendus inſtar ſagittariorum, qui aliquod
ponere ſignum conſueuerunt, in quod ſagittas
ſuas iaciant, alioquin multo conſumpti labore
modicum proficeremus.

DE HIS QVAE AD SPIRITVALIA exercitia nos excitant.

CAPVT VI.

APoſtolus Paulus exhortatur nos dicens
Solicitudine non pigri, ſpiritu feruentes
domino ſeruientes. Solicitè igitur conſideran-
da ſunt feruoris incitamenta, quia ſecundum
Sanctorum doctrinam, initium totius boni et
eiuſdem boni feruens deſiderium: nunquam
enim in religione feruens erit, qui ante feruo-
deſideriũ non habuerit. Nam ſecundùm Ba-
nardum, neceſſe eſt vt ignis deſiderij præeat
mnem locum quo eſt ipſe venturus. Et vt ig
iſte deſiderij in nobis excitetur, ſexdecim co
ſiderationes hîc aſsignabimus, quas ſummo

dio deuotus religiosus debet in corde suo ponere; nullatenus enim spiritualis vita diu permanere potest, nisi per earum assiduam recordationem.

PRIMA igitur est, vt cum summa diligentia attendamus quantum diligendus est Deus ratione suæ summæ perfectionis, beatitudinis, magnitudinis, infinitæ potentiæ, & ineffabilis sapientiæ: cùm ipse sit summum bonum, & aliarum innumerabilium perfectionum in eo existentium. Considera igitur quantum ipsum diligis: quoniam totum hoc modicum est ad id quod debes.

SECVNDA consideratio est, quot dolores, angustias, anxietates, dura verba, duriora verbera, & acerbissima ac immanissima supplicia passus est; & pro nobis in cruce mori dignatus est: & quàm modicum nos pro eo pati volumus.

TERTIA consideratio est, qnod bona nobis promisit in illa æterna beatitudine; in animæ & corporis glorificatione, & quàm tepidè laboramus pro illius summi thesauri adeptione.

QVARTA consideratio est, quot & quanta bona dominus noster generi humano contulit in eius creatione & redemptione; & vnicuiq; nostrum in vocatione ad religionẽ, in sustentatione, & conseruatione: & propter tot & tanta beneficia non solum gratias non impendimus, quin potius eum incessanter offendimus.

QVINTA est, quot & quanta peccata nobis dimisit: & quoties in eis relabimur: & pro gratiarum actione in odibile ingratitudinis scelus incurrimus,

SEXTA est, ad quantam perfectionẽ teneṁ
scilicet & Decalogi obseruationem propter pr
cipientis auctoritatẽ, & per consequens ad nu
quam mortaliter peccandum, & ad Deum supe
omnia diligendum: nihil in hac vita æquè ve
supra ipsum amando: & ad cupiendum proxi
mis nostris bonũ eos sicut nosmetipsos diligen
do: & eorum saluationem desiderando, hoc e
vt Deum super omnia diligant.

SEPTIMA consideratio est, quot nobis perfe
ctionis exẽpla in sanctis Patriarchis, Prophet
Apostolis, & in omnibus Sanctis sunt exhibit
qui omnes sicut nos mortales erant: tamen e
nostra desidia illorum exemplorũ vestigia no
lumus imitari.

OCTAVA est, quanta est virtutum formos
vtilitas, & honestas: & quanta est vitiorum e
formitas, confusio, & vtilitas: nos tamẽ à vir
tibus deuiantes inseparabiliter vitijs adhæ

NONA est: quàm difficilè est spiritualem
tam inchoare his qui ex tepiditate hoc differ
cũ enim dominus noster semper sit paratus
iuuare liberi arbitrij infirmitatẽ, nos nequa
conamur facere quod in manu nostra est.
hinc est q; pauci benè inchoant, pauciores
ptum bonum, psequuntur: & pauciſsimi vs
finem perseuerant. propter quod ex diuinæ
sericordiæ confidentia, & ex feruenti conat
ex tota nostra scientia, voluntate, & facul
debemus tendere in perfectionem.

DECIMA est, quantæ est difficultatis, carn
mundi bella deuincere: tam quæ ex bonor
terrenorum appetitu quàm quæ ex prauor

inter quos degimus consilio & familiaritate insurgunt; & etiam malignorum spirituũ subtilia & crebra certamina: nos autem quamuis in tãtis simus periculis constituti, ac si essemus securi, tepescimus & torpemus: & nullatenus ad resistendum satagimus.

VNDECIMA est, quàm rari sunt, qui vsque in finem perseuerent. multi quidem sunt, qui perfectionis scalam ascendunt & currunt, & vsque ad eius medietatem pertingunt, non tamen ad eius summitatem perueniunt. Veruntamen rari inueniuntur, qui de tanto bono sicut est perseuerantia curant: pro qua semper est orandum, si saluari cupimus. cum reuera sciamus non esse coronandum, qui triginta vel quadraginta annis benè vixerit, sed qui perseuerauerit vsque in finem,

DVODECIMA est, quam breuis est vita præsens, & quot merita in ea possemus acquirere: & quod si semel fuerit amissa, nunquam ad eam redire poterimus: nos vero tempus nobis ad mensuram datum inutiliter cõsumimus: morti & extremo iudicio virtutibus vacui, & vitijs pleni quotidie instanter appropinquamus.

TERTIADECIMA est; quanti rigoris, asperitatis est diuina iustitia: quæ pro vno solo mortali crimine, de quo si quis pœnitentiam non ageret neque vsque ad finem emendaretur, corpus & animã eius qui huiusmodi est, in inferno absq; dubio æternaliter cruciaret: & quod nullũ peccatum veniale quantumcunq; minimum manebit impunitum. Consideranda est hic cæcitas & stultitia nostra, cũ enim dominus noster pla-

cari & ad misericordiam inclinari per pœniten-
tiam suspiria & dolorẽ de peccatis, quæ in eum
perpetrauimus nunc valeat: hoc agere negligi-
mus; & tanquam intellectu rudes, iugiter diuinæ
iustitiæ manibus appropinquamus.

QVARTADECIMA est; quanta est acerbitas, di-
uersitas, & æternitas infernalium pœnarũ, quā-
rum tamen reus est qui breui & momentaneæ
delectatione sibi per Deum prohibita vult hic
frui. Et cum illa tormenta multiplicia sæuissi-
ma & perpetua credamus, non curamus ab eis
fugere: cùm per millia millium annorũ quan-
cunq; temporales pœnas deberemus libenter
sustinere: vt ab illis doloribus & nunquam de-
niendis cruciatibus liberari possemus, dicente
Propheta: Quis poterit habitare ex vobis cum
igne deuorãte, aut quis habitabit ex vobis cum
ardoribus sempiternis?

QVINTADECIMA est, præ oculis semper ha-
bere profundam abyssum diuinorum iudicio-
rum: qui super multos fecerit: qui multo tem-
pore sanctè vixerunt, & in magna sanctitate
perstiterunt, quos tamen dominus propter ali-
qua vitia in ipsis latentia deseruit. Si hoc attẽ-
tè aduertemus non dubito quin ad benè age-
dum feruentes essemus. Vnde Propheta nos
monet, dicens: Venite & videte opera Dei, ter-
ribilis in consilijs super filios hominum. Hinc
portet nos considerationem facere de nostra
salute, & timere ne diuina gratia priuemur.

SEXTADECIMA & vltima cõsideratio est; quā-
to nos beati expectant desiderio, & quanta ad-
ditate nostrum affectant aduentum. Si hoc
nẽ-

nè attenderemus, non ambigo quin ad eos ire instaremus. De quo dicit Bernardus: Expectant nos Angeli, vt ruina eorum instauretur: Beati, vt eorum gloria compleatur: Deus pater nos expectat quasi filios & hæredes: quos super omnia bona sua constituat: Filius, quasi fratres & cohæredes: vt fructum natiuitatis & preciũ sui sanguinis nobis impendat: & ipse Spiritus sanctus qui est charitas & benignitas, in qua nos pater ab æterno prædestinauit. neq; dubiũ quin prædestinationem suam adimpleri velit. O fratres quomodo curreremus ad aliqu locum in hac vita, si sciremus ibi esse dominam nostram nos expectantem? quanto magis igitur ad locum delitiarum & gloriæ, quæ fine carent festinandum nobis est: vbi tam multi, tam magni tamq; affectuosè nos expectant? In hac consideratione habendũ est desiderium resolui & esse cum Christo. Istarum considerationum finis in duobus consistit. Primùm est propriæ imperfectionis clara cognitio. Secundùm est ardens desiderium ascendendi in altiorem perfectionem & maiorem feruorem. Quis igitur erit qui hæc in corde suo conferens, nisi mẽtem habeat ferream, statim ad rectè & religiosè viuendũ non inardescat, omnem à se expellens torporem & negligentiam? Ista quæ supradicta sunt non hîc scripsi, vt ea tantũ semel legas: sed sæpè & quasi semper maneant in memoria: omni die versesca in corde tuo; ne frigescat: vel si frigere contigerit, eorum recordatione reflammescat.

QVOD PROMISSA VOTA, ET LOCI *dignitas nos ad feruorem cogant in nostris exercitijs habendum.*

CAPVT VII.

LEgitur in Ecclesiaste: Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere; displicet enim ei infidelis & stulta promissis. Vehementer ad rectè & feruenter in religione viuẽdum, votis astringimur solenniter promissio. Firmiter quippe tenendum est per omne votum ritè promissum vouentes ad sui teneri obseruationẽ. Et vt Doctorum quidam asserunt, magis obligat votum quàm iuramentum. itaq; qui promissum transgreditur votum, mortaliter peccat: & grauius quàm transgressor iuramenti secundùm sanctum Thomam Secunda secundæ. Quid igitur ô fratres, promisimus nisi per labores & exercitia dare operam, vt ad virtutis veniamus perfectionem? à quo conatu qui recedit, voti transgressor reputandus est: sicut è cõtra secundùm Bernardũ, quandiu indefessum proficiendi studium, ingentemq; ad altiora anterioraq; conatum habuerimus, non voti fractores deputamur, etiam si crebrius eciderimus. Habentes igitur hoc desideriũ, & debita & ordinata exercitia explentes, quod promisimus persoluamus & quod nobis promissum est obtinebimus. Sumamus à seculi hominibus exemplũ, qui adhuc promissa violare perhorrescunt, vt captiui dimissi reditum pollicentes, promisso tempore redeant: quamuis se acriter cruciandos agnoscant. Incitat nos quoq; ad feruorem, loci digni-

tas

tas. Vtinam attentè aduerteremus quàm grauiter offendunt illi, qui tepide & remisse in monasterio viuunt. De quibus dicit Propheta Hieremias: Quid est quòd dilect⁹ meus in domo mea fecit scelera multa? Grauissimè quidē peccant qui huiusmodi sunt, multiplici ratione,

PRIMO propter religionis sublimitatē, quam transgrediuntur mentientes, cùm quod Deo promiserunt, non soluunt.

SECVNDO propter loci sanctitatem, secundū illud Esaiæ: In terra sanctorum iniqua gessit: & non videbit gloriam Dei, & secūdum illud Hieremiæ: Contaminasti terram sanctam meam.

TERTIO, propter temporis opportunitatem, quam habet in monasterio ad sancte viuēdum. Valde tamen est dolendū, quia mens nostra dura & ad malum prona manna fastidiens, appetit manducare cæpas quæ suos edentes ad lachrymas cogunt.

QVARTO, propter bonorum societatem: nam qui inter bonos malus est, similis est Judæ inter discipulos domini: & sicut Sathā inter filios Dei.

QVINTO, propter Dei liberalitatem, ei necessaria prouidentis, proditor siquidem deputand⁹ est, qui contra dominum suum ei necessaria administrantem pugnat. nam & canis suos consueuit amare beneficos.

SEXTO, propter votū & professionē: qūę multū peccatū aggrauant, non enim leuis putāda est culpa, vt q se primo Deo obtulit, ab eo discedens se offerat diabolo: & sic mētiatur Spiritui sancto.

SEPTIMO, quia qui in monasterio male viuit, vnius boni locum occupat.

OCTAVO, quia præsumit illos actus exercere ad quos non est idoneus. nam præsumit astare in conspectu Dei, & alia plura huiusmodi.

NONO, quia non timet illas grauissimas pœnas, quibus legimus fuisse punitos, qui in locis sacris aliqua crimina perpetrarunt.

DECIMO & vltimo, quia non timet damna quæ incurrit: nam perdit omnia religionis bona, & fit expers bonorum religiosorum, & comparatur blasphemo latroni: quia de cruce claustri descendit ad crucem inferni. Et concludens vos admoneo, vt si quis vestrum se torpere senserit, cum Bernardo dicat: Cur torpes? cur desidia anima tebescis? non sunt condignæ passiones huius temporis ad culpam præteritam quæ remittitur, & ad gratiam præsentem quæ immittitur: & ad futuram gloriam quæ promittitur: euigila anima mea quia magna sunt quæ promisimus: sed maiora sunt quæ nobis promittuntur. Compleamus ista ô anima mea & suspiremus ad illa. Attende, quia delectatio peccati breuis est, & pœna perpetua paruus labor virtutis, & gloria infinita, vocatio multorum & pauci electi omnium remuneratio: quidam ad gloriam, & alij ad pœnam sine fine. Vigila igitur frater in tuis exercitijs: & tempore orationis statuto post vigilias ne dormias: quia qua non putas hora vocaberis. Et attende qui vigilant dici beatos.

HACTENVS diximus, quàm sit necessariũ ad spiritualem profectũ consortium bonorũ, & de studio spiritualiũ exercitiorũ, & de eorum fructibus

ctibus, si sint certa & ordinata; & de eorum conditionibus, qui in eis sunt exercitandi: & de exercitiorum moderamine: & de his quæ in nobis sanctum feruorem excitant. Restat nunc vt dicamus & disponamus qualiter religiosus debeat exercitari secundùm illas præmemoratas tres vias scilicet Purgatiuam, Illuminatiuam, & Vnitiuam: vt per earundem exercitium & per orationem & contemplationem valeat gradatim ad optatum finem peruenire, scilicet animam Deo vnire secundùm illud Pauli: Qui adhæret Deo, vnus spiritus est: & hoc à sanctis dicitur ad veram sapientiam pertingere.

QVOD SPIRITVALIA EXERCITIA *habere debent certas & determinatas materias, tempora, & horas.*

CAPVT VIII.

SPiritualium diuersitate ciborum vti debet religiosus. Experientia namque nouimus, quòd quantumcunque aliquibus cibus sit delectabilis, si quotidie sumatur, interdum parit fastidium: & appetit homo alios cibos quamuis non ita sapidos. Et si cui apponuntur diuersi cibi, tanto plus & auidius ex eis sumit, quanto in eorum singulis nouum experitur saporem. Similiter & deuotus religiosus cum ad orandum accedit spiritualium varietas epularũ sibi quærenda est. Non enim mediocriter laborare credenda sunt caput, pectus, & vniuersa corporis membra: cum anima ignitis desideriis in cœlum conatur ascendere. Vnde variis meditatio-

num dapibus vtendum est, vt in saporum vicissitudine aliquid valeas corpus releuaminis reperire. Primus & præcipuus cibus debet esse deuota oratio, & castum desiderium; vt scilicet anima appetat purgari, illuminari, & vniri illi suo beatissimo & dulcissimo sponso. Et ideo maximè incipientes duo debent considerare, vel meditari. Primo, illa, quæ timorem incutiunt: à quo anima inchoat spiritualem viam ad Deum volens accedere. Secundo debet crebro Redemptoris nostri vitam & passionem ruminari. Nam Redemptoris vita, mors, & passio est ostium, quo intratur ad amorem diuinitatis. & in huius signum eius latus ferro fuit apertum: vt per hoc clarè nobis innotesceret, neminem ad diuinitatis amorem ingredi posse, nisi per ianuas vulnerum humanitatis. Et cum Dei seruus cœperit radicari in deitatis amore, poterit aliquandiu à consideratione humanitatis cessare. Nam propter huius gustus & experimentalis cognitionis adeptionem, circa humanitatem & eius vulnera prius versabatur. Et hoc modo per totam hebdomadam secundum ferias, materiæ sunt distinguendæ. Erit igitur agendum de timore secundum viam purgatiuam: de diuinis beneficiis secundum illuminatiuam: de diuinis perfectionibus & laudibus secundum viam vnitiuam: vt exercitator dapum spiritualium habeat multiplicitatem. Et hoc quantum ad materias.

QVANTVM ad temporum & horarum assignationem fratres, est notandum, quòd multo vtilius est corpori, & conuenientius eius appeti-

tui,

tui, vt assuescat aliquo determinato tempore cibum sumere, si illud semper obseruetur. Simili modo anima appetens spiritualiter viuere, debet habere tempus conueniens, in quo valeat seorsum sola manere: & certas horas diei & noctis ad orandum: quibus quotidie panem spiritualem, & spirituale diuinæ consolationis vinum valeat accipere. multo enim amabilius & delectabilius est animæ hoc conuiuiũ, quàm carni est cibus corporalis: non enim est rationi consentaneum, vt anima quæ domina est corporis, maneat ieiuna, & expers sui suauis & delectabilis cibi: & caro quæ est ancilla nequam, & pigra, assignata & certa hora victum suum accipiat.

QVOD autem horæ assignatio orationi sit vtilis, facilè potest ostendi: nam sicut ex consuetudine & frequentatione bonorum operum generatur in anima quidam habitus & inclinatio, quę placet ei & delectatur in bono, ita cum tempus est determinatum vel hora in qua vacet orationi, eodem tempore se sentit promptiorem, & expeditiorem ad sursum erigendum cor suum per feruens desiderium. Tempus autem ad orandum aptius est nocturnum, secundum illud Prophetæ: Nox illuminatio mea in delitiis meis. Et cum Dei seruus habet horam deputatam orationi, semper illa hora per desiderium se sentit aliquo modo proniorem ad orandum. Et si illa hora absque solita præterit oratione, non manet cor absque magno dolore: & præcipue cùm dimittitur ex negligentia vel aliqua minus rationabili caussa; non enim est anima

crucia-

cruciatus expers: cum suo dulcissimo cibo de lectabili refectione & spirituali lætitia quam degustare solebat: frustari se conspicit. Itaque concludentes dicimus quòd opportunum orationi tempus est nocturnum, secundùm illud Psalm. In die mandauit dominus misericordiam suam & nocte canticum eius, ac si apertius diceret: In die iussit dominus operibus vacare misericordiæ, & nocte cantico laudis suæ.

HORAE autem orationi congruentes secundum Hieronymum, & Bernardum, sunt post vigilias & post completorium: in istis enim horis seruus Dei ad vacandum spiritualibus exercitiis est expeditior. & hæc sufficiat quantum ad tempora, & horas.

QVOD MVLTIPLICI RATIONE *Sancti determinata assignauerunt tempora & horas, in quibus vacandum est mentali orationi.*

CAPVT IX.

O Fratres dilectissimi non immeritò statuerunt sancti Patres vt certis horis diei & noctis mentali orationi religiosi vacarent. Sapiens modum enim secundum deuotum Bonauenturam conuenit proficere cupienti, vt assiduitate orationis & deuotionis studiis exerceat cor suum: siquidem vt prædictus sanctus dicit: religiosus qui hanc orationem quotidie non frequentat, non solum est miser & inutilis, sed vacua uera animam mortuam portat in corpore vita. Cum enim tanta sit efficacia & virtus oratio-

ipsa sola certamina & tentationes superat spirituum malignorum. Et omnis anima quæ orationis rore non irrigatur, facit imperfecta opera & multiplici infecta fastidio. Et è conuerso oratio est valde vtilis & inæstimabilis virtutis ad omnia proficua promouenda,& noxia amouenda.& ideo

SI VIS patienter tolerare aduersa, sis homo orationis.

SI VIS tentationes & tribulationes superare,sis homo orationis.

SI VIS prauas affectiones conculcare,sis homo orationis.

SI VIS astutias Sathanæ cognoscere, ac eius fallacias vitare,sis homo orationis.

SI VIS lętanter viuere in opere diei,& laboris & afflictionis viam incedere,sis homo orationis.

SI VIS in spirituali vita te exercere, & carnis curam non agere in desideriis, sis homo orationis.

SI VIS vanas muscas cogitationum fugare, sis homo orationis.

SI VIS animam tuam sanctis & bonis cogitationibus,desideriis,feruoribus,& deuotionibus impinguare,sis homo orationis.

SI VIS cor tuum virili spiritu & constanti proposito in Dei beneplacito stabilire, sis homo orationis.

SI VIS vitia extirpare, & virtutibus imbui, sis homo orationis.

SI VIS denique ad contemplationem ascendere, & sponsi amplexibus perfrui: sis homo

oratio-

orationis. In ea enim recipitur sancti Spiritus vnctio: quæ de omnibus mentem docet & ad cõtemplationem & cœlestium degustationem, per orationis exercitium deuenitur.

VIDETIS fratres orationis rationes, & quàm magnæ sit potentiæ & virtutis. Ad quorum omnium confirmationẽ omissis Scripturarum cõfirmationibus hoc tibi sit pro efficaci probatione quòd quotidie audimus, & videmus ad oculum illiteratas & simplices personas præmissa & alia complura potiora dona adeptas fuisse. Solicitè ergo omnes orationi vacare debent, qui Christum imitari desiderant, & præcipue religiosi, quibus maior ad hoc debet esse temporis copia. Quare inquit idem Sanctus & Seraphicus doctor ad sororem suam scribens, te hortor, tibiq; quantum possum mando districtius, vt pro principaliori exercitio tuo sumas orationem, nihilq; aliud te delectet nisi oratio. quia nihil tantũ te delectare debet quàm morari cum domino, quod fit per orationem.

QVOD INCIPIENTES DEO SERVIre inchoant à timore, qui diuinæ est initium sapientiæ & de speciebus timoris.

CAPVT X.

SEcundum Anselmum in libro Doctrinarum omnes incipientes incipiunt à timore seruili, quia à timore seruili incipit filialis. Beatus datum est habere timorem Dei: timor enim D est fundamentum fidei, charitatis origo, inc um diuinæ sapientię secundum illud quod scr bit

bitur in prouerbiis: Principium sapientiæ timor domini, quia est ianua conuersionis, & vt dicit Cassiodorus: Per hunc enim ad Deum velut quibusdam ianuis introitur. & deuotus Bernardus super Cantica dicit: Tunc primo Deus animæ sapit cum eam afficit ad timendum: non cum eam instruit ad sciendum. Et Cassianus libro 4. Institutionum dicit: Principium nostræ salutis, eiusdemq; custodia timor est: per hunc enim & initium conuersionis, & vitiorum purgatio, & virtutum custodia his qui imbuuntur ad viam perfectionis, acquiritur. Vnde notandum est quòd secundum Magistrum sententiarum in 3. dist. 34. quatuor sunt species timoris, secundum quem aliquo modo ad Deum conuertimur, vel ab eo auertimur scilicet timor mundanus siue humanus, seruilis, initialis, castus, vel filialis. Humanus timor vt ait Cassiodorus, est quando timemus pati pericula carnis vel perdere bona mundi propter quod delinquimus. Hic timor malus est, & procedit ex nimio sui, & præsentis vitæ amore.

SECVNDVS timor est seruilis: de quo loquimur in præsenti: & vt dicit Augustinus, timor seruilis est cum propter timorem gehennæ, aut alicuius temporalis incommodi seu mali, continet se homo à peccato. Iste autem seruilis timor cùm peccandi voluntatem non auferat, non est cum charitate: & habens hunc solum timorem non posset saluari, sed adueniente charitate propellitur. qui adhuc ideo bene agit, quia pœnam timet, Deum non amat: nondum est inter filios Dei. Aduertendum tamen quod licet

timor

timor seruilis simul cum charitate non stet, nihilominus via est ad illam, secundum illud Ecclesiastici: Timor Domini initium dilectionis. Et Augustinus ait: Timor Dei locum præparat charitati: cum cœperit charitas habitare, pellitur qui ei præparauit locum: quantum illa crescit tantum ille decrescit: maior charitas, minor timor, si nullus timor perfecta charitas.

TERTIVS timor dicitur filialis, siue castus, & est ille, quo timemus ne sponsum offendamus: ne sponsus tardet: ne discedat: ne eo careamus. Timor iste de vero Dei amore nascitur, de quo Propheta ait: Timor Domini sanctus permanet in seculum seculi. De differentia autem istorum duorum timorum, videlicet seruilis, & filialis siue casti, Augustinus super prima Canonica Ioannis dicit sic: Est timor castus permanens in seculum seculi: sicut sunt homines qui timent Deum ne mittantur in gehennam. Iste timor introducit charitatem: sed sic venit ut exeat. sic enim propter pœnas times Deum, ut amas: non bona desideras: sed mala caues. corrigis te & incipis bona desiderare: est in te timor castus, qui est ne amittas ipsa bona. sicut si ponas duas mulieres maritatas, quarum vna velit adulterium facere, sed timet maritum ne veniat: hæc diligit nequitiam, & onerosa est ei præsentia mariti: altera amat virum, & nulla se adulterina immunditia vult maculare: optat præsentiam viri: timet illa, timet ista: illa timet virum ne veniat: ista timet ne discedat: illa dicit; timeo ne damnet, ista dicit; timeo ne deserat. Hoc exemplo cognosci potest quomodo timor seru-

lis, quem charitas foras mittit: differt à timore filiali vel casto, qui permanet in seculum seculi.

QVARTVS timor dicitur initialis, qui est quasi medius inter duos supradictos, scilicet seruilem & filialem. nam seruilis timor iuxta præmissa est, quo se homo continet à peccato timore pœnæ: timor filialis est, quo se homo continet à peccato timore offensæ; filiorum est enim timere Patris offensam: timor verò initialis dicitur quo homo propter vtrumque scilicet pœnam & offensam se à peccato abstinet. Et ideo dicitur à beato Bernardo, duos habere oculos, dextrum, quo respiciens sursum timet à Deo separari: sinistrum, quo respiciens deorsum timet incurrere pœnas. timor iste dicitur initialis, quia est incipientium in quibus inchoatur filialis timor per inchoationem charitatis, non tamen est in eis timor filialis perfectè; quia nondum peruenerunt, ad perfectionem charitatis. Et ideo timor initialis, vt dicit sanctus Thomas, hoc modo se habeat ad filialem sicut charitas imperfecta ad perfectam: quæ non differunt secundum essentiam, sed secundum statum: quidam enim sunt in statu incipientium, alij proficientium, alij perfectorum.

HOS timores hîc exposuimus, vt dignoscere queas quo ipsorum sis affectus: & relicto seruili, à filiali possidearis timore.

DE HIS, QVAE A NOBIS SEM. per sunt timenda.

CAPVT XI.

DIlectissimi fratres quamuis plura sunt quæ nobis timenda sunt, quædam tamen sunt periculosiora,& ideo horribilius metuenda: et quibus potiora colligantur, vt ab illis solicitius cauere valeamus.

Debet homo timere

HVIVS mundi alteritatem & instabilitatem: quia homo nunquam in eodem statu permanet: & nescit vtrum odio vel amore dignus sit.si enim nos Deus desereret, in ictu oculi dæmon peruerteret.

CARNIS proprię,mundi,& diaboli bellum quo indesinenter spiritus impugnatur.

IMBECILLITATEM,& quotidianam negligentiam in resistendo, pœnitendo,& proficiendo.

DIVINAE iustitiæ seueritatem: quæ clarus in casu Luciferi: qui pro vno commisso peccato, fuit in æternum de cœlo eiectus:quanto magis qui multa commiserunt peccata illuc non quaquam ascendent? Apparet quoque ista severitas in peccato Adæ qui propter vnum peccatum à Paradiso fuit expulsus, & porta cœli fuit clausa donec Saluator noster per suam mortem eam aperuit. In qua etiam morte & passione apparuit rigor inflexibilis, & terribilis diuinæ iustitiæ : quia reliquit suum dilectissimum filium in manibus tam diræ gentis, vt perfuit quando cum clamore valido in cruce

mauit dicens: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Quia ergo seueriſsimus rigor & rigidiſsima seueritas diuinæ iuſtitiæ ita apparuit in viridi ligno & virtutibus pleno & tam dilecto à Patre: quid erit in nobis qui ſumus ligna virtutibus arida & iniquitatibus repleta? Relucet etiam huiuſmodi rigor in diluuio: tunc enim totus (præter animas octo) mundus periit.

AMBIGVVM ex hac vita egreſſum: quia nemo ſcit, vbi, quando, aut quomodo, ſcilicet ſi bene vel male moriturus eſt.

FVTVRVM iudicium, vbi iudex neque decipi neque precibus aut muneribus poterit inclinari, neque ab eius poterit appellari ſententia, neque ab eo quiſquam valebit fugere.

POENARVM purgatorij acerbitatem: quæ ſecundùm Auguſtinum omnem huius vitę pœnam ſuperant.

DAEMONIORVM & pœnarũ inferni horrorem, eiusq; ignem inextinguibilem.

PERPETVAM à dilectiſsimis cœleſtibus ciuibus ſeparationem.

AMARISSIMOS fletus, & gemitus damnatorum omni carentium ſolatio. nam ſicut oues in inferno poſiti ſunt, & mors depaſcet eos.

COGNITIONEM, & confuſionem ſuorum peccatorum.

Debet homo timere

ODIVM ſui, & vniuerſorum quæ in toto mundo aguntur.

POENARVM infernalium perpetuitatem: quia in inferno nulla eſt redemptio.

PERPETVAM illius ineffabilis glorię, & spei ad eam perueniendi priuationem.

RATIONIS obstinationem: quia qui sunt in inferno, sunt in malo obstinati & nihil boni appetunt.

DENTIVM stridorem præ angustiæ nimietate: qua damnati vltra quàm dici potest torquentur.

DAMNATORVM detẽtionem & captiuitatem: non enim inde exire cùm volunt, valent.

CONSCIENTIAE vermem: qui incessabiliter eorum conscientias corrodit, & cruciat

propter { Bona omissa. / Scandala dimissa. / Mala commissa.

vel propter { Bonorum dimisionem. / Scandalorum impensionem. / Malorum commisionem.

Leuemus igitur in æthera oculos, & orantes dicamus:

Christe redemptor pie.
Qui sumus causſa tuæ viæ.
Ne perdas nos in hac die.

DE MEDITATIONVM PARTITIONE per totam hebdomadam, secundum viam purgatiuam.

CAPVT XII.

DEuotus religiosus, & præsertim incipiens præcipue se debet exercere secundum viam purgatiuam. Et vt iuxta ea quæ præmissa sunt, sua habeat determinata & ordinata exercitia

citia, diuidendæ sunt meditationes viæ purgatiuæ per totam hebdomadam, hoc modo,

Feria 2.	Memoria	Peccatorum.
Feria 3.		Mortis.
Feria 4.		Inferni.
Feria 5.		Iudicij.
Feria 6.		Passionis.
Sabbato		Dominæ nostræ.
Die dominica		Cœlestis gloriæ.

FERIA secunda debemus exerceri in memoria peccatorum secundum tres particulas viæ purgatiuæ: quæ sunt,

- Exasperatiua.
- Compunctiua.
- Eleuatiua.

Quarum exercitium hoc modo practicari potest.

IVSTITIA, & iudicium iuxta Prophetam sunt præparatio sedis Domini. Quando igitur ascendere appetit cordis affectibus ad perfectam cœlestis sponsi vnionem: si pane illo quo fruuntur spiritus beati in gloria cœlesti quasi quibusdam micis adhuc in huius mortalis vitæ miseria exulans cupit refici, necesse est ei tria habere officia: per quæ adiutus diuina gratia, paulatim ascendat per scalam cœlestis contemplationis. Dicit enim diuinus Dionysius in libro cœle. Hier. quòd tria sunt Angelorum officia, scilicet purgare, illuminare, & perficere. Oportet ergo primò, vt anima quæ adhuc in hac mortali vita existens ascendere cupit ad altissimum cœlestis beatitudinis statum, vbi Angeli visione diuinæ gloriæ lætificantur, studeat se

purgare. Secundo, radiis diuini splendoris illu-
minari. Tertio, conetur vt ascendens ad altio-
rem gradum cordialium affectuum, perficiatur
altitudine diuini amoris, qui eam vnum cum
Deo faciet spiritum. Vnde primo dicendum est
de prima via scilicet purgatiua in qua se exer-
cens luget peccata sua & iniquitates, quas con-
tra Deum perpetrauit, vt sic lugens diuinam
imploret misericordiam. Nam in via ista pur-
gatur conscientia: quod iuxta præmissa, statim
conuenit incipientium. Et hac via disponitur &
instruitur nouum cor absque aliqua humana
doctrina vacans solum cœlestium studiis doc-
trinarum. quantumcunque enim sit simplex &
laicus & illiteratus qui circa hoc versatur exer-
citium, necessario diuina illustratione eleuabi-
tur non ad theoriam scientiæ, sed ad praxim ex-
perientiæ. Vnde antequam illa increata sapien-
tia in anima sedeat sicut in proprio throno se-
cundum illud: Anima iusti sedes est sapientiæ
oportet in anima fieri iudicium & iustitiam. Iu-
dicium quidem, vt quemadmodum per pecca-
tum mortale à suo creatore se auertens, relin-
eum & contempsit ad creaturam tam infeli-
ter quàm miserabiliter per amorem se conuer-
tens, sic plenè se humiliet, vt tantum ad mi-
sericordiam diuinam inclinet pietatem sua hu-
militate, quantum aduersum se iustitiam & ve-
dictam superni iudicis sua prouocauit temeri-
tate. Iustitiam vero: vt anima quæ sui creato
amabilem delectationem commutauit pro
ominabili creaturæ dilectione, tanto se cru
et dolore, vt secundum rationem saltem ta
co

correſpondeat ſatisfactio offenſæ maieſtatis diuinæ, quanta correſpondere deberet ſecundùm rationis æquitatem iniuriæ humanæ.

Quia igitur fratres oportet, vt in nobis ipſi faciamus iudicium & iuſtitiam, feria ſecunda poſt matutinas hora deputata orationi veniens ad locum ſtatutum, genuflexus ſignans crucis vexillo frontem, os, & pectus, dic hanc antiphonam: Veni ſancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium: & tui amoris in eis ignem accende. & ter hunc verſum: Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me feſtina. Et ſpiritu attracto accipe perſonam rei, & timoris affectu poſitus coram Deo, quaſi quodam ſeuero iudice te damnare volente, debes accuratiſsimè ad memoriam reuocare & attentiſsime conſiderare quantum Deus quolibet offenditur peccato: & vt tali recordatione ad deuotionem compungaris & exerciteris ſecundum primam particulam, quam diximus exaſperatiuam: in principio orationis vulneretur cor tuum in peccatorum memoriam, te ipſum acerrimè reprehendens, & his actus ſtimulis, meditans dic;

O ANIMA MEA

Conſidera nunc attentiſsime & totis viribus ſentire ſatage, quantum vnum ſolum peccatum diſpliceat Deo.

Intuere diligenter & vide, quomodo ſuperbia è cœlo luciferum eiecerit. Adam inobedientia de paradiſo, & luxuria conſumptæ ſunt Sodoma & Gomorra, & totus mundus diluuio periit.

Lucifer
Adam.

Considera quomodo filius Dei redemptor tuus propter peccatum, tam amarissimam sustinuit mortem; ne peccatum, scilicet maneret impunitum, & iustitia diuina absque satisfactione.

Rimare etiam in corde tuo, non nisi secundum opera tua Deum te iudicaturum.

Contemplare Deum esse,

Æquitatem { Intelligibilem. Infallibilem. Indeclinabilem.

Nõ minus in punitione malorum quàm in glorificatione electorum. Vnde secundum opera tua tribuet tibi.

Animo quoque tuo reuolue peccata ante tuam conuersionem commissa quàm multiplicia sunt, scilicet cogitationis, consensus, delectationis, oris, & operis: tot enim sunt, vt præ multitudine ea nequeas numerare.

Aduerte quàm turpia, & præcipuè quantum ad carnalia: in quibus tamen non est commorandum; ne vnde quęris contritionem, decipiaris à delectatione.

Attende quàm grauia quibus Deum offendisti & iterum Christum crucifixisti.

Recogita quoque peccata post conuersionem perpetrata, quomodo semper tam negligenter, tam tepidè, tamq; inutiliter tot vixeris annis.

Conspice peccata tua sigillatim, & ea in conspectu Dei confitere, & cùm te examinaueris ista diligenter in corde tuo pertracta.

QVA

QVAM modicum pro tuis satisfeceris peccatis.

QVAM modicum pro eis dolorem assumpseris.

QVAM pauca opera satisfactoria pro eis feceris. Scias quidem te in hac vel in futura vita soluturum vsq; ad vltimum quadrantem. Et ideo dicit Bernardus: Centuplum reddes quod hîc simplo soluere posses. Cum igitur tu peccator & præcipuè si nouiter incipis ista in animo tuo versaueris, & te timore confixum senseris, ac interius dolore plenum nõ timore inferni quo dignus es, sed quia tuum benignissimũ Deum offenderis, humilians animam tuam, inclina faciem tuam, siue caput super genua interpositis brachijs indignum te reputans cœlum suscipere: & dirigens cor tuum in Deum cum amara contritione, dic: O pijssime pater, ego sum ille filius prodigus qui omnia scelera hæc contra tuam immensam maiestatem perpetraui, & ingratus extiti: tu enim me innocentem condidisti: sed ego me ipsum pollui, deformaui, & vniuersis peccatis laceraui. Tu Domine pro me crucifixus, vulneratus, humiliatus es: & ego omnibus viribus exaltari curaui. Tu Domine nudus in cruce, & ego vanis, & lasciuis indutus vestibus. Tu Dñe felle & aceto potat⁹, & ego in cõmessationibus & ebrietatibus sum delectatus. Tu Dñe totus multiplicibus laboribus plenus, & ego torpens & ociosus. Quid igitur faciã Domine? Nũquid desperabo? Vbi est illud quod ait Propheta, Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat? Æs eruginosum & specu-

lum maculis respersum expurgatur: igitur & ego per viam

Purgatiuam { Contritionis / Confessionis / Satisfactionis }

lima purgari curabo. Et sicut me ipsum exaltaui, sic fiam abiectio & opprobrium hominum. Contra auaritiam, proprietatibus renunciabo: contra carnis illecebras, ieiunijs, vigilijs, fame, & siti me affligere nō cessabo: ac me ipsum per tria expurgare conabor; scilicet,

per { Gemitum orationis. / Caminum tuæ passionis. / Incendium tuæ dilectionis. }

Exercitata igitur anima hoc modo in prima particula viæ purgatiuæ, & per dolorem asperum ex suorum memoria peccatorum amaritudine & dolore plena transeat ad secundam eiusdem viæ particulam scilicet compunctiui, & viuaci affectione dicat;

O DOMINE DOLEO

Tuam amicitiam amisisse;
Tuam maiestatem contempsisse;
Iniquitatibus meis cōsensum præbuisse & multifariè culpabilem vitam egisse:
Tempus & vires tam animæ quàm corporis dilapidasse:
Iussa tua & tuæ sanctæ Ecclesiæ, ac maiorum meorum transgressum fuisse:
In resistendo peccatis pœnitendo, & in virtutibus proficiendo infirmum fuisse:
Laborem manuum, orationem, meditationem, & lectionem neglexisse:

Hab-

Habitum, consuetudinem, & creberrimam intentionem peccandi habuisse:

Ingratitudinis nequissimo vitio vltra quam dici potest te offendisse, te enim mihi meorum scelerum indulgentiam sæpissime concedente, fateor me miserũ in eis iterum & iterum & infinities reincidisse: Charitatem, vitam animæ meæ peccatorum meorum innumerabili multitudine frequentissime in me extinxisse: Timorem tuum delictorum meorũ grauedine, & ingenti abominatione quæ contra te dominum maiestatis commisi deseruisse: Et hoc modo humiliatus, compunctus, & confusus, orans dic: O Domine Deus meus Iesu Christe, ego sum ille iniquus & infelix omnium peccatorum infeliciſsimus & abominabiliſsimus peccator, qui tot & tanta contra tuam immensam maiestatem crimina perpetraui, vt ea numerare nõ sufficiam; sunt enim super numerũm arenę maris, quæ præ multitudine numerari non potest. Et orans hoc modo vel alio prout te cõtritio cordis vel deuotio inclinauerit, ex omnibus viribus tuis satage emittere viscerosa suspiria & gemitus, siquidem quemadmodum lima purgat & polit ferrum auferẽs ab eo omnem rubiginem, sic cordialia suspiria & gemitus peccatorum & vitiorum eruginem destruunt, & rore diuinæ gratiæ penitus diluunt. Et sic ex præcordijs suspirans & gemens dic: Quo igitur Domine à facie maiestatis tuæ fugiam? si ascendero in cœlum, tu illic es: si descẽdero in infernum, ades. atq; ita orans adde: O Domine quid faciam? Nunquid me ipsum interficiam? Absit

Domine

Domine: scio enim te pijssimum omnibus qui ad te in veritate conuertuntur: & miserationes tuæ supra omnia opera manuum tuarum. Si autem neq; sic dolorem in te vales excitare, nó propterea cesses per singulas noctes in tuis exercitijs prædicta saltem cursim transcurrere. Nam Deo satis est vt conemur facere quod in nobis est. Et adhuc sæpè Dominus noster expectat finem operum nostrorum: & derelinquit nos aliquantulum, non impendens nobis compunctionem, neque aliquam consolationem, vt fides & patientia in nobis probentur; & peccatorum nostrorum maior compunctio nobis fide & patientia probatis per ipsum donetur.

Postquam sic te in particula compunctius exercueris, de Domini misericordia non desperans, erige per spem animam tuam secundùm illam particulam quæ appellatur eleuatiua: & cũ grandi fiducia sustolle caput quod hactenus supra genua tenueras: & erectus stans parũper quiescens, collige animam tuam, & cum dulcedine mentis eleua te intra temetipsum ad laudandum Dominum implorans eius misericordiam, contemplans eius magnitudinem, & nobilitatem, his quinque verbis magnæ deuotionis excitauit,

Domine, Bone, Pulcherime, } Dulcis Misericors.

Ab obtinendum siquidem eius gratiam sine qua eius consequi misericordiam est impossibile, oportet, vt ad similitudinem parasitorum principum magnorum curias discurrentium

qui

qui cùm aliquod temporale munus acquirere cupiunt ab aliquo principe, primo eum multis modis laudant, & deinde quod desiderant expostulant: sic spiritualis fias parasitus laudans Dominum ad obtinendam tuorum veniam facinorum. Et cum Deus sit tantæ excellentiæ, vt nullius humanæ linguæ officio possit prout in se est nominari, eum per opera eius nominamus; & per eandem eius magnitudinem & nobilitatem commendamus: primo in quantum est principium & origo totius creaturæ: dicentes, O Domine, scilicet factor omnium creaturarum. Bone, secundum quòd se habet ad animas sanctas & ad Angelos in æterna beatitudine: ac si diceremus, O summa bonitas quam facie ad faciem vident & contemplantur omnes Angeli, & animæ sanctæ in illa ineffabili fœlicitate. Tertio, nominamus eum considerantes modum secundum quem se habet ad vniuersa creata tam rationabilia quàm irrationabilia, scilicet quomodo dominatur omnibus & quomodo in tanta pulchritudine ea creauerit, dicentes, Pulcherrime, id est ô omnium creaturarum pulchritudo. Dulcis, id est ô dulcedo omnium iustorum. Misericors, scilicet omnibus peccatoribus, miserere mihi peccatori tribuens indulgentiam omnium peccatorum meorum. Et vbi in quinq; istis dominum laudaueris, securè omnium iniquitatum tuarum veniam poteris postulare. Et hoc modo orare docemur in Canticis: vbi sponsam alloquens, ait sponsus: Vox tua dulcis & facies tua decora, scilicet per tenebrarum fugationem, quibus ante caligauerat.

rat. Et qũolibet iſtorum quinque verborum cœleſtis ſponſus modo ſpeciali poterit cõmendari. & adeo animæ deuotę conueniunt vt ſemper deberet ea corde ruminare. Et cùm orare volueris, nõ erit tibi neceſſe per multitudinem verborum vagus diſcurrere, ſed intra te ipſum collectus, & nõ per ea quæ foris ſunt diſperſus, poteris orare, dicens: O Domine bone, pulcherrime, dulcis, miſericors, propitius eſto huic peccatori, quem pretioſo ſanguine filij tui redemiſti. Et hæc dicens verba ad hoc ſolummodo debes intendere ſcilicet vt tuorum veniam peccatorum valeas obtinere. Et quia pro alijs orare eſt valde meritorium, atque non minus Deo gratũ, ideo iſtis eiſdem verbis orare debes pro cunctis tam fidelium quàm infidelium ſtatibus dicens: O Domine, &c. propitius eſto vniuerſis peccatoribus: & conuerte omnes infideles ad agnitionem tuæ ſanctæ fidei Catholicæ: & poteris nõnunquam ab hoc tuum inchoare exercitium. Poſt hæc implora quoq; miſericordiam redemptoris noſtri, & expurga te ponens inter te & Deum eius pretioſam mortem & paſſionem, dicens: O Domine per ſanctam paſſionem dilectiſsimi filij tui qui pro me in cruce immolatus eſt, propitius eſto mihi peccatori. Vel dicens: Per ſanctam incarnationem dilectiſsimi filij tui vel per ſanctam natiuitatem, prout ſcilicet occurrerit meditatio vitæ Dominicæ ſecundum occurrentem feriam. Rurſum obſecra per ſanctorum & præcipuè Dominæ noſtræ interceſsionem, dicens. O pijſsima virgo mater Dei & Saluatoris noſtri, tu quæ es ſanctiſsima, humillim-

millima & benigniſsima ſupra omnes ſanctos cœleſtis curiæ, & inclinas aurem tuam vt exaudias orationes ſeruorum tuorum, & ſemper es iuuare parata, ſi tu domina dignaris inclinans te ante diuinam maieſtatem orare pro me, qui ſum ſupra modum peccator ſuperbiſsimus & cunctis deterior peccatoribus, tecum pariter ô domina inclinabitur tota cœleſtis curia dicens: Inclina Domine aurem ſummæ pietatis tuæ ad ſupplicationes ſanctiſsimæ genitricis tuæ: digniſsimum namque eſt, vt,

eius { Intuitu / Interceſſu / Affectu }

tribuatur { Gratia & benedictio miſerabili & perdito. / Cura & medicatio ægro. / Venia & remiſsio reo. }

O pientiſsima virgo, ſi ego ſum indignus, tu Domina digniſsima. Si ego ſuperbiſsimus: tu Domina humiliſsima. Si ego immundus: tu mundiſsima. Si ego fœtidiſsimus: tu fragrantiſsima. Si ego carnalis & libidinoſus: tu virgo puriſsima. Si ego peccator nequiſsimus: tu ſanctiſsima. Ex omnibus igitur præcordijs meis te ſupplico per vniuerſos illos dolores, quos feruentiſsimo amore pro tuo dulciſsimo filio pertuliſti, digneris pro me miſerabili & derelicto interuenire & ſupplicare: per fugam Ægypti; per amiſsionem dilectiſsimi filij tui in illo triduo; quo inter doctores demoratus eſt in templo diſputans: Per illum dolorem quem habuiſti cum ſuam mortem & paſsionem tibi in Bethania

thania pronunciauit: Per illud amariſsimum verbum quod in cruce te alloquens dixit, Mulier, Ecce filius tuus: Per fellis & aceti amariſsimum potum ei ſubminiſtratum: Per latus pretioſum mucrone diræ lanceæ perfoſſum: Per eius precioſiſsimi corporis in ſacroſancta brachia tua deſcenſum, vt mihi dignetur dimittere omnia peccata mea, largiriq; præſenti vita gratiam & in futura æternam ſuam gloriam. Et his peractis conuertere ad ſanctos: videlicet.

FERIA ſecunda ad omnes Angelos generaliter, & ad Angelum cuſtodem ſpecialiter: quim magna deuotione & reuerentia tibi habendus eſt, & offer ei quotidie aliquam deuotã orationem. Sancto quoq; cuius feſtum illo die celebratur.

FERIA tertia vt ſupradictum eſt ad dominam noſtram, & ad ſanctos Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, Euangeliſtas, & diſcipulos Domini, accipiendo vnum eorum pro principali aduocato cum Sancto, qui illo die celebratur.

FERIA quarta ad dominam noſtram, & ad ſanctos Martyres.

FERIA quinta ad dominam noſtram & ad Confeſſores.

FERIA ſexta ad doloroſam, & amariſsimam Domini paſsionem.

SABBATO ad dominam noſtram, cum vniuerſo choro virginum.

DIE Dominica ad beatiſsimam Trinitatem eam ſupplicans per ſuam omnipotentiam & ſapientiam filij, & per bonitatem Spiritus ſancti conſiderans immenſam Dei altitudinem & [illegible]

rabilem eius ſuper filios hominum diſpenſationem. Et cùm hoc modo diuinam imploraueris miſericordiam, dilata animam tuam adorans, magnificãs, & gratias agens pro ſuſceptis beneficijs, & ſignanter pro beneficijs illius diei, & cõtritione, & deuotione, & pro alijs donis nunc receptis, dicens: O ſuperſumme Domine anima mea te adorat, magnificat, & gratias impẽdit pro tot & tantis muneribus à tua largiflua magnificentia receptis. Ex totis præcordijs meis tuę me dedico pietati. Et his dictis poſt trinam pectoris tunſionem dic ter hæc verba: Deus propitius eſto mihi peccatori: atq; exurgens ſta in tuis pedibus cum ingenti reuerentia, & dic Pſalmum, Laudate Dominum in Sanctis eius: vel Pſalmũ, Lauda anima mea Dominum: vel Pſalmum, Benedic anima mea Domino, vſque ad verſum, Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua, cùm Gloria patri, & Pater noſter, & Aue Maria, dicens in fine, Et ne nos. Sed libera nos. Domine exaudi orationem meam: Et clamor meus ad te veniat. Oremus: Deus ad quem digne laudãndum. vel de Trinitate: Omnipotens ſempiterne Deus, qui dediſti famulis tuis. Et hoc modo finitur exercitium huius viæ purgatiuæ.

Debes tandem aduertere quòd quamuis quęlibet iſtarum trium viarum habeat nomen determinatum & proprium modum procedendi, non propter hoc extimes quin in earum qualibet ſeorſum te exercitans, in omnibus ſimul tribus diuina pręuentus gratia valeas exerceri ſcilicet purgatiua, illuminatiua, & vnitiua, tuas miſerias recognoſcens gratias agens: & ad ad-

orandum & magnificandum Dominum animam tuam dilatans. Et caue ne finito præfato exercitio, ſtatim diffundaris, ſed pro viribus ſtude conſeruare cor tuum in ſua virtute & vigore, ne vaga vel fluida cogitatione aut vana lætitia diſſoluaris: & ſic anima tua lucrum perdat compunctionis, dans locum vanis & fluidis cogitationibus: ſed ſtabilire cura cor tuum in vita Domini ſecundùm meditationé eius in illa die, vel in aliqua alia materia ſancta deuotione excitatiua.

QVID FERIA TERTIA POST MATVTINAS ſit meditandum.

CAPVT XIII.

FRater dilectiſsime in oratorio poſit' & cruc cis ſignaculo inſignitus ſpiritu ad te reuocato, prout ſupra feria ſecunda diximus, formam meditationem circa mortem hoc modo. Et ſemper eius horam habeas ſuſpectam

COGITA quomodo improuiſa veniet: nam ſicut fur, ita ventura eſt, cum eam minus ſuſpicatus fueris, cum minus fueris præparatus, cum maior tibi fuerit viuendi fiducia, cum multa facere propoſueris.

Et verſa & reuerſa accuratiſsime in corde tuo modum & ordinem, quo ad mortem tendimus: & interdum ac ſi ſtatim eſſes moriturus, & ſic profundius ſenties ſequentia.

Quomodo mortem præcedet quædam grauiſsima infirmitas: & quomodo huius langoris cæteræ infirmitates ſunt nuncij.

Languoris grauitatem. Considera terrorem naturalis inclinationis non mori sed permanere vehementer affectantis.

COGITA quomodo cum iam tibi transitus tuus ab hac vita innotuerit indicantibus tibi hoc medicis: vel te hoc in te ipso prognosticãte, quantus erit tunc clamor conscientiæ, quantus remorsus: quia cum potuisti, non te disposuisti, tunc omnia peccata tua ad memoriam tibi reuocabuntur.

Quanto pro eorum singulis & passionibus quas non superare curasti, dolore cruciaberis.

Si in tali mortis esses constitutus articulo & vitijs & concupiscentijs astrictus, quantum vnum annum vel saltem vnam horam appeteres sanitatis.

Quomodo cum ad illam perueneris horam, si tempus præteritum ad æternitatem ad quam est transiturus comparaueris, quàm breue tibi videbitur. Tota vita tua tibi somnium fuisse videbitur. Et omnes dies tui erunt tunc tibi ac si bi per modicum spatium videlicet vnius miliaris perambulasses.

Quantus tibi erit dolor, cùm te propter momentaneam & minimam delectationem, æterna & ineffabilia amisisse gaudia lugebis.

Quam amarissimum erit diuortium, cum auulsus eris ab his rebus quas hîc male amasti, scilicet ab honoribus, & status celsitudine: ad quem hic totis viribus inhiasti: & à delitijs quibus tam auide adhęsisti: & similiter de alijs multis similibus.

De dispositione morientis quomodo corpus nigrescit, rigescit, & caligant oculi.

Quomodo dæmones ibi assistunt tanquam rugientes Leones, præparati ad escam, animam præstolantes.

Quomodo misera anima eius exitu instante de corpore, incipiet anxiè considerare regionē illam sibi incognitam ad quam tendit, & quos dæmones eam præstolantur. Quàm inuita a corpore egredietur & quam libenter si posset, ad illud regrederetur: non tamen potest, quia omnes portæ sensuum sibi clausæ sunt, itaq; cogitur inde exire & per medios dæmones trāsire.

COGITA quomodo tunc spiritus singulorum vitiorum ad eam concurrent quærentes singuli quod suum est. spiritus superbiæ superbiam. spiritus luxuriæ luxuriam, itaq; vnusquisque illorum immundorum spirituum quæret quod suum est.

Postremo, quomodo anima de corpore egressa mox ante tribunal iudicis statuetur, tunc sententiam receptura irreuocabilem, & vbi lignum ceciderit, ibi erit in perpetuum.

ADVERTE quomodo tumulo cadauer traditur, & perpetuæ obliuioni, hospes enim vnius noctis fuit in hoc mundo, & abijt, & perijt memoria eius de terra.

Hoc modo per contrarium meditationes formare potes de morte iustorum. Nam illi precognoscentes se de hac vita migraturos, valde lætantur suæ testimonio conscientiæ: & quia se per mortem vident ab huius vitæ miserijs liberari. sed & quia hic carnalibus non fuerunt illecti

illecti concupiscentijs vel alijs, non dolent hinc egredi. Et post horum vel aliquot eorum meditationem prout noueris sufficere ad compunctionem & deuotionē excitandam, assume personam rei vel serui, qui dominum suum offendit: & humilitatis & doloris affectu forma orationem ex intimis cordis tui sicut supradictum est: recognoscens q̄ tuam miseriam postula misericordiam dicens: O Domine, bone, pulcherrime, dulcis, misericors, miserere huius peccatoris: quem pretioso sanguine filij tui redemisti. Et his dictis implora misericordiam nostri redemptoris ponens inter te & Deum pretiosam suam mortem & passionem dicens vt supra: O Domine per sanctā passionem pretiosissimi filij tui, qui pro me in ligno crucis immolatus est, propitius esto mihi peccatori. Et post hęc cōuerte tuæ meditationis oculum ad Dominam nostram postulans auxilium ab ea, sicut supra est expositū. deinde ad sanctos illius feriæ: & specialiter ad sanctum cuius solennitas illo die agitur. Et tandem adorans, magnificans, gratiasq̄ agens tuum terminabis exercitium secundum ea quæ fuerunt dicta in fine secundæ feriæ.

DE HIS, QVAE POST MATVTINOrum expletionem feria quarta sunt meditanda.

CAPVT XIV.

IGitur feria quarta ad oratorium veniēs postquam te signaculo crucis insignieris, spiritūq̄ recollexeris secundum quod feria secunda diximus,

ximus, forma meditationes circa pœnas inferni hoc modo:

Debes frater cõsiderare pœnas inferni ipsumque infernum secundum aliquas similitudines, quas Sancti in hac materia assignant.

CONSIDERA quoddam teterrimum chaos, quendam locum sub terra tanquam quendam profundissimum puteum totum ignitum.

Ciuitatem quandam horribilissimam & maximam, tenebrosam, flammis teterrimis & terribilibus succensam & ardentẽ: vbi cõmorantes validos emittunt clamores, vlulatus, & omnes miserabiliter ac inconsolabiliter plangunt prę dolorũ magnitudine & numerositate. necest lingua mortalis q̃ eos sermone explicare valeat.

Per has & similes figuras inexplicabilem pœnarum acerbitatem. Nam vt B. Augustinus dicit tantum ignis inferni ab isto igne distat, quantum verus distat ab igne depicto. Et idem considera circa algorem & fœtorem. Acerbitas pœnarum clare patet in stridore dentium, gemitibus, planctibus, & blasphemijs quas in Deum inferunt.

Pœnarum multiplicitatem. ibi est teterrimus ignis qui nunquam extinguitur intolerabilis algor, intolerabilis fœtor, palpabiles tenebræ. ibi omnes sensus incessabiliter cruciabuntur. Visus, in terribili dæmonum aspectu. Auditus, in gemituum, fletuum, & clamorum auditione.

CONSIDERA miserabilem societatem, & tortorum immanissimam feritatem: sunt enim absq; vlla pietate, neque in torquendo lacescũt neq; ad misericordiam vnquam inclinãtur: sed in-

insultantes eis quos cruciant, dicunt, Vbi est nũc vestræ gloriæ claritas? vbi status vestri sublimitas? vbi superbia? vbi delitiæ? & sic de alijs vitijs.

Quomodo in omnibus mẽbris damnati vexantur: sed in his acerbius quibus deliquerunt.

Pœnas interiores, scilicet conscientiæ remorsum, & vermen qui nunquam morietur. Quis igitur sufficienter contemplari poterit quãtum reprobi ibi crucientur? eo quòd in hoc mundo viuentes modicis & quasi momentaneis laboribus huius vitæ, illos acerbissimos & nunquam finiendos, euadere non curauerunt, cum potuerunt.

Interiores passiones, quantum in ipsis regnabunt. Erunt enim vltra quàm dici potest iracũdi, & inuidi sicut canes rabidi, recordabuntur quidem præteritorum peccatorum, & præcedentium delitiarum ad suppliciorum augmentum: & lamentantes dicent, Quid profuit nobis superbia? quid luxuria? quid cupiditas? quid gloria temporalis? quid carnis oblectamenta?

Pœnarum diuturnitatem, quarum nullus est finis; neque per millia millium annorum, quia ibi nulla est redemptio, & per consequens neque finis.

Frater igitur dilectissime cõscientia tua præmissis meditationibus stimulata, conuertere ad Dominum dicens in corde tuo, O altitudo sapientiæ & scientiæ Dei quam incomprehensibilia sunt iudicia tua. O Domine quot cruciantur in inferno pro vno solo peccato? Et ego qui

tot & tanta commisi, quantarum sum reus pœnarum, iustissime reus sum damnationis æternæ, obnoxius enim sum omni supplicio, & indignus omni beneficio. Itaque his verbis aut similibus ex intimis præcordijs prolatis, humilia coram Domino animam tuam, ante cuius es cõspectum. Nam cùm orationi intendis, firmiter debes credere te esse coram Domino, & quo te magis mortis æternæ reum iudicaueris & intra te humiliatus fueris, eo citius absolutus eris & in altiori statu subleuaberis. itaque dolore compunctus erige per spem animam tuam: & fiducia veniam consequendi, deuotè forma orationem in intimis cordis tui assumens personam rei, & humilitatis & timoris affectu, tuas calamitates & miserias recognoscẽs, implora diuinam misericordiam: & age gratias eius contemplans beneficia, secundũ quod dictũ est in alijs ferijs.

IN QVIBVS MEDITATIONIBVS Debet religiosus exerceri feria quinta post matutinalem synaxim.

CAPVT XV.

FEria quinta constitutus in loco orationi deputato, armans te sacro crucis vexillo collecto spiritu, sicut patuit feria secunda sic formabis meditationes circa finale iudicium.

ATTENDE quantus erit terror, cum illam Archangeli tubam, & illa tam terribilia signa tonitruorum & fulgurum audient, & videbunt peccatores. Turbabuntur horrore terribili vultra quàm dici potest.

ATTEN-

ATTENDE iusti iudicis iram implacabilem: qui veniet contra eos qui eum offenderunt: & quantum illi reprobi terrebuntur.

Amarissimum illud diuortium: cum iusti humiles & mansueti ponentur à dextris, superbi autem inuidi & luxuriosi à sinistris, nunquam de cætero coniungendi.

Quantus tremor, quantus terror, quanta admiratio erit tunc superbis & elatis, cùm se humiliatos, abiectos, pauperes, viles & despectos viderint: & quos viles reputabant, in gloria à dextris Christi astare conspexerint? vnde & præ dolore intra semetipsos dicent, Isti sunt quos aliquando habuimus in derisum. Et è contrario, iusti stabunt in magna constantia aduersus eos, qui se augustiauerunt.

Quomodo ibi omnium operum & cogitationum est reddenda ratio. Illic Hierusalem scrutabitur in lucernis, hoc est, illi qui nunc videntur sancti, ibi examinabuntur, & quicquid in eis latebat, illic clare patebit: testes erunt Angeli & Dæmones: qui ostensuri sunt nobis quæ fecimus mala, tempus pariter, & locum. Propria quoque peccata & totus mundus, peccatores accusabunt.

ATTENDE quomodo Christus insignia passionis suæ ostendet: & malis suæ incarnationis beneficia improperabit, quia eum contempserunt.

Illam tam terribilem & irreuocabilem sententiam, cum dicturus est: Ite maledicti in ignē æternum.

Dulcissimum conuiuium æternæ cœnæ ad

quam vocandi sunt iusti illis suauissimis verbis: Venite benedicti Patris mei percipite regnum, quod paratum est vobis ab origine mundi.

Quantum Deo placent opera misericordiæ & pietatis: cum sola ea Christus redemptor noster in iudicio allegare videatur,

Quomodo iusti ibunt in vitam æternam, mali autem ad æterna tormenta. Et ista duo loca scilicet Paradisus & infernus propter interpositum magnum chaos, in æternum permanebunt diuisa. Stimulata igitur frater conscientia tua per supra positam meditationem, verte cor tuum ad Dominum, & dices; O Domine quis euadere poterit illud tam iustum & tam tremendum iudicium? O Domine non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Et per hæc verba vel similia, forma orationem vt supra patuit.

QVAE COGITANDA SVNT FERIA *sexta post matutinorum officium.*

CAPVT XVI.

POstquam feria sexta ad oratorium veneris & te crucis signo munieris, collecto spiritu prout supra dictum est feria secunda, formabis meditationes, quomodo scilicet Redemptor noster in horto orabat. & ac si ibi præsens esse debes considerare

QVOMODO consummata cœna in Hierusalem in cœnaculo in monte Syon egressus est cum discipulis suis in hortum.

Cum

Cum quanta eos benignitate alloquitur dicens, Vigilate, & orate ne intretis in tentationem.

Quomodo est auulsus ab eis, & sciens omnia quæ super eum ventura erant, se muniuit armis orationis.

Quomodo in agonia positus, fuit in eo tantus dolor & timor in parte sensitiua, vt per omnia corporis membra sanguinei sudoris guttæ scaturirent, insinuans per huiusmodi sudorem magnitudinem internorum dolorum & anxietatum.

Quot & quanti fuerint dolores, & eorũ causſæ, & acerrimi dolores gladij cor suum transfigentes: quorum omnium causſa fuerunt peccata electorum præcedentium, præsentium, & futurorum: quæ omnia ipse clarius, apertius, & distinctius vidit, quàm aliqua mens humana aliquid valeat cognoscere.

Quomodo ibi satisfacit Patri pro iniuriis sibi illatis, pro singulis electorum peccatis singularem ei offerens satisfactionem, scilicet singularem dolorem, & passionem sustinens pro vnaquaq; Patris sui offensa.

Quomodo tunc prẹsentata fuerunt ei omnia peccata tua, vsque ad minimum veniale sigillatim: & quantùm pro eorum singulis assumpsit dolorem, Patri pro te abundantissime satisfaciens.

Cõditiones quę in eo fuerunt: ex quibus tam incomparabiles dolores oriebantur.

DEBES considerare primam conditionem, qui

qui erat filius Dei: & ideo vehementer dolebat de offensis Patris.

Secundam, quia erat pacis mediator inter Deum & homines: & quanto pacem diligebat, tanto de inimicitia & ira Dei contra homines ex peccato exorta dolebat.

Tertiam, quia erat animarum sponsus, & earum pulchritudinem ardenter amabat: vnde propter eam fuit doloribus plenus.

Quartam, quia erat gratiæ reparator: quæ per peccatum fuerat destructa.

Quintam, quia erat vniuersalis redemptor: & oportebat ne peccatum maneret impunitum, vt pro omnibus diuinæ iustitiæ solueret & satisfaceret.

Acerrimos doloris gladios cor eius transfigentes.

DEBES cõsiderare Primo, videns gloriæ suæ regnum diuersis peccatis ita expoliatũ: & quàm rari illud erant ingressuri.

Secundo, videns gratiam multiplicibus peccatis destructam in animabus, & suam sacrosanctam passionem paucissimis profuturam. Nam cum ipse esset ipsamet gratia dolebat de peccatis tanquam sui destructiuis.

Tertio, propter nostram ingratitũdinem in quantum cõsiderabat peccata illorum qui post cognitionem tam inextimabilis redemptionis non verentur ad peccata redire, eum in seipsis denuo crucifigentes.

Quarto, videns ianuas inferorum patulas omnes reprobos damnatos, & vsque ad finem mundi damnandos.

Quin-

Quinto, cum nude, clare, ac distincte omnes dolores, opprobria, & improperia quæ cõtinuo erat passurus, fuit intuitus.

Sexto, cum ei illic fuerunt præsentati omnes suæ sanctissimæ matris, & omnium discipulorum suorum dolores, ac vniuersæ martyrum omnium cruces, & cæterorum labores electorum: quæ vsq; ad finem mundi propter eum erant passuri, omnes enim animam suam transfixerunt.

Acerbitatem dolorum, ex suarum viuacitate potentiarum: excedunt enim omnem mensuram, qui fuerunt longe plures & maiores, quàm nos intelligere valemus.

Suam infinitam misericordiam ex parte nostri, & ex parte Dei tam copiosam redemptionem & satisfactionem.

O durissimum cor, quantum malum erit tibi in nouissimo tempore, si ad tot amoris insignia nequis frangi, & totum per amorem resolui: & tot vinculis allectiuis non potes à tua duritia euelli.

Agitata igitur frater conscientia tua per præmissam meditationem, verte ad Dominum oculum mentis tuæ procidens ante suos sanctissimos pedes: petensq; indulgentiam omnium peccatorum tuorum, & ingratitudinis, & frigiditatis hactenus à te habitarum: proponensq; de cætero calescere ad tantum amoris ignem, dices cum Propheta: Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea, scilicet propter ea quæ dicta sunt. Et sic prostratus non finas eum donec

donec benedicat tibi. cætera fiant ſicut in præcedentibus feriis.

DE MATERIA MEDITATIONIS *ſabbato poſt matutinalem ſynaxim.*

CAPVT XVII.

SAbbato in oratorio poſitus, ac crucis vexillo inſignitus ſpiritu ad interiora reuocato vt patuit feria ſecunda, forma tuas meditationes conſiderans maximos dolores Dominæ noſtræ hoc modo: Attende igitur quòd ſi eius filius cupis eſſe & eam tuam aduocatam, oportet te condolere ei, quæ omni tempore vitæ ſuæ fuit plena doloribus, anguſtiis, laboribus, & afflictionibus: tota quippe eius vita fuit quoddam doloroſum martyrium.

Attende quem habuit dolorem,

Cum vidit ſuum benedictum filium in præſepio vagientem, præ frigoris aſperitate, nil habens quo eum operiret.

Idem in crucifixione: & in eo quòd Symeon ei prædixit, quòd ſuam illius gladius animam eſſet transfixurus: In fuga Ægypti: In triduo illo quo eum quærens tandem inuenit in templo: in toto eius vitæ decurſu, videns eum fame & aliis inopiis vexari, neque valens ei ſubuenire.

Cum vidit eum ſæpè plorantem: cum quo ipſa lugebat.

Cum vidit eum ex itineribus fatigari, fame & ſiti cruciari: & docentem contemni, vilipendi, & blaſphemari: & ad comprehendendi obli-

obseruari, nunquid hæc non fuerunt ei immanissima martyria? reuera sic.

Cum toties audiebat eum de morte & passione sua loquentem: si enim Petro & aliis discipulis erat tam graue eum de passione sua loquentem, audire; quid putas dicendum de matre, quæ eum tam tenerrime diligebat?

Cum cognouit eum à Iuda fuisse venditum, à Iudæis comprehensum, & à discipulis derelictum.

Cum vidit de iudice ad iudicẽ trahi, & mortis sententia in eum data, crucem in humeris baiulare.

Attende quem habuit dolorem,

Cum vidit eum in cruce, & audiuit eum in ea loquentem transfixo corde doloris magnitudine sui dilectissimi filij: & in agonia positum vidit spirare. Et cum de cruce depositum in suis sacrosanctis vlnis est intuita mortuum, & tam dirè vulneratum. Et cùm cõspexit eum tumultuari, magnitudinem suorum tunc dolorũ non est lingua quæ possit depromere.

Manens in cœnaculo cum Ioanne & Mariis & aliis discipulis, qui postea superuenerunt, quomodo erant supra modum tristes, & afflicti propter mortem & passionem Domini die hesterna celebrata: & ac si ibi adesses, intuere diligenter quàm mœstum est videre quòd Domina mundi & principes diuini exercitus, sic sint reclusi in quadam domuncula, pleni timore, amaritudine, & dolore.

Cum ad inuicem loquebantur magnis fletibus, & singultibus;

Cum

Cum discipuli aderant pleni pudore & confusione, eo quòd eum dereliquerant: & præcipue Petrus qui eum negauerat: omnes percutientes pectora sua postulantes sibi à Domina veniam præstari.

Cum eos verbis consolatoriis consolabatur & confortabat dicens, Magister bonus & pastor fidelis discessit à nobis, & ecce mansimus sicut orphani: sed firmiter expecto nos citius eum rehabituros. Vos scitis quàm benignus est filius meus & quantum vos diligebat, non dubitetis quia bene reconciliabimini ei, & libenter remittet omnem offensam. Tantus autem per missione Patris fuit furoris impetus cõtra eum & ita prævaluit malorum audacia, quòd non potuissetis eum iuuare etiam existentes cum eo & ideo nolite turbari. Et quàm verecundè respondet Petrus dicens; Vere Domina ita est vt dicitis: nam & ego qui tantam de me ipso confidentiam habebam, tanto in atrio Cayphæ timore percussus, vt vix crederem me euadere posse; & eum negaui nec fui memor verborum quibus hoc prædixerat mihi, quousque me respexit.

Conscientia igitur frater tua per præcedentem meditationem stimulata cõuertere ad Dominum, petens ab eo veniam omnium peccatorum tuorũm quibus toties eũm negasti, quoties in eum deliquisti; & ad Dominam nostram cum omnibus aliis sanctis, sicut fuit præmissum.

QV

QVAE MEDITATVRVS EST EXERcitator die dominica expleto matutinorum officio.

CAPVT XVIII.

DOminica die postquam ad locum orationis assignatum accesseris, & te armis salutiferæ crucis munieris, reuoca ad te spiritum tuum eo modo quo superius fuit dictum: & forma meditationes tuas de cœlesti gloria hoc modo: In primis

CONTEMPLARE illum mirabilem locum scilicet cœlum empyreum sic appellatum propter suum admirabile lumen; hoc autem debes speculari per quasdam similitudines imaginarias à sanctis inuentas, vt hoc capere possimus.

Illum locum qui est sicut quædam magna ciuitas ex auro purissimo, gemmisq; preciosissimis mirabiliter constructa, singulæ eius portæ sunt ex singulis margaritis.

Quòd in ciuitate illa intrinsecus est campus speciosissimus omnium florum qui excogitari possunt, pulchritudine decoratus, ibi lilia, rosæ, &c. florum genera tam suauissimæ fragrantiæ, vt nullo linguæ officio explicari queat; quæ nunquam marcescunt. Ibi semper est amœnissima ætas, fragrantissima odorum suauitas.

Illuc æternarum delitiarum habitaculum penitus vnius moris, & absque vlla dissensione: in quo sancti æternaliter habitant, continens in se omen quod delectare potest.

Quantum illic erit gaudium semper videre beatissimam Trinitatem: in qua relucet omnis pulchritudinis, dulcedinis, & bonitatis exemplar, in qua visione omnia scibilia cognosces, omnia concupita possidebis, in ea enim beatus eris.

Quantum est gaudium quo ibi perfruuntur beati, gaudent enim feliciter in perfecta & praclara contemplatione diuinæ claritatis, & gaudẽt dulciter in fruitione sapidissima diuinę bonitatis, gaudent æternaliter in possessione securissima diuinæ maiestatis, non enim timent ea vnquam priuari.

Visionem humanitatis redemptoris nostri, quomodo ille qui quondam in hoc exilio vitus est pauper, humilis & abiectus, illic videbitur vt Deus altissimus & homo verus.

Gaudium quod ibi tibi erit ex consortio virginis Mariæ dominæ nostræ & omnium sanctorum, scilicet, Apostolorum, martyrum, virginũ & confessorum; ita enim de gaudiis eorum gaudebis sicut de propriis.

Dotes quibus corpus tuum beatificabitur, scilicet immortalitatem, impassibilitatem, agilitatem, & claritatem.

Dotes animæ scilicet plenitudinem scientiæ iustitiæ & lætitiæ.

Quam multa alia magna & ineffabilia ex his principalibus dotibus consequeris videlicet securitatem: vt iam non timeas eiici: neque ab qua tentatione vinci: quia nullam experie habebis summam libertatem, sanitatem, vo ptatem, amicitiam, honorem, & concordiæ

& breuiter omnia colligendo, habebis quicquid volueris, & quod nolueris non habebis. Vnde frater tua conscientia huiusmodi amoris stimulis agitata, dole vehementer te tuis sceleribus ab hoc tam mirifico tabernaculo elongasse: & tuos defectus recognoscens conuertere ad Dominum ex toto corde tuo dicens, O Domine trahe me post te; & curram in odorem vnguentorum tuorum: Et eodem modo orans conuertere ad Redemptorem nostrum & ad eius genitricem Dominam nostram; & post imploratio-nem suæ misericordiæ & gratiarum actionem, fac finem exercitij tui eodem modo quo diximus feria 2.

QVANTO EST TEMPORE MANENdum in præfata via purgatiua, & quomodo valet cognoscere quis se esse purgatum.

CAPVT XIX.

DIximus in superioribus de via purgatiua, per quam nouus Christi discipulus disponitur ad adeptionem optati finis, qui est gradatim ascendere ad vniendum animam cum Deo, quod est vera sapientia: & quòd oportet eum studiose in ea assuefieri. Vbi autem in hoc assuefactus fuerit exercitio scilicet per spatium vnius mensis vt dicit Henricus de Palma in sua mystica Theologia, progrediatur vlterius amorī cœlestium intendens. quod fit per exercitium secundæ viæ, quæ dicitur illuminatiua: eo quòd cor illuminat per morosam diuinorum beneficiorum

ciorum consideratione. Et quamuis sit magnus peccator, non vereatur à Domino petere sui amoris incendium: quia in hoc nulla est præsumptionis culpa. Cum enim præfatum temporis spatiũ Saluatoris pedes fuerit osculatus suorum amara recordatione peccatorum, digne potest accedere ad manuum oscula per diuinorum beneficiorum considerationem: quod tamen intelligendum est, si ita studiosam custodiam adhibuerit vitæ suę, quod nõ habeat aliquid iugiter purgandum. Et ad cognoscendum an sit purgatus, debet diligenter considerare, vtrum hæc tria fuerit adeptus; scilicet,

Strenuitatem, Seueritatem, Benignitatem } contra { Negligentiam. Concupiscentiam. Nequitiam.

His enim tribus habitis, conscientia fit bona, munda & recta. Et vt ista facilius valeant intelligi, ponendæ sunt hic earum diffinitiones, quas ponit Bonauentura in tractatu quodam, qui dicitur, Paruum bonum.

Strenuitas est quidam vigor animi excutiens omnem negligentiam, & disponens animam ad faciendum opera,

{ Vigilanter. Confidenter. Eleganter.

Seueritas est quidam vigor animi restringens omnem cõcupiscentiam, & habilitans animam ac feruentem reddens eam ad amorem; scilicet

{ Asperitatis. Paupertatis. Vilitatis.

Be

Benignitas est quidam dulcor animæ excludens omnem nequitiam scilicet omnem iracundiam, inuidiam, & accidiam, & habilitans animam ad

- Beneuolentiam.
- Tolerantiam.
- Internam lætitiam.

Et hic est finis & terminus viæ purgatiuæ secundum viam meditationis: nam omnis conscientia munda, læta est & iucunda. His tribus adeptis promptus est animus vt sursum tendat, & per ista cognoscere poterimus terminum nostræ purgationis.

SECVNDA PARS.

QVOD ACCEDENS AD EXERCITIam viæ illuminatiuæ, est prius purgandus & mundandus à suis peccatis per viam purgatiuam, vt splendores diuinæ lucis possit capere.

CAPVT XX.

HACTENVS diximus de via purgatiua per quam purgatur conscientia, quæ facilius in corde recolligi quam scripto vel verbo doceri potest, per quam immediate Dei seruus ad illuminatiuam ascensurus est: quæ ad illuminandum ordinatur secundum illud Prophetæ de viro iusto loquentis, Beatus vir cuius est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum, in loco quem posuit. Vbi est notandum quod per lachrymas &

gemitus viæ purgatiuæ mundatur anima à rubigine malorum operum ; & hinc immediate assurgit ad illustrationem per diuinæ lucis radios. Et hoc est conueniens ex parte recipientis, prout experientia videmus in materiali speculo : quod si erugine vel aliqua alia re fuerit maculatum, non clare apparet in eo facies in eo speculantis, sicut quando est bene tersum & politum. Anima autem speculo comparatur : quia si se perfecte consideraret, in seipsa cerneret illum cuius imago ipsa est. Cùm enim ab ea abstergitur quicquid in ea obscurum est, confestim eam illustrat ille spiritualis sol splendoribus suæ gratiæ & bonitatis. Et quod plus est, quemadmodum radius huius materialis solis percutit fenestram non retro cedens, sperans quando aperiatur ei, cui si aperitur, totam illuminat domum quæ prius tenebrescebat, sic verus iustitiæ sol cuius similitudinem gerit iste sol materialis, nihil aliud expectat immobiliter nostræ conscientiæ ianuam pulsans, nisi quod ei quoquo modo aperiamus & præstemus ingressum ad feliciter quiescendum in anima nostra, & sic anima spiritualiter illuminatur. Vnde cum anima nostra diuinis habet irradiari fulgoribus, oportet, vt eis proportionetur & conformetur scilicet vt mundetur prius per viam purgatiuam à tenebris & sordibus peccatorum, vt conformis effecta speculo immaculato illius increatæ lucis radios capere valeat. Et quia iam assignauimus exercitia in quibus post matutinalem synaxim secundum viam purgatiuã debes occupari, quæ ad præfatam animæ purga-

tionem

tionem ordinatur, reſtat dicendum de exercitiis viæ illuminatiuæ, ad quæ aptius tempus eſt poſt completorium, ſecundum quod dicit Bernardus, quod in hac hora debet religioſus examinare ſuam conſcientiam & pro beneficiis gratias agere.

QVOMODO AD TRANSEVNDVM AD *viam illuminatiuam exercitator debet ſuam conſcientiam examinare.*

CAPVT XXI.

EGreſſus à completorio non expedit tibi diu extra cellam demorari, aut per ſigna vel verba diſſolui. Vt enim dicit Bernardus, poſt completorium nō debet monachus loqui quouſq; finita ſit miſſa ſequentis diei, niſi ſit vrgens cauſſa. Supradicta igitur hora cellam ingreſſus flexis genibus vel ſupra pedes ſtans, poſtquam te crucis vexillo armaueris, attrahens ſpiritum & inuocans Spiritum ſanctum, dic ſequentem antiphonam: Veni ſancte Spiritus reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende. Et ſequatur Pſalmus, Deus in adiutorium meum intende, totus dicatur. Neſciens antiphonam & Pſalmum, dicat ter hunc verſum: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me feſtina. Poſt hæc tene tibi diligenter capitulum te examinans de

peccatis, { Negligentiæ. / Concupiſcentiæ. / Nequitiæ. }

ad quæ omnia alia poſſunt reduci.

Quantum ad negligentiam debes te examinare in 9.

Si negligens fueris illo die,

Cordis custodiendi: examinans te quid cogitaueris, dixeris, feceris.

Temporis expendendi:

Finis debiti intendendi, scilicet in omnibus operibus tuis: scilicet, Vtrum ea feceris principaliter ad honorem, & gloriam Dei: ad quam omnia sunt referenda.

In oratione: Quomodo illa die diurnum expleueris officium, an tepide vel deuote: vel si aliquam prætermiseris canonicam horam: vel aliquid de tuis solitis exercitiis.

In lectione.

In bonorum operum executione. In his enim tribus debes diligenter te exercere, & cordis tui agrum excolere, vt possit bonũ fructum dare in tempore suo. Et vnum horum sine alio non sufficit,

Ad dolendum de iniquitatibus.

Ad resistendum tentationibus.

Ad proficiendum in virtutibus.

Debes enim summopere

{ Deflere culpam commissam.
{ Repellere tentationem diabolicam.
{ Proficere de vna virtute in aliam.

Vt sic possis peruenire ad terram promissam. Nota bene ista nouem quæ diximus pertinere ad peccatum negligentiæ.

Circa concupiscentiam, debes cogitare si v-
uit in te

Con-

Concupiscentia voluptatis,
Concupiscentia curiositatis,
Concupiscentia vanitatis.

PRIMO cogitare debes concupiscentiam voluptatis, quæ tunc viuit in te, si fuerit in te,

appetitus { Dulcium, Mollium, Carnalium.

Hoc est si quæris

Cibaria saporosa,
Vestimenta delitiosa,
Oblectamenta luxuriosa.

Quæ omnia non solum est reprehensibile appetere cum consensu, sed etiam homo debet ea respuere primo motu.

SECVNDO, te debes examinare de concupiscentia curiositatis, si viuat vel si vixerit in te. hoc autem deprehenditur,

cum appetis { Scire occulta, Videre pulchra, Habere chara.

In omnibus his est vitium auaritiæ & curiositatis; hoc autem multum reprehensibile est in viro religioso.

TERTIO, te debes examinare de concupiscētia vanitatis, quæ tunc viuit in te, si habueris

appetitum { Fauoris, Laudis, Honoris.

Quæ omnia vana sunt, & hominem vanū reddunt: & ita fugienda sunt sicut concupiscentia mulierum. Et de omni tali debet conscientia

arguere cor tuum. Attende benè hæc quæ pertinent ad peccatum concupiſcentiæ.

Circa nequitiam debes te examinare, ſi in te viuit, vel aliquando vixerit: ſcilicet,

- Iracundia
- Inuidia
- Accidia

quæ faciunt hominem nequam.

PRIMO eſt cogitanda iracundiæ nequitia: quæ conſiſtit

in
- Animo,
- Signo,
- Verbo:

vel in
- Corde,
- Facie,
- Clamore:

vel in
- Affectu,
- Affatu,
- Effectu.

SECVNDO, cogitanda eſt nequitia inuidiæ: quæ in

aliena
- Proſperitate tabeſcit,
- Aduerſitate hilareſcit,
- Mendicitate refrigeſcit.

TERTIO, recogitanda eſt nequitia accidiæ: ex qua

oriũtur
- Suſpitiones malignæ,
- Cogitationes blaſphemæ,
- Detractiones iniquæ.

Omnis enim talis nequitia admodum detestanda eſt. Et hoc modo examinata conſcientia tua, ſi te culpabilẽ inueneris, compunge te ante Deum & ablue peccatorum tuorum ſordes; purificans lachry-

lachrymis conſcientiam tuam : ac ponens in corde tuo confiteri, ſi quid notabile repereris. Et attende iſtum modum examinandi prædictum quem ideo protraximus, vt in confeſsione peccatorum tuorum tibi ſeruiat. Non enim oportet te tam prolixe ſemper poſt completoriũ examinare; præcipuè ſi in tui cuſtodia peruigil fueris : quin potius breuiter te examinans quomodo diem illum expenderis, debes poſtulare tibi veniam à Deo, dicens generalem confeſsionem, & Pſalmum, De profundis, pro negligentijs. Et hinc tranſibis ad moroſam & diligentem diuinorum beneficiorum conſiderationem. In qua recordatione diuinis fulgoribus illuſtraberis, cumq; te illuſtrari cognoueris, ignito affectu gratias age. Et vt plenius & perfectius Dei beneficia recolere valeas, per ferias ea deſcribere volui, vt in ſequentibus apparebit.

DE VIA ILLVMINATIVA SECVNdum diuum Dionyſium.

CAPVT XXII.

PVrgata & terſa ad modum ſpeculi conſcientia vt ſupra diximus, tunc iam fit aptior & capacior diuini amoris, vt poſsit ſe transferre ad viam illuminatiuam, in qua incipit anima iam ſuum dilectum cognoſcere : in quem propter rubiginem peccatorum ſuorum aſpicere non poterat. Tunc autem anima ſe interrogat dicens : Quiſnam eſt dilectus meus ? Et ipſa reſpondet ſibi dicens : Ille qui tot & tanta mihi contulit bona : à cuius ſi poſsibile foret laudibus

bus nunquam ceſſare deberem, ſed ei ſemper gratias referre. Hanc viam illuminatiuam habuit Propheta cum in Pſalmo dicebat: Benedic anima mea Domino: & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto eius. Eſt tamen conſiderádum quòd non debemus principaliter Deum diligere propter eius beneficia, ſed propter ſuam immenſam bonitatem, & propter ſeipſum. Nam quemadmodum res non videtur propter lumen, tanquam propter finem, ſed tanquam medium per quod clarius videtur, ſic via illuminatiua appellatur illuminatiua, quia accendit, provocat, & illuminat hominem ad dilectionem Dei. Deinde dicit Bernardus: Tot bona contulit mihi Deus, quòd ſi ea attenderem, & ſi vnus ruſticus mihi ea præſtitiſſet, eum diligerem. Quid igitur rependam ſummo amatori de ſuis beneficijs? Reuera gratias referam & ea quamdiu potero recolere non laſſabor. Et ne diſcurras per diuerſas materias, & valeas moroſius diuina conſiderare beneficia, repetenda ſunt hic quæ diximus in directorio in meditationibus primæ, & tertiæ.

DE MODO, QVEM PER OMNES *hebdomadæ ferias ad animæ irradiationem religioſus debet habere in diuinorum beneficiorum recognitione, & pro eis gratiarum actione, ſecundum viam illuminatiuam.*

CAPVT XXIII.

FEria ſecunda poſt completorium diligenter conſide-

considera creationis beneficium, prædicens in vnoquoque sequentium articulorum, Gratias tibi ago supersumme Domine Deus meus,

Qui ab æterno me prædestinasti, & perpetua me charitate dilexisti.

Qui tempore quo tibi placuit, me creasti vnam creaturarum tuarum nobilissimam, scilicet hominem: non enim me fecisti lapidem, vel aliquid aliud huiusmodi.

Qui ex parte corporis dedisti mihi membrorum integritatem, complexionis bonitatem, sexus nobilitatem; liberans me à multis miserijs: faciensq; aptum ad tuum seruitium.

Qui ex parte animæ ad imaginem & similitudinem tuam me fecisti, eam tui capacem atq; immortalem faciens, necnon multis naturalibus viribus, & potentijs decorans.

Qui à tempore conceptionis in vtero matris meæ, mihi Angelum deputasti custodem: qui mihi innumera conferret beneficia.

Qui mihi parentes contulisti Christianos & me Christianum, non Iudæum, non Agarenum, aut Paganum, vel Infidelem fecisti, & in tempore fidei Christianæ.

Itaque vbi hoc recognitionis beneficiorum expleueris exercitium, & secundùm hanc viam illuminatiuam gratias egeris, impone finem tuo exercitio, cum ingenti reuerentia adorans & glorificans Deum, & dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. & Canticum: Benedicite omnia opera Domini Domino: vel, Te Deum laudamus. vel Psalmum: Lauda anima mea Dominum: & finito Psalmo dices; Sit nomen Domini

mini benedictum ex hoc nunc & vsque in seculum. Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat: Oremus.

Gratias ago tibi Domine sancte Pater omnipotens, æterne Deus; qui me dignatus es in hac die per tuam sanctam misericordiam custodire, concede mihi hanc noctem, mundo corde & corpore sic transire, quatenus mane tibi gratum seruitium exoluere possim. Per Christum Dominum nostrum. Itaque apponens circa te studiosam custodiam quiesce in lecto & iubilans in corde tuo dic,

O { Amator ardentissime, / Amor meus, / Gloria mea, / Pater meus, / Spes mea,

quando diligam filiali amore? Quando te ex totis visceribus meis amplexabor? Et si hæc verba ex viscerali amore iterum, & sæpè geminaueris, experientia disces quantum proficies; & ad quem gradum proueheris. & sic capies somnum prædictis, vel similibus verbis iubilans.

Attende autem diligenter quòd in hoc exercitio viæ illuminatiuæ non est festinanter meditandum, vt totum percurras, sed in singulis articulis demorandum, accendens amoris ignem animam tuam quousque in admirationem rapidigatur. Et si tempus orationi deputatum non sufficit nisi ad meditandum vnum solum articulum, non cures de alijs nisi vt cursim eos mente pertranseas: & ita concludes tuum exercitium.

Et hæc eadem regula obseruanda est in omnibus alijs exercitijs, non enim expedit vt totum exercitium meditando festines trãscurrere, sed si illius primordijs deuotionis, vel compunctionis gratia te Dominus visitauerit, claude te intra teipsum, & mane fixus conseruans in te illam gratiam & dilatans cor tuum in feruidis affectionibus: & circa hoc expende totum tempus orationi deputatum: nec te per alia dispergas. si enim vis vlterius procedere, siue vt totum expleas exercitium, vel alia quacunq; causa continuò gratia deuotionis vel compunctionis euanescet, nec poteris eam ad nutum rehabere. Et cum te amore & deuotione senseris ignitum, caue ne in fine exercitij facias prostrationes, vel accipias disciplinas.

Feria tertia post completorium de beneficio gratificationis.

Gratias ago tibi supersumme Domine Deus meus,

Qui me dignatus es gratificare in tuo dilectissimo filio, non parcens ei, sed illum pro me dans

in { Precium, Exemplum, Socium.

Qui dedisti mihi Spiritum sanctum,

in { Signum adoptionis, Priuilegium dilectionis, Annulum desponsationis.

Qui dedisti mihi sacramenta: primo dans mihi sanctam Ecclesiam in refugium: vbi saluari possem à diluuio peccatorum, sicut saluatus fuit Noë in arca.

Pro

Pro gratia baptismali, qua

- Deletur originalis culpa,
- Restituitur innocentia,
- Confertur iustitia.

Pro Sacramento confirmationis: cuius gratiã multi nõ sunt adepti. per quod multa mihi cõtulisti munera,& multa à me remouisti mala.

Qui ad ostendendum me gratificatum, & in tua gratia receptum,me tuo nomine vocasti scilicet Christianum,& hoc in tui memoriã constituens me filiũm & hæredem regni cœlorum. Itaque hoc exercitio huius feriæ consummato, cætera omnia facies prout dictum est in fine feriæ secundæ, secundum hanc viam illuminatiuam.

Feria quarta post completorium de beneficio vocationis,

Gratias tibi ago supersumme Domine Deus meus,

Qui post tam innumera beneficia à te recepta, te spreto per diuersa peccata ad creaturas conuersum tam patienter sustulisti, tamq; longanimiter expectasti: neque me damnare voluisti, neque me mori in tali statu permisisti.

Qui toties & tam multipliciter errantẽ multis modis me reuocasti,

modò
- Internis inspirationibus,
- Aliorum admonitionibus,
- Scripturarum exhortationibus,
- Tuorum beneficiorũ collationibus,
- Præmiorum promissionibus,
- Suppliciorum comminationibus,
- Necnon alijs modis pluribus.

Qui

Qui dignatus es auferre duritiam mentis meæ, dans virtutem voci tuæ & dans mihi bonam voluntatem : quæ est tuorum donorum præcipuum : & obstacula meæ conuersionis repulisti.

Qui quoties ad te volui conuerti paternaliter ad similitudinem illius filij prodigi Euangelici, gaudenter me recepisti, tuis amorosis amplexibus me constringens : meq; deosculans, ac mihi primam stolam & primũ annulum restituens.

Qui non solum me eduxisti de seculo, sed me adunasti consortio sancto & reformato, & custodisti me à conuentu non reformato dando mihi pœnitentię tempus, quod est valdè pretiosum ; & gratiam ad merendum : ac remittens mihi per professionem quasi per alterum baptisma, vniuersa delicta mea. Post hæc fiant cętera, sicut præmissum fuit in fine feriæ secundę.

Feria quinta post completorium de beneficio iustificationis.

Gratias tibi ago supersumme Domine Deus meus,

Qui dignatus es ita mutare voluntatem meam, vt opera pœnitentiæ, quæ mihi prius amara erant, essent mihi dulcia, & quæ mihi prius sapiebant, essent mihi insipida : dans mihi continentiam quod valde insigne est donum.

Qui dedisti mihi constantiam, & perseue-rantiam, sine qua fieri saluus potest nemo : cum tam multi cœperint & non perseuerauerint.

Qui ne in cœptis deficerem, mihi virtutem

dediſti: & ſpem veniæ, gratiæ, & gloriæ, de hac varietate conſolationum internarum me confidentem reddens, dansq; gratiam profectus per odium præteritorum malorum, & per deſiderium futurorum bonorum.

Qui ne in profectu laſſatus ſuccumberem, mihi menſam vbi reficerer, & educarer præparaſti: dans mihi Sacramentum pretioſiſſimi corporis & ſanguinis tui

in { Viaticum peregrinationis, Sacramentum communionis, Sacrificium redemptionis.

Qui vt plenus poſſem iuſtificari & mundari, mihi vniuerſa neceſſaria ſubminiſtraſti: dans mihi ſacram ſcripturam & ſanctos libros, velut quoddā ſpeculum in quo defectus meos valeam cernere, & affectus accendere.

Qui dediſti mihi ornamenta & exercitia virtutum, quibus turpitudinem peccatorum meorum cooperirem. Et ne in iuſtificatione deficerem vel tepeſcerem, propoſuiſti mihi ſanctorum exempla; quibus poſſem in bono informari & excitari. His peractis, facito omnia alia, ſicut feria ſecunda digeſsimus.

Feria ſexta poſt completorium de beneficio ſingularis dotationis,

Gratias tibi ago ſuperſumme Domine Deus meus,

Qui mihi dediſti

in bonis naturæ, { Senſum capacem, Memoriam tenacem,
in bonis fortunæ, { Fortitudinem: Pulchritudinem:

in bonis gratiæ { Purè credere, / Ardenter imitari.

Qui alia innumerabilia bona mihi contulisti. nam

me { Errantem reduxisti, / Ignorantem instruxisti, / Iacentem erexisti,

Qui mihi singularem meditandi, & interius me exercendi gratiam contulisti,

{ Illuminando intellectum, / Excitando affectum, / Cooperando affectum.

Qui non modo meum intellectum docuisti meditatione, sed quod potius est, affectum meum affecisti gustu & deuotione, & accendisti interna consolatione, dans mihi arram vitæ æternæ.

Qui ne supradictas gratias perderem, singulariter ne laberer custodisti,

{ Remouens occasiones ad peccandum, / Dans vires ad resistendum, / Sanans affectiones ad permanendum.

Qui si quando tentatione me superari permisisti, fortiorem me erexisti, præstans virtutem fortius resistendi, & ponens super me manum tuam: ne prorsus frangerer. Vbi hæc compleueris, adde ea quæ supra feria secunda posita sunt.

Sabbato post completorium de beneficio gubernationis.

Gratias tibi ago supersumme Dñe Deus meus, Qui in hoc esse hactenus me cõseruasti, dans

mihi augmentum quotidianum, præstansq; esse sanum & iocundum : cum ex me nihil sim.

Qui ab eunte pueritia vsque ad præsentem diem, tam solicitè à tot periculis, languoribus, hostibus, & ab alijs malis pluribus me eripuisti.

Qui ad meam sustentationem sufficienter mihi victum, & vestitum præstitisti.

Qui cætera omnia mihi necessaria ministrasti, dans domum ad manendum, cubile ad quiescendum, & nõ solum mihi necessaria impendisti, sed alia multa iocũnda & vtilia.

Qui non solum me gubernasti, sed etiam omnes alias creaturas propter me in suo esse cõseruasti, & direxisti : ministrans successionem temporum, producens diuersitatem fructuum ad tollendum fastidium.

Qui non modo me rexisti deducens me per prospera, sed etiam per aduersa : in quibus mihi multa impendisti bona, purgando delicta, augendo merita. Et quod plus est, quòd semper circa me ita es solicitè intendens, & intentus solicitus, ac si vacares à cæteris. Et semper mihi es præsens omnia opera mea prospiciens. Finito hoc exercitio, addantur cætera vt in feria secunda.

Die Dominica post completorium de beneficio glorificationis.

Gratias ago tibi supersumme Domine Deus meus,

Qui mihi gaudia Paradisi promisisti scilicet supra me diuinitatis fruitionem, redemptoris & matris eius visionem. O Domine quantum gaudium erit mihi videre Regem cœlorum in decor

decore suo, & Dominam meam virginem MARIAM totam deificatam & glorificatam : Circa me, frui sanctorum societate iocundissima, propter eorum qualitatem. sunt enim speciosissimi, nobilissimi, charitate plenissimi, & in numero plurimi. Intra me, stolam animæ & corporis ratione quadruplicis dotis : quæ illud decorabit, immortalitas illud circundabit : atque supra solem fulgebit. Extra me, locum amœnissimum, delitiosissimum; & omni quod delectare potest refertissimum;

scilicet, omni { Odore, Sapore, Candore, Altissimum, Spatiosissimum, Luminosissimum.

Qui alia plura gaudia mihi daturus es, vt promisisti : non enim tantummodo fruar his, quæ sunt supra me, iuxta me, & intra me; sed etiam his quæ sunt subtus me : cum prospexero me tam sæuos & terribiles tua gratia & virtute hostes deuicisse, & commissos reatus tua clementia defleuisse : & tam dolorosos cruciatus tua misericordia euasisse.

Propter alia multa bona, quæ mihi impensurus es : quæ

sunt { Tam multa, vt nequeant numerari. Tam magna, vt nequeant mensurari. Tam pretiosa, vt nequeant extimari.

Gaudens gaudebo itaque amotione omnium malorum, & impletione omnium desideriorum:

rum: omne habens quod cupiam & nihil habens quod odiam. Cætera explenda sunt sicut feria secunda.

Aduertendum quòd in qualibet prædictarum considerationum non cursim, sed morose debes habere, vt supra meminimus. Rursum vti debes in singulorum recordatione beneficiorum aliquibus punctis eleuatiuis ad intellectum eleuandum, & affectum inflammandum, qualia sunt,

O { Summa bonitas, Altissima, Incomprehensibilis maiestas:
O { Ardentissime amator, Suauissime inhabitator, Sanctissime sapor:
O { Rex præclarissime, Magister sapientissime, Nutritor sufficientissime:
O { Largissime creditor, Diligentissime custoditor;

quando tibi Domine dignè potero gratias agere

pro tot { Beneficijs, Donis, Misericordijs?

Et non tantum in his exercitijs viæ illuminatiuæ, huiusmodi punctis eleuatiuis, & affectiuis debes vti, sed etiam in alijs exercitijs.

Vtendum est præterea in cõsideratione prædictorum beneficiorum aliquibus sacræ scripturæ auctoritatibus ad eleuãdam mentẽ aptis, vt est illud, Benedictio, claritas, sapientia, gratiarum

tiarum actio, honor, virtus, & fortitudo Deo nostro in secula seculorum, Amen. & illud: Regi autem seculorum immortali, inuisibili, soli Deo honor & gloria in secula seculorum, Amen. & illud: Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius; & alia huiusmodi.

Considerandum quòd gratiarum actione in alijs quoque exercitijs vtendum est. Oratio enim si sit perfecta, tres debet habere partes: scilicet,

- Culpæ recognitionem,
- Misericordiæ implorationem,
- Gratiarum actionem.

Et à quolibet horum trium potes orationem inchoare; non enim necesse est semper incipere à defectuum consideratione: sed secundum statum animæ scilicet incipientes à consideratione suarum miseriarum, proficiẽtes ab actione gratiarum, perfecti vero ab affectionibus & suspirijs vnitiuis & amorosis: descendẽtes nonnunquam ad suas miserias intuendas, & ea quæ timorem ingerunt.

QVOMODO VIA ILLVMINATIVA EX multis partibus recipit radios suæ claritatis, & praciuè ab oratione Dominica: quam religiosus contemplari debet diligentissimè, affectuosissimè, & deuotissimè: vt incendio flammescat diuini amoris.

CAPVT XXIV.

SIcut à sole sidera radios recipiunt suæ lumi-

nositatis, sic via illuminatiua ab illo sole iusti. tiæ Redemptore nostro recipit splendorem suæ claritatis scilicet ab eius sanctissima vita, exemplo, & doctrina. Nam vita Saluatoris nihil aliud est, quàm quidam illius æternæ claritatis splendor, ad animarum illustrationem. Et ideo oportet si in spiritualibus cupis copiosè illuminari, te frequenter recolere vitam, exempla, & doctrinam Domini. Recipit quoque hac via illuminatiua, influentiam sui luminis ex vitis sanctorum Patrum: quæ nobis in exempla data sunt prudenter nobis imitanda. Recipit quoque hæc via influxum ab omnium creaturarum solicita consideratione; à sanctarum scripturarum assidua lectione; à diuini verbi crebra auditione; à continua & præcipuè Dominica oratione. Et vt intellectus tuus clarius valeat irradiari, & affectus ardentius inflammari, enodabimus hîc in sensu spirituali scilicet anagogico orationem Dominicam secundùm septem petitiones in ea contentas. Dicamus igitur

PATER noster, id est, ô Pater dulcissime, tu es qui spirituales generas filios, per seminis tui dulcissimi amoris in eorum corda diffusionē: qui eis præstat vitam. Igitur si ego Domine vere sum filius tuus, ostende quomodo te vero amore queam diligere, & ex totis præcordijs meis amplexari. Tu quidem Domine es Pater noster: & diffundis affluenter in omnibus te diligentibus bonitatem tuam. Si autem ego te vere diligerē, destillaret aliquid in me de largitate roris tuæ gratiæ & charitatis. O Domine da mi-

vt te toto ardore valeam diligere, si enim toto conamine te diligerem voluntatis, appareret in me tuæ largitas bonitatis. Et hoc modo potest intelligi quod sequitur in oratione Dominica scilicet anagogice. Itaque præcedente meditatione eo modo quo diximus, nostri amoris affectio paulatim exardescet. Nam sicut stupa madefacta in igne posita, primo exiccatur, deinde accenditur; sic & cor multo plus igneſcit & in Deum eleuatur per præcedentem meditationem. Et per hunc modum potest anima deuota dicere illud quod mox sequitur, QVIES in cœlis. O miserabilis anima mea quando ad similitudinem cœli efficeris clara & limpida & diuersitate virtutum sicut cœlum stellarum varietate adornaberis. Tunc pater optime cognoscam, quia tibi placet in me habitare, cum te ardentissimo amore amplexabor, & à peccatorũ meorum fæcibus per incendium tuæ dilectionis purgatus fuero. Tunc cognoscam te proculdubio, cum tua gratia obumbrabit mihi, & dignaberis venire ad inhabitandum templum animæ meæ à peccatis mundatæ.

Petitio prima.

Sequitur deinde: SANCTIFICETVR nomen tuum. O sanctissime Pater; tunc nomen tuum in nobis sanctificabitur, id est, cognitio nominis tui erit in nobis sine terra, hoc est sine omni carnali affectione & diligeris à nobis solus super omnia quæ in mundo sunt. Cum ego Domine hoc fuero assequutus, non habebit in me locum terra, quæ est carnale desiderium: tu

enim benignissime Pater per tuam gratiam & charitatem solum in me habitabis.

Secunda petitio.

ADVENIAT regnum tuum: heu me peccatorem nequissimum. quia sæpe fatagunt intrare & regnare in me cœnodoxia, voracitas, & carnis voluptas: ego vero Domine nollem vt in me quicquam regnaret, nisi tũ superoptime Pater, qui es in cœlis. Tunc autem in me verè regnabis, cùm te ardentissimè amauero. Quando igitur Domine te possidebo, & amorosæ charitatis vinculis amplexabor; vt tu solus in regno meæ voluntatis iniquitatum tenebris pleno incipias regnare?

Tertia petitio.

FIAT voluntas tua sicut in cœlo & in terra. Tua autem voluntas tunc in me primo fiet, cum ego miser & vermis totus terrenus consensero tuæ voluntati, quantum possibile est humanæ fragilitati sicut consentiunt illi beati spiritus: qui in cœlis facie ad faciem contemplantur tuam maiestatem. Veruntamen ô Deus meus dulcissime quid me faciet tuæ voluntati consentire, nisi feruor tui amoris, qui copulat contrarias voluntates, & diligentem te tibi conformat; & miro modo transformat de claritate in claritatem? Quando igitur te diligam ex toto corde ô bone Iesu Domine & redemptor mi? Quando tibi soli consentiam, nisi cum amoris glutino tibi soli adhæsero?

Quarta petitio.

PANEM nostrum quotidianum da nobis hodie

hodie. O panis Angelorum, quando de te dulciſsimo cibo ſaturari potero. Per te panem viuum qui de cœlo deſcendiſti, viuunt Angeli & ſpiritus beati in regno tuo; tibi Pater optime & redemptor ignitis amoris adhærentes deſideris. Vt ergo illo cibo quo in cœleſti gloria viuunt Angeli, in hac mortali vita ego valeam ſuſtentari, & vt menſæ tuæ æternæ beatitudinis epulas valeam deguſtare, ô Pater optime & æterne da mihi ſemper hunc panem: quia ſuperplenum inquietudine eſt cor meum, donec te pane viuo aliquatenus impleatur: qui de cœlo deſcendiſti; cum panis tui amoris ſit panis quotidianus: tanto enim auidius appetitur, quanto ardentius amatur.

Quinta petitio.

ET DIMITTE nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. O bone creditor dulcis Ieſu, & redemptor meus, quando & quomodo ſcire potero eſſe mihi dimiſſa peccata mea? Si ego te Domine verè diligerem, indubitanter per quendam in æternum ſaporem à te mihi dimiſſa eſſe ſcelera mea cognoſcerem, ſicut peccatum me conſtituit inimicum tibi, ita ſi amor me tibi conglutinaret, te ad indulgendum mihi delicta mea cogeret; ac gratum & acceptum coram oculis tuis faceret. Igitur Domine & Saluator mi, quando ego potero tibi per amorem conciliari? vt experientia dicere valeam, mihi dimiſſa eſſe peccata mea, & quòd tu conuerſus es in pium & manſuetum.

Sexta petitio.

ET NE nos inducas in tentationem. Et hoc peto Pater mi & creator de tua confidens bonitate, sperans me inseparabiliter tibi amore coaptari. Scio Domine, quia si post te amoris tui odor me currere compulerit, quòd tibi tanto copulabor vinculo, vt facile omnia contemnam, & tibi nunquam à te diuellendus adhæream. Quis mihi Domine auxilium præstabit, vt te inueniam & te solum inseparabiliter amplectar? nam tu solus es bonus & dulcis hospes animæ: & tu solus me potes tutum reddere, & ab omni aduersitate liberare.

Septima petitio.

SED LIBERA nos à malo: non solum à malo pœnæ infernalis, sed temporalis. Et non peto hoc chare & bone Pater vt tormenta fugiam, sed ne multo in purgatorio demorans tempore, à complemento mei desiderij impediar scilicet à visione tuæ maiestatis: quam sancti Angeli & animæ sanctæ semper cupiunt intueri. Si autem ego te vere diligerem, amor ille omnem peccatorum meorum reatum consumeret. Si ego te Domine vere diligerem, tui amoris incendium aduret mearum iniquitatum rubiginem: vt flammis ignitorum desideriorum purgatus, ad te spiritus meus sine aliqua mora in die volaret obitus mei. Quando igitur te Domine tam ardenter diligam, vt amor meus ab æternis suppliciis & diuortio tuæ visionis me liberare sufficiat? Tu Domine qui per nunquam terminanda secula viuis & regnas, hoc facturus es. Tu

Domine

Domine apud quem non est transmutatio, neque vicissitudinis obumbratio, potens es mihi in vtili seruo tuo sanctas impendere virtutes: qui beatos Angelos & sanctas animas satias. Tu es Domine sapientia increata, qui splendoris tui clarissimis radiis Angelos illustras; & omnes cœlestes ciues: tua enim virtus omnes viuificat creaturas. Adauge Domine amatores tuos & à terrenorum auelle amore: & eos ad tuam notitiam & amorem conuertens, ab omni auerte dispersione, & tuo regno & veritati cœlesti fac appropinquare. Tu enim Redemptor noster in templo claritatis æternæ veros congregas filios Israël: qui sparsim per bonorum terrenorum concupiscentias discurrunt. Vnde frater ora sic dicens, O bone Iesu dulcis & speciose, suauis & misericors, miserere omniũ peccatorum; quos precioso sanguine tuo, & tot & tantis doloribus redemisti. Qui viuis & regnas cùm Deo Patre, in vnitate Spiritus sancti Deus per omnia secula seculorum, Amen.

OSTENDIT MVLTIPLICITER *quàm vituperandus est, qui desidia deserit prædicta exercitia.*

CAPVT XXV.

SAnctus Abbas Effrem in tractatu de cõtemplatione, durè reprehendit eos qui diuinis seruitiis dedicati, & ad sanctam religionem vocati, quibus Dominus tantam quietem & opportunitatem ad vacandum spiritualibus exercitiis, & adhęrendum Deo per orationis & contempla-

templationis ſtudium contulit, inutilibus occupationibus, incuria, negligentia, & torpore non curant in eis exerceri, aduerſus quos tales adducit rationes: Primo, quia iſti non obediunt Dei præcepto: qui ait, Vacate & videte quoniam ego ſum Deus. Per hoc nobis inſinuans, quia circa hoc debemus nos ſingulariter intendere, occupari, & contemplari ſcilicet quoniam ipſe eſt Deus & Dominus qui ſummè diligendus eſt. Si igitur religioſus huiuſmodi exercitia ſpernit, clarè patet eum eſſe inobedientem, & prænemorati præcepti tranſgreſſorem.

Secunda eſt, quia ex hoc apparet quod religioſus modicum diligit Deum, & minus quàm quamcunque aliam rem, non implendo quæ ad ſuum habitum & religionem pertinent. Et cum Dei ſpecialis amicus & cultor nominetur, & ſacram Scripturam quæ eſt imago Dei iugiter legat vel audiat; & diuinum decantet officium, quod eſt cum Deo loqui, & quod hæc omnia non ſentiat monachus, magnum indicium eſt quod modicum diligit Deum, & modicam partem habet cum eo. Vnde bonum fuiſſet ei, ſi ad religionem non veniſſet.

Tertia eſt: quòd quanto iſti tepidius & negligentius Deum colunt, tanto ſunt minus certi de eius gratia, & quia eum non requirunt non oſtendit eis aliquod amoris ſignum. Vnde accidit vt ad eorum confuſionem ſæpe quibuſdam in ſeculo manentibus, & ſimplicibus, & idiotis maiora oſtendat amoris inſignia: quia fidelius & diligentius eum colunt, diligunt, & quærunt.

Quarta

Quarta ratio est, quia qui huiusmodi sunt per magna indicia manifestant in se parum boni esse, qui in altiori statu positi, pigriores, frigidiores, inutiliores & indeuotiores sunt his, qui in minori statu sunt constituti. Et ideo merito à Domino repelluntur, despiciuntur, & in aliorũ in humiliori statu degentium scandalũ dantur.

Quinta, quia dedit eis maiorem opportunitatem ad bene viuendum quàm cæteris omnibus, & eos à laboribus hominum elongauit, vt possent ei vacare. Et quia tempus ad Deo vacandum eis impensum viuentes delicatè, segniter, & negligenter expendunt, non est mirum, si eis Dominus non dat sentimentum sui, neque sui amoris gustum.

Sexta est, quia Deus constituit eos medios inter seipsum & populum, & vult vt comedant peccata populi, quod & faciunt, & hoc non obstante, ipsi non satagunt adhærere Deo per assiduam orationem, contemplationem, & bonorum operum exercitationem. Vnde fit vt per hunc contemptum eum prouocent contra seipsos: & sic indignos seipsos reddunt, vt sint mediatores inter Deum & populum; & ad recipiendum emolumenta, quæ ob hoc eis à populo impendantur.

Septima ratio, propter quam orationis & contemplationis exercitia religiosis sunt magis necessaria, est, quia eos faciunt in tentationibus fortiores, & à peccatis elongatiores, & aliorum exemplaria, & iustiores & ad corrigendum peccata aliorum feruentiores. Et propter omnes prædictas rationes hortatur præfa-

tus

tus sanctus Pater vt religiosus nisi sit occupatus ratione obedientiæ, relictis omnibus se tradat exercitiis orationis,& contemplationis. Itaque propter vitandam prolixitatem, prætermittimus hic plura alia documenta,quæ ad hanc materiam adduci potuissent Vnde dantes finem in hac via illuminatiua, dicamus de via vnitiua & perfecta.

TERTIA PARS.

QVID EST VIA VNITIVA, ET PERfectiua;& de conditionibus eius, qui ad eam cupit peruenire.

CAPVT XXVI.

DIXIMVS de via illuminatiua,quæ intellectum illuminat: & quomodo monachus poterit meditando ad finem optatum,qui est adhærere Deo, per amorem pertingere: tempus est vt tractemus de via vnitiua & perfectiua,quæ vnit animam cum Deo, & facit eam perfectam.Et hoc est secundum doctrinam Sanctorum, vt supra dictum est ad veram sapientiam peruenire.Diffinientes autem primo viam vnitiuam dicimus,quòd est illa qua quis bene purgat & illuminatus amorosè vnitur creatori suo,exultãdo de perfectionibus eius,illisti li placere desiderãs,libẽter & deuote nũc ipsum magnificat,nunc laudat, nunc admiratur;totus languet amore eius, vt possit dicere illud Cãticorũ: Anima mea liquefacta est,vt dilectus locutus est, & illud: Fulcite me floribus, stipate me mali

malis, nunciate dilecto, quia amore langueo. Et amor iste quo tuum quæris dilectum debet esse purissimus: scilicet principaliter propter suam bonitatem, secundum illud Psalm. Quid enim mihi est in cœlo & à te quid volui super terram? id est ego purè amo te, non propter dona cœlorum aut propter dona terrena, sed propter tuam summam bonitatem, propter teipsum. Vnde considerandum est, quòd per viam vnitiuam eleuat homo mentem suam in Deum, excludens omnes vanitates, id est omnia creata: & auertit affectum sui amoris ab omni creatura, conuertens illum ad suum creatorem: & proponit sibi illud; Vidi cuncta quæ erant sub sole, & ecce vniuersa vanitas. Fac igitur frater sicut auis in altum se eleuans; & si occurrunt muscæ non cures, sed pertranseas, dicendo: Ad solem tendo, id est, ad redemptorem meum Christum, qui est verus sol iustitiæ, qui solus est Sanctus, solus Dominus, solus Altissimus; & ideo nolo cor meum circa vanitates terrenas occupare.

Acquiritur autem hæc via per intimam recollectionem ab exterioribus ad interiora, ab infimis ad summa, à temporalibus ad æterna.

Rursum aduertendum quòd ad acquirendam hanc viam, primo requiritur quòd homo per virtuosam assuefactionem & gratiam sit in virtutibus radicatus, quòd nullam delectationem habeat in appetitu vanæ gloriæ, in cupiditate diuitiarum, in concupiscentia oculorum & gulæ.

Secundo requiritur internum silentium: vt

scilicet non occupet se monachus circa exterio-
ra, quid foris viderit, vel audierit, nihil curando
tanquam si in somnis occurrissent.

Tertio, quædam cum Deo amorosa vnitio:
vt omnia eius iudicia, omnia facta, omnes do-
ctrinas cum summa reuerentia amplectatur.

Quarto, quòd nihil aliud quærat, sed repu-
tet sibi illum dilectum sufficientissimum, su-
perexaltans eum in corde suo, diligat super om-
ne visibile, audibile, cogitabile, & imaginabile,
quia

totus { Amabilis.
Desiderabilis.
Fidelis.

Et est aduertendum quòd iste quem perfectè
cupis diligere,

non est { Visibilis, Audibilis, Odorabilis, Gustabilis, Tangibilis, Sensibilis, } sed totus desi-
derabilis.

Scias quoque quòd iste quem amando quæ-
ris,

non est { Terminabilis, Figurabilis, Numerabilis, Circumscriptibilis, Commutabilis, Imaginabilis, } sed totus desi-
derabilis.

Vlterius cogita quòd ille quem diligis,

{ Demonstrabilis,
Diffinibilis,

non

non est { Opinabilis, Æstimabilis, Inuestigabilis, Intelligibilis, } sed totus desiderabilis.

Quinto, quòd frequenter ad memoriam reducat diuinas perfectiones, & illis intimè congratuletur. Et quamuis Dei perfectiones innumeræ sint, tamen communiter tres occurrunt, in quibus tuum affectum excitare debes, sic dicens:

O DOMINE & dilecte mi congratulor tibi, quia tu es potentissimus, non quòd mihi in hoc bene sit quasi commodum meum principaliter quærens, sed quia illa est perfectio tua, quia nullum times, nullius indiges, nemo te superare potest, nemo valet tibi resistere, nullus dæmon, nullus aduersarius, & de hoc ego primo gaudeo.

Secundo Domine congratulor tibi, quia tu es sapientissimus, in te enim ipso clarissimè, & limpidissimè intueris vniuersa scilicet bona & mala, præterita, præsentia, & futura, actualia & possibilia, temporalia & æterna, mutabilia immutabiliter, contingentia infallibiliter; & hoc totum est perfectionis tuæ: quia sic nullus te decipere potest, quia nihil te latet.

Tertio cõgratulor tibi, quia tu es summè bonus, hoc est summæ perfectionis: quia immutabiliter es bonus, & ita bonus quòd quicquam te melius excogitari non potest: immo neque dignius, neque nobilius.

Quarto vtile est incipientem, habere aliqua puncta & verba, per quæ exprimat desiderium

ſuum affabiliter alloquendo Dominum in oratione, prout diximus in fine vię illuminatiuæ, & dicemus in praxi huius viæ capitulo ſequenti.

DE HIS, QVAE TOTA HEBDOMADA *poſt nocturnalem ſynaxim ſecundum viam vnitiuam meditaturus eſt deuotus monachus, vt ſex gradus poſſit aſcendere; quibus anima Deo adhæreat.*

CAPVT XXVII.

POſtquam ad locum orationi ſtatutum perueneris, primo Crucis ſacroſancto vexillo te munies, & recolligens ſpiritum, aſſumes perſonam filij vel ſponſę cum affectu amoroſo, & forma meditationem de perfectionibus & laudibus diuinis diſcendo in eis guſtare quàm dulcis eſt Dominus hoc modo:

Feria ſecunda, quomodo eſt fons ſiue principium & finis omnium rerum.

Feria tertia, quomodo eſt pulchritudo vniuerſi.

Feria quarta, quomodo eſt gloria mundi.

Feria quinta, quomodo totus eſt charitas.

Feria ſexta, quomodo eſt omnium regula.

Sabbato, quomodo eſt quietiſsimus gubernator.

Dominica, quomodo eſt ſufficiẽtiſsimus donator.

FERIA ſecunda debes morosè cogitare, quomodo Deus eſt auctor, hoc eſt alpha, & o, principium & finis omnium: de cuius arbitrio omnia

nia tam mortalia quàm immortalia pendent: & qui solus dedit vniuersis esse.

Quomodo ipse est qui facit, & reficit; creat, atq; creata gubernat: cuius idem est posse quod velle.

Quomodo Deus non potest cogitari non esse: quia si ipse non esset, nihil esset: & etiam quia à nullo alio habet esse, quin potius omne quod est, habet esse ab eo.

Quomodo nulla res est bonitatis suæ tam diffusiua, sicut ipse: bonum autem quanto communius, tanto melius.

Quomodo nihil est tam cito placabile, desiderabile, delectabile, & amabile sicut ille.

Quomodo Deus est caussa vniuersalissima omnium rerum, illa scilicet quam Philosophi naturali ratione ducti, cognouerunt esse primã caussam.

Quomodo ipse est à quo, & in quo, & per quem sunt omnia: & qui cœlum & terram implet, & eius virtute omnia subsistunt: & quòd est vbique: & quòd omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. qui non potest sentiri, neque videri, cum ipse vniuersa sentiat, videat, sciat, & nusquam desit. Cum igitur congratulando summæ bonitati tui dilecti, morosè in cordis tui intimis prædicta pertractaueris, forma orationem tuam suspiriis & ignitis affectionibus, mentem in Deum eleuans; & in corde tuo alloquens Dominum, dic amorosè.

O DOMINE, tu es amor meus, honor meus, spes mea, refugium meum, vita mea, finis

meus, dux meus, eruditor meus, gaudium meum. Non aliud quæro Domine, nihil aliud volo; nihil aliud mihi dicatur; nihil aliud mihi proponatur nisi tu Deus meus: quia tu es mihi sufficientissimus, tu es Pater meus, frater meus, nutritor meus, rector meus, custos meus, qui es

totus { Amabilis. Desiderabilis. Fidelis.

Quis tam liberalis qui seipsum det?

Quis tam charitatiuus, qui pro tam vili peccatore moriatur?

Quis tam humilis, qui maiestatem suam tantum humiliauit?

O DOMINE, qui nullum despicis, nullum quærentem te deseris: nullum horres, sed præuenis eum, & occurris quærenti: delitiæ enim tuæ esse cum filiis hominum.

Quid in me inueneristi nisi sordes peccatorum, & mecum vis esse vsque ad consummationem seculi? Nonne satis fuit te pro me mori, & dare tot Sacramenta, & Angelos custodes? Et his semper sum ingratus, sed & tu vis esse mecum. O amantissime Pater, tam bonus es quod teipsum negare non potes. Faciamus igitur cambium simul: tu intende mihi, & ego tibi; & sicut scis & vis fac mecum: quia tuus & non alterius esse volo. Da mihi Domine vt ego tibi soli intendam, te solum diligam, tuo semper amore ferueam: nihil aliud cupiam nisi te, & me totum tibi offeram, & oblatum nec aliquatenus repetam.

O ignis

O ignis me incendens, ô charitas me inflammans, ô lumen me illuminans; ô requies mea, ô refrigerium meum, ô spes mea, ô thesaure mi: ô vita mea, ô amor qui semper ardes, & nunquam extingueris.

O DOMINE Iesu Christe Rex meus, accende me igne amoris tui desiderij, tuæ charitatis, tuæ lætitiæ, tuæ pacis, tuæ pietatis, tuæ mansuetudinis; vt totus dulcore tui amoris plenus, totaliter compos flammæ tuæ charitatis, te dulcissimum & speciosissimum Dominum meum diligam ex toto corde meo, ex tota anima mea, ex omnibus viribus meis, ex tota intentione mea, ex tota contritione cordis mei, & lachrymarum compunctione, ex multa reuerentia, tremore, & timore: te semper habens in corde meo, ante oculos meos in omni loco, ita vt anima mea alicuius priuati amoris non sit accessus: sed transformatus totus in tuum amorem, merear tecum vnus spiritus esse.

Postquam autem auxilio diuinæ gratiæ, secundum prædictum modum per aliquod tempus fueris exercitatus, amorem adeptus, ascensis sex gradibus infra describendis, tunc sine aliqua præcedenti meditatione neque intellectus consideratione, poteris centies in die amorosè mentem in Deum leuare.

Et si quis ignorantia, vel simplicitate nescit se in præfata via exercere, in fidei virtute fundatus, doleat saltem de suis peccatis. Et si nescit in diuinis Scripturis meditari, conetur ex toto corde suo Deum amare, in suis orationibus frequentans verba quæ sequuntur;

O DOMINE, quando te potero amplexari certo & integro amore?

O amator ardentiſsime, quando te diligam filiali amore?

Et hoc faciens, quantumcunque ſit ſimplex, & illiteratus, ex dolore & compunctione peccatorum, quaſi quodam pedum oſculo & ex recordatione diuinorum beneficiorũ ſicut quodam manuum oſculo aſcendet ad oſculum oris ſcilicet ad effectum diuini amoris ſecundum illud quod Salomon ait in Canticis in perſona ſponſæ ſcilicet deuotæ animæ Redemptori ſuo deſponſatæ: Oſculetur me oſculo oris ſui. Et non eſt putandus ſuperbus, vel præſumptuoſus, qui hoc oſculum oris petit: cùm prius fuerit aſſuefactus & exercitatus in oſculis pedum & manuum per compunctionem peccatorum, & memoriam diuinorum beneficiorum, vt dictum fuit ſupra 19. cùm loqueremur de via purgatiua. Et hæc ſufficiant quo ad exercitium feriæ ſecundæ, quod quidem conſiſtit in ſuſpiriis amoroſis dilecti.

FERIA tertia veniens ad oratorium, ſignaculo ſacro ſanctæ Crucis conſignatus, aſſume perſonam filij cum amoroſo affectu, & forma meditationes hoc modo:

PRIMO intuere quomodo iſte tuus dilectus eſt decor vniuerſi, & vniuerſa decorauit.

Quomodo eſt ille, cuius pulchritudinem Sol & Luna mirantur, & in quem Angeli deſiderant proſpicere.

Quomodo ab iſto tuo dilecto habent decorẽ pulchri-

pulchritudinis sidera, rosæ, lilia, plantæ, & vniuersa creatura.

Quomodo ab illo habent aures decorē suauis melodiæ, philomelæ, alaudæ, & omnium auium genera, & organorum.

Quomodo ab illo habent dulcorem saporis, mel, vinum, & omnium pigmentariorum, & fructuum genera.

Quomodo ille decorauit cœlum sideribus, aërem volucribus, terram animalibus, aquam innumerabilium generum piscibus.

Quomodo ipse sustentat omnia: & si suam subtraheret sustentationem seu conseruationem, omnia in nihilum redigerentur.

Quomodo ipse est fons sapientiæ, à quo emanant omnes thesauri sapientiæ & scientiæ, ille enim est æterna sapientia, attingens à fine vsque ad finem fortiter, & disponens omnia suauiter.

Quomodo ipse est qui cœlorum continet thronum, & abyssos intuetur: montes ponderat in statera, terram palmo concludit, & posuit legem aquis ne transirent terminos suos.

Cum igitur lentè ista, super potentia & decore dilecti tui fueris contemplatus, ex intimis cordis forma orationem amore ignitus eo modo quo diximus feria secunda dicens: O Domine tu es amor meus, honor meus, spes mea, refugium meum, &c.

FERIA quarta ad locum orationis accedens, vbi tibi Crucis signaculum impresseris, &c. personam sponsæ assumens ingenti amoris affectu forma meditationem modo qui sequitur:

INSPICE quomodo iste quem amando quæris, est mundi gloria: quem adorant Angeli, adorant Archangeli, tremunt potestates, & cui omnia seruiunt.

Quomodo eum iure laudat omnis creatura: & ipse est spes nostra, salus nostra, honor noster, gloria nostra, finis & expectatio nostra.

Quomodo est abundantissimus: nam sua est terra, & plenitudo eius, & gloria & diuitiæ in domo eius, & quod si honoratur & diues dicitur qui habet aurum, quantum honorari deberet, qui fecit aurum & gemmas, & omnia qui sunt in vniuerso?

Quomodo iste tuus dilectus est incomprehensibilis. de eo enim dicitur; Magnus Dominus, & laudabilis nimis: & magnitudinis eius non est finis.

Quomodo est tantæ excellentiæ, vt suam altissimam celsitudinem nemo possit capere ad plenum: neque Angelus, immo neq; vlla creatura; quia omnis creatura est finita, dilectus autem tuus infinitus: finiti vero ad infinitum nulla est proportio.

Cumq; ista congratulans gloriæ & diuitiis tui dilecti morosè fueris meditatus, ex præcordijs amore plenis forma orationem, vt supra feria secunda dicens: O DOMINE tu es amor meus, &c.

VBI FERIA quinta ad orationis locũ peruenieris & Crucis sanctæ vexillo te insignieris, assumens personam, &c. vt supra cum ardenti amore forma meditationes hoc modo:

CONTEMPLARE quomodo iste quem diligis totus

totus est charitas: & qui manet in eo, manet in charitate; sicut natura ignis est ardere, incendere, & calefacere, sic proprietas charitatis eius est creare, & se largissime diffundere, ad amorem inflammare, accendere, saluare, redimere, custodire, liberare, illuminare.

Quomodo iste dilectus tuus est loco incircumscriptibilis, & tamen vbiq; est. nam si ascenderis in cœlum illic est: si descenderis in infernum, adest. de illo enim dicit Bernardus: Deus vbiq; regnat, vbiq; imperat, vbiq; maiestas eius omnia implet: nam in inferno exercet actū iustitiæ, dicere autem in absentia eius hoc fieri, perfidia est.

Quomodo iste dilectus tuus est merces Sanctorum, iubilus Angelorum, speculum omnium electorum, expectatio Patriarcharum, fundamentum Prophetarum, solamen Apostolorum, corona Martyrum, iubar Confessorum, gloria Virginum.

Cùm ergo ista charitati, & magnificentiæ dilecti tui congratulans demorando meditatus fueris, ora modo quo supra, dicens: O Domine tu es amor meus, & cætera.

FERIA sexta ad oratorium perueniens, postquam te sacræ Crucis armis munieris, accipiēs personam vt supra, cum affectu amoroso forma meditationem sic:

ANIMADVERTE quomodo iste quem cupis ardenter diligere, est regula & exemplar omnium. & quanto res est ei propinquior, tanto est nobilior.

Quomodo aliqua habent esse solum, aliqua esse

esse & viuere, & sunt nobiliora prioribus: aliqua esse, viuere, & discernere, & sunt secundum naturam vtrisq; nobiliora: aliqua præter hæc habent purum esse, & virtuosum esse. & sunt eis plus cæteris propinqua.

Quomodo per sinceriſsimam eius bonitatem, est in eo

omnis { Exemplaritas, Virtuositas, Communicabilitas.

Quomodo iste tuus dilectus est ordo siue ordinator vniuersorum, qui singula locat secundùm statum suum, & sua merita, sursum aut deorsum, sicut prudens pictor ponit colores: hic rubeum, illic nigrum, ibi fuluum, vt decoret opus suum.

Quomodo iste quem diligere concupiscis, est perfectiſsimus sine omni defectu; qui nullius indiget, quia est sibi sufficientiſsimus: quo melius, aut dignius, aut nobilius, aut perfectius quicquam neque est, neque potest excogitari.

Quomodo quicquid est laudabile, & perfectionis in creatura in positiuo, hoc est in eo in superlatiuo. Vbi autem hæc congratulando exemplaritati, ordinationi, & perfectioni tui dilecti demorans fueris contemplatus, affectu amoris igniti forma orationé eo modo quo dixímus feria secunda dicens: O Domine tu es amor meus, &c.

SABBATO vbi accesseris ad locum orationi deputatum, consignans te sacro sancto signaculo Crucis, ac assumens personam vt supra, cum affectu amoroso, forma sic meditationem:

Co-

CONSPICE primitus, quomodo iſte quem amas, eſt quietiſsimus, & perpetua mundum ratione gubernat: terrarum, cœliq; ſator eſt; ſtabilisq; manens dat cuncta mouens.

Quomodo eſt principium, rector, dux, ſemita, & terminus omnium.

Quomodo ipſe eſt finis, & requies tranquilla pijs, & immobilis, & immutabilis: quia vbiq; eſt. res autem dicitur moueri, quæ tendit ad locum vbi prius non fuit, immobilis autem quæ vbiq; eſt, & non habet quo tendat.

Quomodo eſt omnium creator: ipſe enim dixit: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos: & quòd anima quæ in ſuo dilecto radicata eſt ſicut in ſuo centro recreatur, & quieſcit: quæ verò non multis vanis phantaſmatibus inquietatur & fatigatur. Poſtquam hæc prædicta diligenter meditando in corde verſaueris tuo, vt valeas in corde aliquem percipere ſaporem congratulans quieti, ſtabilitati, & recreatiuæ virtuti tui dilecti, amoroſo affectu ora vt ſupra, dicens: O Domine amor meus tu es, &c.

DOMINICA die oratorium ingreſſus, & ſanctæ Crucis vexillo munitus aſſumensq; perſonam filij vel ſponſæ cum amoris affectu forma iſto modo meditationem tuam:

PRIMO cogita, quomodo iſte quem amans deſideras, eſt ſufficientiſsimus, & qui eum poſſidet, omnia poſsidet. & qui eum non habet mẽdicus eſt, & pauper. quia quicquid præter eum eſt, non reficit: & ſi reficit, non ſufficit: & ſi ad tempus ſufficit, non tamen in perpetuũ ſatiat,

quin

quin adhuc amplius quæratur. qui autem eum habet, saturatus est: quia secum finem suũ habet, & non aliud quod quærat.

Cogita quomodo iste tuus dilectus est super

omne { Visibile, Audibile, Gustabile, Odorabile, Tangibile, Sensibile.

Quomodo est altior: quia super

omne { Terminabile, Figurabile, Numerabile, Circumscriptibile, Commutabile, Imaginabile.

Quomodo est altissimus: est enim super

omne { Demonstrabile, Diffinibile, Opinabile, Inuestigabile, Extimabile, Intelligibile.

Est tamen totus amabilis, maximè laudabilis, & summe desiderabilis.

Quomodo iste tuus dilectus est thesaurus fidelis: & vbi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum. quicquid tibi auferatur, si ille in te permanserit, sufficit tibi. nam illic est illud vnum, quod dixit Marthæ esse necessarium.

Quomodo ille est summa complacentia nostra, & si totus mundus nos reprobat, si ille nos appro-

approbat, sufficit nobis: desiderium enim nostrum ipse est, & nostra sufficientia.

Quomodo est vita, à qua habent viuere omnia: in quo nos mouemur, viuimus, & sumus. de illo enim dicitur: Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.

Quomodo dilectus tuus dicitur Christus, id est, vnctus. nam est talis vnctio & salsa, quæ apposita vnicuiq; rei mundi, facit ipsam sapidam.

Quomodo in electis est sapor gratiæ, in damnatis sapor iustitiæ, & vindex iniquitatum.

Quomodo iste tuus dilectus est creator, gubernator, redemptor, iustificator, retributor, & glorificator. Exultans igitur in meditatione harum perfectionum dilecti tui & eis congratulans, liquefiat anima tua, & in pace in idipsum dormiat & requiescat: & dicat: Nolite suscitare dilectam donec ipsa velit, & prorumpam in eius laudibus. Et si digne eum laudare nequeã, de eo tamen non silebo; cum solum de eo gaudeam: ille enim est dulcissimus sapor, & qui eum gustat, victus ab eius sapore, mori poterit præ amore. Tu solus amans vnice dilecte mi pulcherrime: Vbi quæso vis manere? Vbi vis te quæram, qui totus es sapor & dulcedo? O dulcis hospes animæ, esto hospes meus, & ego tecum sine fine.

Cumq; ista congratulans sufficienti & fideli thesauro vitæ & vnctioni tui dilecti morosè meditatus fueris, ex intimis suspirijs & desiderijs eius forma orationem prout diximus feria secunda, dicens: O Domine tu es amor meus, &c.

QVO-

QVOMODO ANIMA NOSTRA PER *feruidum amorem, sine aliqua intellectus operatione erigitur in Deum.*

CAPVT XXVIII.

DIximus in superioribus quomodo intellectus noster per meditationem & laudationem diuinarum perfectionum erigitur in Deũ: & qualiter in anima nostra, per verba & desideria ignita ignis diuini amoris est accendendus: nunc tractandũ est, qualiter mens iam aliquantulum secundum formam suprapositam exercitata, eleuatur in Deum absque vlla intellectus actione & ei per feruidum amorem adhæret, quod sancti veram sapientiam nuncupant, vt enim dicit diuinus ille Dionysius: Sapientia ista est per ignorantiam cognita; eo quod nulla humana ratio intellectus vel notitia eleuat animã ad huiusmodi amorosam vnionem: sed est opus solius Dei, qui sine aliquo intellectus nostri officio dignatur sui sentimentum animæ communicare. Vnde hîc anima nostra, quo ad intelligere potius se habet passiuè & receptiuè quam actiuè: nam ibi sensus non habet locum, vbi sola regnat amoris affectio. De hac sapientia dicit beatus Iacobus, quod omne donũ perfectum de sursum est descendens, id est, à Deo. Ista est sapientia quæ tantum & tam sæpè commendatur in libro Sapientiæ. Et non gignitur in nobis hæc sapientia per studium intellectus, sicut scientiæ humanitus acquisitę, sed per exercitia internorum affectuum: de qua loquitur Propheta, cùm ait: Renuit cõsolari anima mea: memor

memor fui Dei & delectatus sum, & defecit spiritus meus: hoc est, quod anima quæ omnem humanam & carnalem delectationem à se repulerit, tactu diuinæ sapientiæ exhilaratur, & sursum eleuatur, & hic deficit. nam non sufficit linguæ exprimere officio, quod de suo hic sentit dilecto. Ad hanc sapientiam nunquam Philosophi peruenerunt, neque illi qui circa corporalia & phantasmata intellectum occupant. Et est super omnia dona nobis supernaturaliter infusa quantum ad modum eleuandi in Deum, scilicet per amorem, superiorem animæ portionem, neque enim in aliqua alia re anima tantum quiescit: neque adhuc in eo habens respectum ad aliquid commodi vel voluptatis, sed solum propter seipsum: qui solus est summè amabilis: quem quærit & petit & diligit duntaxat: quia sentit eum summè bonũ, immò ipsum summum bonum ab omni defectu & miseria elongatissimum. Et vt dicit quoque idem beatus Dionysius cap. 7. de Diuinis nominibus: Sapientia ista ita pertingit suum dilectum per amorẽ, quod non speculatur, vel considerat eum speculatiuè, vel subtiliter: quod quidem non mouet ad amorem. sicut si quis ad inuestigandum aliquas veritates subtiles, vehementer occupetur in materia de Trinitate, vel de Æterna Verbi generatione, aut de mundi creatione, in quibus patefit diuina potentia, non afficitur ad amorem; sed solummodo hæc sapientia studet illis considerationibus, quæ afficiant animã nostram, vt eleuetur & calescat ad amorem ardentem sui conditoris, sentiens eum absq; ali-

qua similitudine corporali, intelligens ineffabiliter. itaque supra naturæ cursum prius amatur quàm cognoscatur. Et qualiter per hanc Seraphicam sapientiam ametur & cognoscatur, hic experiri potest, dici non potest. nam cum hoc totum sit purè spirituale, nihil corporeum ad illud, aliquod adminiculum præstare potest, hoc enim Deus tantummodo per seipsum operatur. Vnde quilibet licet simplex & illiteratus qualis est vnus rusticus, vel vna simplex vetula, in hac sapiẽtia tam alta, potest repente fieri magnus discipulus, prout ei Dominus illam sapiẽtiam dignabitur communicare in magna vel parua quantitate, prout ad eam se præparauerit: si enim non se præparat faciens quod in se est, nunquam ad hanc sapientiam perueniet.

QVOD EXERCITATOR PLVS SENTIT & DILIGIT, QUÀM VIDET & INTELLIGIT.

CAPVT XXIX.

DAuid Propheta confirmat hanc sententiam, dicens: Gustate & videte quoniam suauis est Dominus. Vbi ostendit quòd deuotus quisque prius gustat Deum affectu per amorem, & deinde cognoscit intellectu quod interiori palato prægustauerit. Rursum patet hoc per hoc quod multi contemplatiui & deuoti plus amant, quàm intelligant, vel sciant. ficut patet de ignorantibus vel simplicibus, qui magnis scholasticis sunt deuotiores. Illi ergo tales maiorem habent amorem, & ad plura se extendit

dit in eis amor, quàm intelligentia naturalis, & per consequens aliquis est amor in eis: qui non est per intelligentiam vel cognitionem præuiam. Præexigit tamen talis amor lumen fidei, & præsentiam gratiæ & charitatis. secundùm enim quod ait Dionys. in principio libri de Mystica theologia, ista alta sapientia de qua loquimur, ista est sapientia, quod solũ est eius qui verus est Christianus, & amicus Dei. Vnde notandum quod quamuis amor iste detur deuotis personis sine hoc quod præexigatur aliqua cognitio præcedens, quia hic amor non firmatur in anima nisi per cognitionem fidei, quam de Deo habemus, tamen quia hæc gratia non ita omnibus copiosè confertur, ideo qui nouiter contemplationi vacare incipiunt, antequam ad perfectionem huius amoris perueniant, in quo omnis contemplatio finitur, oportet primitus speculationi & considerationi creaturarum, & diuinorum operum insistere: quemadmodum ei qui vult in altum ascendere opus est scala. Hoc insinuauit Propheta, cum dixit: In meditatione mea exardescet ignis: quasi dicat: Prius quam anima igne diuini amoris inflammetur, oportet vt præcedat aliqua creaturarum, & diuinorum operum cõsideratio: qua veluti quadam scala sursum feratur. In perfectis vero & exercitatis contemplatiuis absque vlla scala intelligentiæ vel considerationis speculatiuæ vel practicæ alicuius alterius rei, quæ non est Deus: & adhuc nulla de Deo præcedente speculatiua cogitatione, mox per ardorem amoris erigitur sursum superior animæ portio. Et quia aliquis

posset dicere quod Augustinus dicit, inuisa amare possumus, incognita vero minimè: dico quod secundùm quod dicunt sancti Doctores, Augustinus vult dicere, quod in omni contemplatione requiritur aliqua cognitio: & hoc verum est, iste autem tam altus amor de quo agitur, est totus circa Deum in quantum est summum bonum; & est speciale donum Dei: ita vt per nullum alium modum, neque ab alio quàm à DEO haberi possit. Et ideo amor iste præsupponit cognitionem DEI, quæ habetur per lumen fidei, quæ est virtus Theologica, & per consequens nobis infusa à solo DEO. & per nullam aliam viam gignitur in nobis talis amor, neque per aliquam cognitionem vel industriam aut artem humanam: sicut ille amor communis, qui naturaliter excitatur in nobis ex quadam naturali inclinatione animæ nostræ in rem amatam. Et ad clariorem præmissorum intelligentiam est notandum, quòd sicut contingit accedentem ad ignem prius sentire calorem ignis, quàm videat eius lumen, sic contemplatiuus perfectus prius sentit calorem diuini amoris, quàm cognoscat quod experitur, saltem in hac vita: nam in patria aliud erit: vbi anima nostra inseparabiliter vnietur cum illo æterno lumine gloriæ, quod est Deus. Ad istum amorem de quo loquimur, citius vel prius ascendit, qui sæpius suspirans & gemens in corde suo, dicit illud, quod supra diximus in meditatione & oratione secundæ feriæ hanc materiam tangente; O DOMINE quando te diligam? quando te fruar? quando te amplexabor?

xabor? quando intra me intuebor? & cætera. Qui huiusmodi est, citius eleuatur ad amandum, & feruenter desiderandum Deum, quàm si contemplaretur profunda arcana immensurabilis æternitatis, vel diuinarum processionum. qui enim huiusmodi speculationes in mente sua versat, vt sciat solum, & non vt igne diuini amoris igneſcat, parum proficit: nam amor est finis omnium cogitationum homine benè ordinato. Et quia hoc non fecerunt magni Philosophi, neque faciunt moderni Theologi, ideo quamuis sint magni speculatiui, sunt tamen elongati à Deo & ab omni deuotione, & amore, & timore Dei, in multis & magnis sceleribus inuoluti. De hac tam sublimi & tam glorioſa sapientia ait beatus Paulus: Quam nullus sapientum, scilicet Græcorum intelligere potuit. De qua etiam Corinthijs scribens, ait: Spiritus noster spiritui diuino vnitus, sentit quæ sunt eius, & hoc est sapientia quam loquimur inter perfectos. de illa quoque Redemptor noster dixit Apostolis ante ascensionem: Induemini virtute ex alto. Et hoc signatur cum ad altare induitur sacerdos: qui incipiens à capite vestit se amictu alba & casula: eo quòd ista sancta sapientia solum venit de sursum, neque quisquam alius eam docere potest, quàm DEVS.

DE EFFECTIBVS, QVOS GRADATIM iste amor vnitiuus & perfectiuus in anima operatur.

CAPVT XXX.

OPera siue effectus, quos iste diuinus amor & spiritus supernæ contemplationis, in mente deuota gradatim operatur, secundùm doctrinam Sanctorum sunt sex isti gradus,

Illuminatio,	Desiderium,
Inflammatio,	Saturitas,
Suauitas,	Raptus.

Et significantur per sex gradus, quibus Salomon ascendebat ad thronum, qui erat in alto positus: quia eodem modo Christus Iesus ascédit per eos in altiori portione animæ nostræ, quæ dicitur apex mentis: & illic residet, cum eam plena pace possidet.

PRIMVS gradus, vel effectus, quem iste supernus amor in anima contemplantis operatur, dicitur illuminatio: postquam enim illius igne seraphici amoris inflammatur, relinquit in ea quandam experimentalem Dei cognitionem: hic cognoscit anima Deum esse fontem totius bonitatis, nobilitatis, & speciositatis: & dignum omni honore, gloria, reuerentia, & laude. & ex comparatione ad ipsum, cognoscit seipsum esse miserabiliorem, viliorem, contemptibiliorem, & abominabiliorem quàm aliqua mortali lingua exprimi possit. Et comparans Deum ad seipsum, cognoscit nihilominus quanta sit eius dulcedo, & clementia: quia suæ sapientiæ tam inæstimabiles thesauros dignatur

gnatur in tam vili loco, scilicet sua abominabili conscientia, & anima peccatorum omnium spurcitijs plena reponere.

SECVNDVS fructus, siue gradus huius vnitiui amoris, quæ est in hac altissima contemplationis pars, vocatur Inflammatio. nam anima illuminata habens experientiam speciositatis, sublimitatis, & nobilitatis diuinæ manet in tantum inflammata eius ignito amore, vt nihil aliud cogitet, neque in alia re delectetur: neque cogitare vel loqui aliud vellet. Et tunc abhorret prorsus omnem carnis voluptatem vndecunque venientem.

TERTIVS effectus, siue gradus est quædam suauitas & delectatio. Vbi enim anima fuerit illuminata, & igne isto diuini amoris inflammata, oritur in ea quædam ineffabilis delectatio, omnes superans mundanas delectationes, sicut mellis dulcedo fellis amaritudinem. itaque modicum quid illius supernæ dulcedinis prævalet, & plus animam delectat quàm omnes mundi huius quæ fuerunt, & sunt futuræ carnales delectationes.

QVARTVS gradus dicitur esuries, vel desiderium: cum enim anima contemplantis sic illuminata, & delectata in Deo fuerit, sicut dictum est, desiderat ita vehementer per assiduum amorem & sentimentum Deo adhærere, quòd potius quæcunque tormentorum & pœnarum genera, in quibus ipse non offenderetur, eligeret, quam illis supernis delitijs, quas in suo dilecto expertus est ad horam carere. Et ideo omnis alia voluptas est sibi mors, & semper ma-

net in illo ardore & vehementi desiderio fruendi his delitijs, quas apud suum superabilem patrem & Dominum sensit.

QVINTVS gradus dicitur saturitas. tunc enim ita anima illis Dei sentimentis saturatur, vt nihil aliud quærat vel desideret: quin potius aliud habere vel possidere est sibi mors: tunc in ea sopiuntur vniuersa alia desideria, gaudia, & affectiones: & videtur sibi quòd fruitur Deo, & quòd fruens Deo, fruitur omnibus quæ sunt: & quòd sine illo nihil est: & quòd tenens eum est generalis regina super omne quod est, & esse potest.

Ex omnibus præmissis quinque gradibus, quos præfatus Seraphicus amor in mente veri contemplatiui operatur, procedit sextus, qui appellatur raptus seu excessus mentis: non quòd ille raptus requirat quòd homo videat aliquas visiones imaginarias, vel reales: sed requiritur quòd homo videat se illuminari, inflammari, recreari, eleuari per amorem in suum creatorem. ita quòd illud quod sentit & videt, non potest aliquibus verbis declarari ratione suæ sublimitatis, bonitatis, formositatis, puritatis, & nobilitatis. & ratio huius est, quia ille raptus, seu mentis excessus prouenit ex gratia Dei sua immensa bonitate, illã animã ita sursum ferre volentis; vt nulla alia res à Deo eã eleuare sufficiat: cum talis eleuatio omnẽ potentiã creatam transcendat. Et quia iste raptus est quid spirituale, ideo intellectus noster onere carnis prægrauatus non potest in eo diu permanere;

sed

sed quasi captiuus eleuatur, statim ad seipsum rediens. Habet se quoque intellectus noster in illo raptu, sicut oculus corporis intuens solis radios: qui non potest diu fixis obtutibus solem intueri; sed per modicum temporis aspicit: & mox non valens lucis solaris virtutem sustinere, clauditur: & iterum aperitur ad intuendum: & mox solis vigorem non sustinens, clauditur, simile accidit intellectui nostro in contemplatione solem iustitiæ intueri conanti. Rursum est similis sagittæ quæ sursum proiecta, statim deorsum descendit ratione suæ grauedinis ad descensum eam inclinantis. Et pisci extra aquam saltanti, & mox ad eam descendenti. Tale quid in proposito contingit.

Huic sexto gradui annectunt doctores hos duos sequentes:

Primus dicitur securitas: siquidem cum anima à suo sponso Christo Iesu experitur se tam ardenter amari, & sic illuminari, inflammari, delitiari, & rapi, concipit ab eo & in eo tantam securitatem, vt nulla huius mundi supplicia, vel corporis detrimenta, neque adhuc ipsam mortem dubitaret propter eum sustinere: & ex tunc nihil timet. Et tãtam habet fiduciã in æterna Dei bonitate, quam prægustauit & expertus est, vt non formidet ab ea vnquam seiungi: quin potius confidat proculdubio se cum eo in gloria æternaliter futurum. O quanta habitat omni tempore lætitia in tali anima, quæ illam æternam beatitudinem, quam infallibiliter sperat, hic iam præuidet & prægustat.

Secundus est plena tranquillitas, nam cum

animam huiusmodi nulla tribulatio neque damna corporis, neque metus terrere valeant, sequitur eam esse in plena pace & quiete, & tanta vt nullis verbis queat explicari. Vnde super hoc dicit Richardus in suis contemplationibus: O anima Christiana cum hunc Paradisum possis ascendere, & in hac vita permanere, vende omnia quæ possides & scis, & compara hanc gloriosam possessionem, nec cara tibi videatur: nam eius venditor Christus est, qui se offert vniuersis eam emere cupientibus.

Et est aduertendum, quòd in hac vita nullam prædictarum trium viarum supra expositarum, scilicet purgatiuam, illuminatiuam, & vnitiuam plene possumus perficere: sed nosipsos in illis exercentes, ascendimus ad puritatem cordis, & charitatem perfectam in hac vita possibilem.

In exercitio primæ viæ quærimus Deum: quē quamuis inueniamus, non tamen per feruentem charitatem.

In secunda via scilicet illuminatiua offerimus hostias & sacrificia laudis, & ardentium desideriorum, spe, & auiditate, ad æternam beatitudinem perueniendi.

In tertia via, scilicet vnitiua inuenimus illum, quem diligit & desiderat anima nostra.

In prima itaque via, mundanæ concupiscentiæ deseruntur. In secunda, mens illustratur: In tertia, iam quietata, quiescit in Deo. Nec putandum est quòd in præsenti vita omnino à concupiscentiis purgari queas, cum hoc beatus Paulus consequi nequiuerit, vt ait Augustinus: &

Tracta-

Tractatus; Beatus vir, neque valemus omnes nostras affectiones sursum erigere, quin quicquam earum terræ adhæreat, nam terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem, neque possumus ad tantam cordis munditiam hic venire: vt Deo incessanter per feruorem actualis amoris adhæreamus, quia quandiu in corpore viuimus, peregrinamur à Domino.

Hactenus exposuimus tres vias prædictas: & quomodo per eas si orationi & meditationi studiose vacaueris, poteris seriatim ad illud quod optas peruenire, scilicet ad vnionem illam cum Deo amorosam. Et ideo dantes finem huic viæ vnitiuæ, oportet vt nunc saltem breuiter tangamus, qualiter contemplando poteris ad illam seraphicam vnionem pertingere.

QVARTA PARS.

QVOD MAGNA LITERATVRA EST scientia, & non sapientia; & quòd contemplatiuis non est omnino necessaria.

CAPVT XXXI.

QVAMVIS multi sancti, & præclari Doctores subtiliter de contemplatione locuti fuerint: sicut beatus Gregorius in Moralibus: & beatus Bernardus super Cantica: & Richardus de sancto Victore in suo libro de Contemplatione; & multi alij, ad quorum tractatus eruditi recursum habere possunt: pro minus tamen eruditis tractabimus saltem breuiter de ipsa contemplatione: licet plura de ipsa in superio-

perioribus dixerimus. Et primo asserimus non esse necessariam contemplatiuo, scientiæ copiam. Quamuis enim multa scientia, & literatura, eruditioq; legis diuinæ ac sacræ Scripturæ, non modicum apicem contemplationis ascendere cupientibus conferat adminiculum, interdum tamen multum officit multis: non quidem ex se, sed ratione inflationis occasionaliter ex ea prouenientis. Nemo autem ad veram contemplationem scandere valet, nisi per scalam humilitatis, vt ait Apostolus: Si quis inter vos videtur sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat, vt sit sapiens, hoc est intellectum suum humiliando subiiciat, stultum se æstimans respectu diuinæ sapientiæ: vtpote non valens comprehendere Dei iudicia atque opera. Hinc est quòd in contemplationis adeptione iter ad eam perueniendi pluribus huius mundi sapientibus nil adeo intercluserit, quàm quòd se humiliare dedignati sunt, scilicet suum intellectum captiuando & subdendo arcanis redemptionis per Christum Iesum redemptorem nostrum patratæ, ac eius operibus tam humilibus exemplis quæ nobis reliquit. Attamen qui per hoc ostium tam humile & bassum non ingreditur, fur est & latro & frustra laborat, prout dicit Dominus: In vanitate sensus sui capite incedens leuato, id est, in magna intellectus sui & scientiæ suæ æstimatione, renuensq; humiliari & effici vt paruulus, nunquam per illam humilem ianuam valebit intrare: immo cespitans retroibit instar quorundam Domini nostri discipulorum: de quibus scriptum est, quòd abierunt retrorsum, cum eum intelli-

gere

gere non potuerunt. Quod etiam constat quibusdam contigisse viris doctissimis, qui vtinam tantam scientiæ copiam non acquisiuissent, sed potius in sua simplicitate sicut eorum matres absque literatura permansissent, non ratione scientiæ quæ ex se proficua est, & plurimum prodest bene ea vtenti humiliter & in Dei gratia: sed hoc prouenit ex superbiæ surreptione sicut dicit Apostolus, quia scientia inflat. Contingit etiam hoc secundum complexionum & personarum diuersitatem: experientia enim cognoscimus vinum optimum non parum nocere febricitantibus: ensem quoque furioso, si seipsum eo occidat. Videmus præterea ægris oculis odiosam esse lucem, quæ sanis est amabilis, dulcis, & delectabilis. Simile est de scientia: quæ cum sit bona in se, homini tamen indisposito, & moribus inordinato ea abutenti multum nocet.

QVI SVNT APTIORES AD CONtemplationem.

CAPVT XXXII.

SIcut ait beatus Gregorius Moralium sexto libro, sunt quidam naturaliter, aut ex complexione vel assuefactione adeo ad exteriora occupationesq; terrenas proni, vt ad contemplationem erigi non possint: ad vitam vero actiuam multum aptiores inueniuntur. Qui si contemplationi vacare conarentur, in magnos inciderent errores & blasphemias; eo quòd tanto deteriores cordis tumultus tolerant, quanto eis

eis libentius ad cogitationes vacat. Vnde tales circa opera vitæ actiuæ versari habent.

Alij autem mentem habent ita tranquillam & ociosam, vt si eos labor occupationis excipiat, in ipsa operis inchoatione succumbant: sed delectabiliter viuunt in consideratione operum Dei, vitæq; cœlestis. & hæc ruminantes ac tota humilitate de sua salute præmeditantes, quantum valent mentes suas ab exercitatione immoderati laboris abstrahant, sæpe enim qui Deum contemplari quieti poterant, occupationibus pressi ceciderunt. Et sic tales circa opera exteriora versantes, potius deficerent quàm proficerent. Sunt alij qui ex consuetudine, vel ex virtute contemplationis, vel ex excessiuo Dei amore, aut forte eis à suis progenitoribus ineſt, vt habeant mentem habilem: & quasi ambidextri valeant modo circa vnam, modo circa alteram vitam occupari: & tales decet esse Prælatos. Qui autem sunt de prima conditione, & statu scilicet illorum qui ratione complexionis vel consuetudinis sunt habiles ad exteriora, frequenter errant: si se profundis cogitationibus tradunt; operationibus, & occupationibus exterioribus derelictis. Accidit quoque, personas simplices & illiteratas esse de conditione secunda, & statu, & hi securè possunt degere in solitudine, & sæpe cogitare de sua salute sine alia terrena occupatione. Vnde manifeste apparet, quòd personæ simplices non sunt tanquam ineptæ à contemplatione repellendæ. Vidimus enim, & per experientiam videmus in sanctis Eremitis, & in aliquibus fœminis plus in Dei amore quosdam

per

per contemplationem profeciſſe, quàm plures magni clerici & religioſi literati proficiunt. Cuius rationem aſsignat Gerſon in ſuo monte cõtemplationis: quia iſta vita contemplatiua melius acquiritur per bonam & ſimplicem humilitatem, quàm per magnam literaturam, ſicut dicit Salomon de Dei ſapientia, quòd ipſa graditur cum ſimplicibus, & cum eis eſt ſermocinatio eius. Et ideo in alio loco nobis præcipitur: Quærite Deum in ſimplicitate cordis: quia ipſe eſt ſimpliciſsimus, & inuenitur per ſimplicitatem.

DE DIFFERENTIA INTER SCIentiam, & ſapientiam.

CAPVT XXXIII.

MAgnam differentiam aſsignant Doctores inter ſapientiam & ſcientiam: & præcipue beatus Bernardus: quia ſcientia conuenit intellectui & ipſi ſoli: ſed ſapientia pertinet ad affectum. Et ideo ſecundum nominis Etymologiam, ſapientia interpretatur quaſi ſapida ſcientia: qui ſapor pertinet ad affectionem, deſiderium, appetitum, & voluntatem illius perſonæ cui ſapientia ineſt. Et idcirco poteſt eſſe in aliquo magna ſcientia vel cognitio: in quo erit modica, vel nulla ſapientia. Ratio huius eſt, vt dicit Gerſon: quia non habet ſaporem, vel affectionem ad illud quod ſcit. Et declarat hoc per aliqua exempla. Poteſt quis cognoſcere naturam mellis, quia forte audiuit aliquando de ea loquentes alios, vel in aliquo libro legit, ſine hoc quod aliquando mellis dulcorem deguſtauerit. Rurſum

sum medici sciunt languorum naturam, & frequenter melius quã idem languidus: sed quantum ad doloris sensum, manifestum est ipsos ægros melius scire ægritudines non per rationem scientiæ, sed ratione experientiæ. Simili modo potest quis habere maximam notitiam alicuius personæ, sine hoc quòd habeat magnam affectionem amoris vel odij, complacentiæ vel displicentiæ ad illam. Et ex alia parte potest quis multum affici, amore vel complacentia, erga aliquam personam absque eius magna cognitione. Secundum ergo prædicta possumus videre, quomodo in aliquo potest esse magna sapientia sine multa scientia: & magna scientia, sine multa sapientia. Ex prædictis claret quantum distant ad vacandum cõtemplationi deuoti simplices, & illiterati; & literati indeuoti.

QVOMODO VITA CONTEMPLATIua debet incipere à labore actiuæ.

CAPVT XXXIIII.

PRimus gradus pertinens ad statum incipientium & imperfectorum, est humilis confessio pœnitentia mediante: qua quis in se amorem mundi cum prauis concupiscentiis mortificat ac motus illicitos, & prauas consuetudines. huius est carnem castigare & domare, ne rationi rebellet, sed ei subiiciatur, & hoc facit per ieiunia, vigilias, abstinentiam, afflictiones, lachrymas, gemitus, & assidua suspiria, & per laborem corporalem à Prælatis iniunctum. Qui ante talem pœnitentiam, vel sine huiusmodi labore & exercitio

exercitio, repente vellet vti perfecta, & contemplatiua vita, hic seipsum seduceret: & esset sicut qui vellet montem excelsum, vnico saltu ascendere. Et ideo dicit beatus Gregorius,& alij Sancti,quòd vita actiua quæ sita est in laboribus & afflictionibus corporalibus,debet assumi ante contemplatiuam, tanquam aptans viam pro illa. Quod figuratum fuit in Iacob, qui seruiuit septem annis pro Rachael typum gerente vitæ contemplatiuæ, prius tamen supposita est ei Lya eius soror vitam actiuam designans. Ex quo notatur secundùm Gersonem,iuuenes carnalibus adhuc tentationibus & vitiis plenos, magnos quoque peccatores, qui multum temporis vitæ suæ male expenderunt,non posse,neque debere mox se omnino tradere vitæ contemplatiuæ, cum enim crederent se cogitare de Deo, & in loco secreto puras habere orationes, citius ipsi tunc & abundantius cogitarent ea,ad quæ ex suis malis inclinationibus afficerentur; & sic peiores efficerentur. Vnde & Seneca dissuadet,ne quis solus longo tempore degat. Et eadem ratione omnes sancti & Philosophi ociositatem damnant. Nihilominus ipsemet Seneca, & sancti laudant solitudinem & ociositatem contemplationis in exercitatis ad liberius seruiendum Deo: sicut fecerunt sancti Eremitæ, & alij multi deuoti viri.

QVOD NON OMNES DEBENT IMITARI gratiam singularem in solitudine habitandi, quibusdam diuinitus exhibitam.

CAPVT XXXV.

QVibusdam Dei speciali munere exhibitum fuit, vt in iuuentute sua solitudini & solitariæ habitationi seipsos traderent. Quemadmodum beatus Benedictus legitur fecisse; ipse tamen in regula sua illud non consulit, sicut etiam faciunt alij Eremitæ & Doctores, persuadentes ne quis audeat attentare illud, & aggredi: quia gratia singularis alicui data non est omnino trahenda ad consequentiã, seu non omnibus est imitanda. Et qui quandoque oppositum ausi sunt facere, scilicet quærere solitudinem & Eremi ociositatem absque præcedente labore, & præuia instructione ac consuetudine conuersationis inter societatem, miserabiliter sunt defraudati. Rationem assignat præfatus Gerson dicens: Volare enim conati sunt antequam essent alati, & congredi bellum cum hoste immanissimo, priusquam alios minores debellassent aduersarios, scilicet mundum, & carnem. Et ideo dicit ipse quòd non habet magnam fiduciam in quosdam nostri temporis Eremitas se dicentes magnum afferre profectum sibiipsis: quod & sentiendum putat de fœminis in recluforiis positis. Qui etiam scribens sororibus suis dicit: Scitis vosipsæ sorores meæ dilectæ quam necessitatem sustinuistis vsque huc esse in labore magno & forti, adhuc ex vobis aliquæ tali indigent,

indigent, antequam potuissetis vos tenere in secreto & solitarias, & vos tradere omnino ad cogitandum de Deo in similitudine Eremitarum & reclusarum. Habemus enim & reclusorium non solum in nemoribus, locisqúe desertis positum, sed vbicunque possunt haberi vel exerceri tales loci ad declinandum mundum seu euitandum eius tumultum cum omnibus suis occupationibus & solicitudinibus. Propter hoc videmus in religionibus bene ordinatis, nouitios & incipientes oneratos fortiter in addiscendo, magnum habere seruitium in laboribus, & vigiliis, ieiuniis, & clamoribus, & canticis ad remouendum per ista cogitationes, quas circa alia solitarij existentes possent habere, sed tamen aliqui bene experti in talibus pœnitentiis & scientes tentationes & cogitationes prauas deuincere, possunt diutius demorari in solitudine etiam absque labore. Vnde contingit aliquos esse tam fortis complexionis, ad vincendum domandumqúe cum labore tentationes suas quòd inhabiles sunt ad perfectionem contemplationis: sed oportet eos assidue occupari laboribus vitæ actiuæ: & multi reperiuntur tales. E contrario est inueniri quosdam, quibus ipsa vita actiua est graue onus & mirabiliter per eam impediuntur. Etiam accidit vt aliquis sit talis & tam bene in sua naturali complexione ordinatus, vel etiam ex speciali Dei gratia, quòd plus vna die proficiet vacans contemplationi quàm alius proficiet per spatium vnius anni. Verumtamen non intendo quòd quis ita vni vitæ studeat, quòd ali-

quando non intendat alteri, vel plus vel minus secundum tempus, prout sibi vtilius viderit expedire. non enim adeo se totum debet tradere vitæ actiuæ, quòd aliquando non habeat cogitare aliquid de Deo & de sua conscientia, scilicet ad confitendum peccata sua & pœnitendum. E contrario non sit ita totus vacans contemplationi, quin aliquando oporteat eum laborare. Vnde semper in vna & eadem persona oportet reperiri Martham cum Maria, & Mariam cum Martha plus vel minus, sicut diximus, talis tamen ab illa vita denominabitur, cui plus incubuerit.

QVOD DIVINVS AMOR EST *principium & finis vitæ contemplatiuæ.*

CAPVT XXXVI.

RAdix & principium vitæ contemplatiuæ, debet esse amor Dei: id est, quòd propter eum vita deseratur mundialis, omnesque solicitudines & occupationes exteriores homo fugiat, vt se totum tradat Deo. Qui autem oppositum facit, seipsum decipit: & sæpe non perueniet ad laudabilem finem, nisi per pœnitentiam se emendatum reddiderit. Quales sunt multi religionem intrantes, vel literarum studio intendentes, non ex Dei amore, sed ex desidia simulatè laborem fugiunt mundi: vel vt habeant vnde viuant, vel ex vanitate & superbia cupientes magnos & deuotos religiosos reputari, vel ex curiositate solummodo scilicet vt sciant:

ant: cuiusmodi magni fuerunt Philosophi. Amor quoque Dei debet esse contemplationis finis: & hoc est quòd eius amore & dilectione satagat homo de bono in melius proficere, & ab omni alio negocio & occupatione segregari terrena, tali scilicet quæ sit notabiliter contemplationis impeditiua. Neque enim nescius sum, quòd ad vacandum contemplationi, & ad pigritiam & inordinatam tristitiam propulsandam, interdum necessaria & admodum proficua est modica & moderata occupatio. Diuinum amorem esse finem contemplationis testatur Apostolus, cum ait: Plenitudo legis est dilectio. Vnde in lege diuina quæ sapientia vel Theologia nuncupatur, ille debet æstimari excellentior magister & Doctor, qui Deum plus amat: ille namque vitam perfectiorem & nobiliorem statum sortitur, qui Deum ardentius, & rectius diligit. Et quia vita contemplatiua in exercitatis, aptior est ad diligendum Deum, eo quod est sicut quædam schola vel gymnasium, vbi citius & facilius ista ars diuini amoris acquiritur: ideo vita ista plus approbatur, & commendatur in sacra Scriptura & à sanctis Doctoribus; & præcipue à vero Deo amoris Christo Iesu, qui hanc protulit sententiam: Maria optimam partem elegit. Et quæ est ista pars optima? Reuera ista scilicet quòd illa sedebat secus pedes Domini, & audiebat verbum illius: & audiens eius amore inflammabatur. Notandum tamen est quòd frequenter quis in sua vita actiua plus diligit Deum, quàm alius in sua contemplatiua: & talis est perfectior, licet sit in im-

perfectiori & humiliori ſtatu quàm contemplatiuus: & vita actiua illius perfectior erit contemplatiua alterius, quamuis ex ſe ſit in ſtatu imperfectiori. Vnde patet illos ſeduci qui putant finem vitæ contemplatiuæ eſſe duntaxat ſcire vel acquirere nouas veritates: quinimmo præcipuus finis illius eſt amare Deum & guſtare quàm bonus & ſuauis eſt. Eſto quod ille ſapor vel guſtus ſeu ſpirituale ſentimentum forte poteſt dici quidam cognitionis modus: quia amor ipſe notitia eſt, ſicut dicit beatus Gregorius. Quæ tamen cognitio eſt talis, & tam occulta, vt à nemine niſi qui ea fruitur, dignoſci queat: quia per ſermocinationem, vel doctrinam nequaquam oſtendi, ſeu explicari poteſt, ſicut conſueuit dici de aliquo graui languore, quod nemo illius dolore ita vehementer afficitur, ſicut ipſe patiens.

IN QVO CONSISTAT PERFECTIO vitæ contemplatiuæ per ſimilitudinem mundani amoris.

CAPVT XXXVII.

DEclarare conuenit aliquatenus antequam vlterius procedamus, in quo perfectio cõſiſtat vitæ contemplatiuæ. Quamuis autem in præcedenti capitulo, diximus, Dei amorem finem eſſe vitæ contemplatiuæ nihilominus tamen, vt dicit Gerſon ita poteſt dici, quod ad illum finem, ſcilicet Dei amorem, omnia opera noſtra referenda ſunt. Qua de cauſſa volo aliquas conditiones ponere vitæ contemplatiuæ: non quidem quòd ego has ſufficienter cognoſcam:

scam: quin potius de his loquor sicut cæcus de coloribus, referens ea quæ sancti nobis in suis libris tradiderunt: alia expertioribus in hac materia relinquens. Et vt facilius apprehendere valeamus, qualis debet esse amor Dei, cui perfectio vitæ contemplatiuæ conuenit, volo hoc per eius cõtrarium enodare, scilicet, per amorem mundanum: eo quòd illum longe melius & famularius quam diuinũ cognoscimus, & experimur. Cõsideremus igitur quid operatur amor mundi in homine profundè in eo posito, sicut est amor argenti, auri, honoris, dignitatis, vel prauæ carnalitatis. Certum est quòd in tali amore homo primo languet præ auiditate consequendi illud, quod singulariter (licet stulte) diligit. Deinde ita mentem suam & totum cor suum & intellectum in re amata apponit, vt nil aliud nisi illam cogitare queat. Itaque sui ipsius obliuiscitur, omnem deponit pudorem, & nihil est, quod continere vel abstrahere eum à re amata valeat, neque labor, neque vexatio, neque periculum, neque mors, neque amicorum consilium, neq; timor Dei vel diuinorum iudiciorum. Si dormiat, rem amatam somniat, si vigilet, nil aliud curat audire, neque loqui, adeo vt vsum rationis amittat, & fiat sicut amens, aut ebrius siue furibundus. Nihil est, quod huiusmodi hominem à tali amore amouere possit: neque quod ipse formidaret vel recusaret facere, dum tamen illud posset obtinere, cuius amore stulto & mundano ita ardet & vulneratur. Obliuiscitur ad huc omnia bona tam præsentis quam futurę vitæ. Vnde si quando quisquam de paradiso quic-

quã fortè loquatur, aut de inferno, seu de morte, videtur ei quoddam esse somnium aut fabula. Neque adhuc ad modicum temporis huiusmodi spiritualem cogitationem intra se retinet vel recipit: eo quòd amor carnalis, vel mundanus citissime eam inde repellit.

QVALIS DEBEAT ESSE AMOR DEI, quem contemplatiuus debet habere.

CAPVT XXXVIII.

SEcundum præmissum exemplum considerem pariformiter, quòd amor Dei esset in aliquo tantus, & talis, vt eum faceret penitus mundum contendere, & illius obliuisci; sicut mundi amor facit obliuisci Dei: & quòd esset adeo ardens & fortis sicq; radicatus in corde, vt nequiret & nesciret sponte neque libere aliunde cogitare: neque metueret vilipensionem & opprobria, seu increpationes & persecutiones, nec adhuc ipsam mortem præ ardore diuini amoris: atque omnia quæ mundi sunt visa, audita, & ad memoriam reducta, viderentur ei quoddam somnium & fabula esse propter diuinum honorem & gloriam, ea omnia vilipendens, & breuiter mundi iudicio tanquam demens & ebrius æstimaretur, eo quod ea quæ mundi sunt, spernit: vilius ea æstimans quàm quæ Dei & paradisi sunt, mundano absorpti amore extimant. Tunc ego dico, quod iste talis esset amor Dei perfectus. Ad quem toto conatu verus contemplatiuus, conari debet ascendere per suam contemplationem. Et in tali statu amoris existens, merito dicendus esset mortuus mundo, & crũci-

crucifixus: eo quòd nihil eius eum detinere valet: & viueret Deo, dormiret vanitatibus huius seculi; & bonis æternis vigilaret, ad vniuersa quæ per homines mundanos fiunt: corporis oculos haberet obtrusos & sopitos, sed ad sanctorum gaudia patulos. Et hoc est quod sancti Doctores asseuerant figurari per Moysem: qui volens cum Deo sermonem habere, ingressus est caliginem: per hoc insinuans, qui ad diuini amoris perfectionem peruenire cupit, intrare oportere obliuionem mundialiũ rerum, cuius typum illa caligo gerebat: vt scilicet neque videat, neque intendat, neque afficiatur ad eas. Sed qualiter hunc Dei amorem, qualem descripsimus, acquirere valeamus, aliqualiter ostendamus. Iste quippe est finis vitæ contemplatiuæ; & qui ad istum peruenerit amorem, qui huiusmodi est, verticem attigit montis: vbi cum tribus discipulis Christus transfiguratus est. Ille loquitur Deo in figura Moysi quando legem accepit: iste talis rapitur in spiritu, vel potius supra spiritum: huius cõuersatio in cœlis est, iste talis amore viuit: & feliciter & delectabiliter graditur sine aliqua fumi vel caliginis obscuritate. Verumtamen fratres, proh dolor, quàm raris hæc gratia conceditur, & quàm modicum durat quamdiu in hoc exilio demoramur.

DE DVOBVS MODIS SILENTII & solitudinis.

CAPVT XXXIX.

SEcundum statuum & humanarum conditionum

tionum varietatem, quisque potest sibi locum eligere secretũ, vt ibi in pace & silentio quiescat, verum est tamen quod principale secretum debet potius intra animam, quam extra esse: hoc est, vt anima pellat eminus ab habitaculo sui cordis omnem humanam & mundanam solicitudinem, & omnem vanam & noxiam cogitationem, & cuncta quæ eam impedire possunt: ne quo tendit perueniat. Interdum quippe cõtingit, vt quis solus corpore degens, & ab hominum consortio separatus, non propter hoc minores patiatur phantasias & cogitationes, ac melancholias: quin potius in seipso grauissimam & valde onerosam tolerat societatem quę videlicet phantasiæ varios in eo tumultus generant, & magnas confabulationes, & garrulationes ante suæ mentis oculos; modo vnum modo aliud repræsentantes: deducentes eum modo ad coquinam, modo ad forum: offerentes ei immundas & carnales voluptates: obijciendo quoque ei nunc choreas, nunc res pulchras, cantilenas, & huiusmodi alias vanitates; vt eum in peccatum præcipitent: secundum quod de seipso beatus Hieronymus humiliter confitetur: qui cum non nisi feris & scorpionibus associatus esset, interdum nihilominus cogitatione erat inter choreas puellarum saltantium. Rursum huiusmodi phantasiæ, siue cogitationes prouocant animam solitarie degentem ad iram: & faciunt eam cum absente ac si esset presens litigare, & verborum iniurijs eum lacessere. Aliquando numerabit argentum, & magnũ thesaurum asportans faciet mercationes. Crebro

bro quoque mare suis desiderijs transfretabit: nonnunquam etiam per diuersas terras transcurret. constituitur præterea in magnis dignitatibus. Itaque talis anima huiusmodi phantasijs & stultitijs quamuis sit sola, sæpè impletur. Vnde non in secreto, & solitudine verè commoratur, licet exterius solitaria manere videatur. Neq; putanda est deuota anima contemplationi vacans omninò sola esse, quia nunquã minus sola quàm cum est sola. Istarum tamen duarum solitudinum consortia multum inter se distant: nam deuota anima & contemplatiua non est sola: quia optimam, proficuam & delectabilem possidet societatem scilicet Deum & Sanctos, cum quibus degit per sancta desideria & deuotas cogitationes. altera autem, id est inutiliter vagabunda, habet societatem valde nociuam, & in nullo ei proficuam.

DISPVTAT, QVOD CONTEMPLATIUA VITA PRIMO PROFICIT SIBIIPSI.

CAPVT XL.

TRibus motiuis siue rationibus inter alias quidam admirantur, cum quis se tradit contemplationi. Prima, quia contemplatiui sibi solum prodesse videntur. Secunda, quia videntur plus velle inuestigare & sapere quàm oportet, & in altum velle volare. Tertia, quia multi seducuntur & in amentiam & melancholiam vertuntur. Ad quas tres rationes, si fortè rationes dici possunt, respondet Gerson referens sanctos Doctores, qui de hac materia copiosè

piosè ſubtiliter & profundè loquuntur. Et primo quòd aliquis contemplationi intendens ſibi ipſi proficit multo plus atq; diuinius; ampliusq; Deo placet, quàm ſi vitæ actiuæ intenderet: & hoc ſufficit. nihil quippe poſt Deum plus debeo diligere quàm meipſum,& amplius etiam quàm reſiduum totius mundi. Vnde debeo diligere id quod amplius placet Deo,& illam vitam plus acceptare, qua ei valeo fieri acceptior quàm modicum acquirere meriti: & forſan volens alium lucrifacere, detrimentum mei facerem, meipſum damnans. Hîc intelligenda ſunt cum quis eſt tam liber, vt pro libito voluntatis ſuæ ita poſsit vni vitæ vacare, ſicut & alteri. Et hoc dico propter habentes publica officia, & propter Prælatos & alios in dignitate conſtitutos, quæ eos ad intendendum operibus vitæ actiuæ obligant. Et ſimile eſt de mulieribus maritatis, quarum eſt pueros ſuos & familiam gubernare; & de illis qui ſuis parentibus miniſtrare tenentur. Si igitur iſti pro tunc cum curæ vel profectui aliorum ſtudere debent, cõtemplari vellent, ipſi ſeipſos ſeducerent: & eſſet hæc quædam nequam & periculoſa tentatio ſcilicet vt eſſet eis delectabile ſemper contemplationi intendere ſpretis vel poſtpoſitis his, ad quæ tenétur: & ideò non ſolum ſibiipſis, ſed etiam Reipublicæ nocerent. Secus autem eſt de his,

qui ratione officij,alijs miniſtrare
non ſunt aſtricti.

QVOD

QVOD CONTEMPLATIVI ALIIS *etiam multùm proficiunt.*

CAPVT XLI.

COnsequenter ostendendum est personas contemplatiuas, non solum sibiipsis, verum etiam alijs non modicum esse proficuas. Primo, eo quòd alijs præbent exemplum benè viuendi, operibus prædicantes Deum super omnia esse amandum, & cuncta esse vanitatem, & ideo contemnenda. Et hæc nõ est parui pendenda doctrina sed tanto præstantior, quanto opera constant de fictione minus esse suspecta quàm verba. Rursus contemplatiui per suas deuotas orationes alijs omnibus prosunt, sed & sæpè euenit, vt hominibus negotijs mundi deditis, quamuis sceleratis, eorum meritis Deus aliquot magnum conferat, scilicet pacem: nihil enim possumus sine speciali Dei gratia: quam citius à Deo impetrant veri contemplatiui, quàm actiui. Sunt autem contemplatiui in Ecclesia sicut oculi in corpore illuminantes, & dirigentes vniuersa, quæ per alia membra fiunt. Et si oculi non laborant sicut manus & pedes, non propter hoc manus vel pes dicere habet quòd oculi non nisi sibiipsis proficiunt. Talium siquidem contemplatiuorum est, aliorum qui non sunt ita illuminati, & ad spiritualia eleuati, opera dirigere, & in Deum referre. nam qui cor ad superna eleuatum habent, etiam si in seculo commorentur, per seipsos sciunt, & poterunt in Deum ea quæ agunt bona, sicut in finem ordinare. Veruntamen non dico quòd in casu necessita-

ceſsitatis, contemplatiuus non habeat ſuã contemplationem prætermittere, ſcilicet ad ſubueniendum alterius neceſsitati. Qui verò vtramq; ſimul, & perfectè vitam tenere poſſet, iſte eſſet melior: ſicut beatus Gregorius, & B. Bernardus & alij Sancti tenuerunt. Et qui diligenter aduerteret quantum anima, & ſpiritualia bona excedunt corpus & bona temporalia, iſte palam cognoſceret, quòd ad ſuccurrendum aliorum neceſsitatibus corporalibus, plus proficit toti Eccleſiæ vna alicuius viri contemplatiui oratio, quàm bis centum eorum, qui operibus actiuæ vitæ ſua ſponte & non ex obedientia intendunt. Et longè plus proficiunt quàm ſi in mundo ſe occuparent non ad ſuccurrendum alijs, ſed pro commodis proprijs, & interdum in damnum aliorum. Itaque dico quod ſi quis ad vacandum vitæ contemplatiuæ ſe inſtinctu Spiritus ſancti ſenſerit inclinari, aut moueri, & hoc alicuius viri ſpiritualis conſilio agnouerit, non confidens in ſeipſo, eo quòd facilè poſſet decipi, recipiens angelum Sathanæ pro angelo lucis, iſte talis ſine vituperio actiuæ poterit ſe dare vitæ contemplatiuæ, & hoc erit in eo laudabile, & non modicam propter hoc recipiet in cœlis mercedem: niſi fortè per contrarium talis Prælato ſuo obedire teneretur, ſeu aliquod publicum officium exercere, aut alicui in caſu vrgẽtis vel extremæ neceſsitatis ſubuenire. Vrgentem dico neceſsitatem, cum eſſet veriſimile, quòd aliqui poſſent in corpore vel anima perire, ſi ipſe eis valens remedium non impenderet.

OSTEN-

OSTENDIT EXEMPLO ESSE SVPERbiam, vt quidam existimant, intendere contemplationi.

CAPVT XLII.

NEque dicendum est secundum præfatum Gersonem quantum ad secundam rationem antedictam, quòd qui contemplationis fini vacat quem superius exposui, hoc est ad summe amandum Deum ex toto corde suo, iste talis nimis alte tendat, aut præsumptuosè agat. quin potius si quis ad hoc captus est, & hanc à Deo consecutus est gratiam, deficeret, & minus benè ageret, prout videtur, si diuino munere non vteretur: præsertim ecclesiastici & religiosi, quorum vita ad hoc ordinatur potius quàm ad actiuam. nam clericis maximè Theologis (si quod isti dicunt verũ esset) eorum scientia non solùm non prodesset, verum etiam multum obesset, inde quippe efficerentur tumidi, vani, vacui, & superbi. Vlterius hoc patet ad oculum per sequens exemplum: Erit in curia Regis aliquis coquinæ administrator, cui Rex talem largietur gratiam scilicet faciens eum suum camerarium, quia iudicat eum ad hoc sufficientem; sicq; placet Regi. nulli dubium, quòd si prædictus minister hoc recusat ob suam desidiam, vel pusillanimitatem, aut voracitatem, dicens se potius in officio velle ministrare coquinæ, iste talis multum est reprehensibilis. Eodem modo qui potest Deo in aliquo excellenti statu seruire, & voluerit circa res minimas versari, neque humilitas eum excusabit; sed fictioni &

ni & tempori cordis hoc imputabitur. Amplius dico quod deficiunt & errant qui in suis contemplationibus plus quàm oportet inquirere volunt: valde quippe est eis humilitas necessaria charitatis custos, & nutrix.

QVANTVM ACTIVOS CONTEMplatiui præcellunt.

CAPVT XLIII.

QVantum ad tertiam rationem, quòd scilicet aliqui contemplatiui falluntur & efficiuntur dementes, & melancholici, respondet prædictus Gerson, quòd eodem modo in vita actiua multi decipiuntur, non habentes discretionem, quæ requiritur ad opus cœptum consumandum. Neque omnibus hæc gratia exhibetur scilicet intendere contemplationi certis de causis iam assignatis, quemadmodum ait Apostolus: Vnusquisq; habet proprium donum à Deo: vnus sic, alius vero sic. Et iterum si in corpore omnia membra essent oculus, vbi manus, &c. Verum est tamen quòd homines mundani facilè iudicant contemplatiuos esse amentes, & melancholicos, quia non faciunt sicut & ipsi: nam omnia paruipendunt quæ illi nimis amant & magnipendunt. Sed non vident magnas consolationes & sancta opera, & spirituales diuitias quas acquirunt contemplatiui mundum spernentes, & à se procul pellétes omnem auaritiam, iram, inuidiam, & vniuersam vanitatem. Quæ huius mundi amatoribus non modicam præstant vexationem, & contemplatiui

viuunt

viuunt in magna quiete, & pace ſuæ conſcientiæ; quæ eſt tam magnum bonum, vt aliud ei hîc nequeat comparari. & loco mundanarum occupationum ſuper terram, in anguſtiſsimo loco & re modica, ipſi contemplatiui occupantur in maiori & ampliori loco atque negotio, quàm ſit totus mundus, hoc eſt in Deo. Quid per hoc exprimere velim, norunt in talibus experti. Certum ſiquidem eſt quòd vita rationalis creaturæ conſiſtit potius in operatione intellectus ſeu rationis, quàm in aliquo alio: hoc eſt in rationalibus meditationibus, & in amore ſpontaneo. Vnde illi & quaſi ſolum dicendi ſunt viuere, qui in contemplatione tali cibo & potu reficiuntur, & non illi, qui animas ſuas & vitam non plus quàm beſtiæ ad cœleſtia leuant: nam illi comedunt, & bibunt, exultant, gaudent, & rident, & ſunt occupati in vanitatibus & leuitatibus, & ſua corpora laborant: & ſic per hunc modum faciunt ſicut pecora. Sed fortè dicent iſti, quod ſuis laboribus alijs auxilium præſtant. Hoc idem faciunt equi & aſini, & aliquando plus. Quamuis hoc ſit laudabile in eo, qui non valet neq; ſcit aliud, & illud complet fideliter, id eſt recta intentione, & bono fine ſcilicet ad ſeruiendum Deo, & ſubueniendum proximo. Fateor tamen contemplatiuos in negotijs mundanis non eſſe ita ſapiẽtes, & prudentes, ſicut ſunt actiui. Ratio eſt ſecundùm prædictum Doctorem, quia ſuum ingenium & intentionem circa talia non apponunt. Vnde fit eos & ſimplices & inſipientes iudicari: ſed ipſi de hoc non curant; nam ad hoc vocati ſunt ſecundùm Apoſtolum,

& ad hoc totis viribus nituntur scilicet stultos reputari, vt possint esse sapientes.

QVAM EST NECESSARIA CONTEMplatiuo diuina gratia.

CAPVT XLIV.

IAm superius aliqualiter exposuimus, quòd silentium alterum est extra animam, alterum intra; & quod contemplatiuus non tam satagit exterius silentium & secretum attingere, quàm interius. Ad quod acquirendum est necessaria custodia & secretum cellæ. dicit enim beatus Bernardus quòd speciosus animæ IESVS CHRISTVS verecundus est amicus, neque libenter ad sponsam suam accedit multitudine præsente; quærit autem esse solus. Oportet igitur animam à se omninò expellere exterius & interius omnes occupationes, & solummodo esse solicitam & intentam ad recipiendum sponsum suum, quoniam quidem est simplex & vnicus: ideo vult quæri in simplicitate & vnitate cordis. Tale autem cor scilicet circa exteriora occupatum non est simplex, & vnitum, sed humanis, vanis, & illicitis curis multipliciter diuisum. Sed heu fratres ad quantam miseriam nobilis anima redacta est propter peccatum, quæ in primo statu innocentiæ ordinata fuerat ad contemplandum Deum creatorem suum, & considerandum spiritualia: quod nunc tanta pœna & difficultate, onere corruptionis sue aggrauata vix explere potest. Quod benè experiuntur qui ad hoc conantur. O Deus meus quid

est

est nunc illud, quod ipsam animã in altum ferre & congregare ad vnitatem & reducere ad simplicitatem posset? & eam ab hoc procelloso fluctuanti & tumultuoso mari per innumerabiles solicitudines, per diuersas phantasias & imaginationes velociter inundantes eripere? Certè hoc nemo, nisi virtus tuæ gratiæ valet facere: & huius maris magni & spacioſi, quod intra nos est motus mitigare. Tu Domine suscitas egenũ iacentem de puluere vanarum cogitationũ, & eleuas pauperem de stercore inordinatarũ delectationum: collocans eum in alto, vt sedeat cum principibus id est cum angelis & sanctis, & conuersatio eius sit in cœlis. Hoc gratiæ munus illis verè & solũ conceditur, qui accuratè & ardenter illud exquirunt, & ad hoc se disponunt.

QVALITER ANIMA CONTEMPLATIVA supra corpus eleuatur, & efficitur simplex & vnica.

CAPVT XLV.

NOn debemus existimare quòd anima secundùm substantiam deserit propriũ corpus, cum in contemplatione rapitur secundum communem cursum: sed pro tunc dicitur esse, vbi fuerit cor & amor eius. secundùm enim B. Augustinum anima verius est vbi amat quàm vbi animat, id est quam in corpore quod viuificat. Dico igitur quòd talis animæ deuotæ eleuatio extra mundum, & supra ista corporalia vsq; ad seipsam, vel vsq; ad angelos vel certè vsq; ad creatorem suum, quia altius nõ potest ascendere, fit per fortem & sanctam meditationem, vel

per ardentem amorem. Itaq; talis fortis & sancta meditatio, vel amoris ardor virtute est tam potens, vt faciat eam obliuisci, & cessare cæteras alios operationes & phantasias; ac si esset in perfecta quiete & in quodam dulci sopore. & si penitus tales operationes non cessant, non tamen valent interrumpere, vel superare illã validam meditationem seu feruidam dilectionẽ propter suam vigorosam virtutem. Oportet quoq; vt anima in tali meditatione totaliter sit occupata & amore feruenti, neq; sit ei cura pro tunc de quacunq; aliare, neq; ad alia respiciat, nisi fortè ea cursim transcurrens: non tamen in eis pedem figens, id est non demoretur in talibus. Et hoc posse fieri quotidiana experientia in rebus minoribus nobis ostendit. Hoc asserit Aristoteles dicens, quòd contingit nonnunquã quempiam super aliqua re tam vehementer meditari, vt apertis oculis non videat illud quod ante ipsum transit: & sæpè illi cum quibus est, loquentur, & faciẽt coram eo multa, quorum ipse nihil sciet: sed in sua vehementi meditatione perseuerabit ac si dormiret. Vnde & de tali cõsueuit dici istud cõmune prouerbium: Iste suos meditatur amores. Talem modum raptus concipiunt aliquando scholastici, cum ad compilandũ aliqua subtilia intendunt. Tale quoq; aliquid solet accidere pictoribus, & aliarum subtilium artium artificibus positis in vehemẽtibus imaginationib⁹. Legitur quippe de quodã philosopho, nomine Archimedes in Geometricis peritissimo, quòd decreuit imaginando facere subtilia instrumenta ad expugnandum, defendendum, & capien-

dum

dum vrbes. & cum vrbem quam prędictus Philoſophus incolebat, ab hoſtibus capi contingeret, iuſsit dux exercitus, ne prænominatus Philoſophus necaretur : & cum à caſu quidam ad eum intraſſet & in illis vehementibus imaginationibus occupatū reperiret, interrogauit eum quod eſſet eius nomen : ille verò manens fixus, & intētus in ſuis imaginationibus neſciebat neque attendebat quid ab eo quæreret, niſi quòd innuebat ei, ne eū impediret, nihil aliud reſpondens : vnde & vitam perdidit. Ecce quàm attēta erat iſtius cogitatio, vt eius virtute neq; inuaſionem propriæ vrbis neq; hoſtem qui eum occiderit, agnouerit. Alius quoq; Philoſophus nomine Neades ſæpè ad menſam ſedens obliuiſcebatur ſumere cibū, & oportebat ne inedia periret, vt quædam eius ancilla ſibi victum capiendū ſubminiſtraret. De quo Valerius quod prædiximus recitans, dicit, eum ſolum propter animam vixiſſe, & corpore veluti re extera & inutili fuiſſe circumſeptum. Prædicta adduximus exempla ad demonſtrandum quòd anima imaginationes & ſolicitudines inutiles à ſe poſsit expellere, vt valeat ad altiora & ſibi magis proficua eleuari & aſcendere : & ſic reduci ad vnitatem & ſimplicitatem, intendens duntaxat quomodo poſsit peruenire ad ſuum creatorem qui eſt eius locus, finis, & amor : quamuis hoc facere tāto ſit fortius & difficiliùs ſcilicet, quod in præmiſsis exemplis oſtendimus quāto oportet nos vti ſpiritualibus meditationibus, & habere cogitationes altiores & magis extraneas.

DE DIVERSIS MODIS, QVOS IN tractando de contemplatione Sancti habuere.

CAPVT XLVI.

RIchardus de Sancto Victore, quendam edidit librum in quinq; partes diuisum: vbi subtiliter & profunde tractat hanc materiá contemplationis, eam in sex species diuidens. Quarum duæ ponuntur in imaginatione, duæ in ratione, & duæ in intelligentia. Et secundùm hoc, prædictus Doctor ponit intra animam tres cœlos secundum quod ipsa anima circumuoluitur: diuersimode cogitans siue meditans, scilicet vel corporea quæ sensibus exterioribus percipiuntur, aut seipsam vel angelos, siue eorum statum, aut reuera ipsa contemplans deitatem. Et præsertim præfat° Richardus in quinta parte illius libri tradit quomodo cõtemplatio tribus modis formatur, siue diuersificatur. Aliquando in quantum ipsa anima interdùm amplius dilatatur. Quandoq; per hoc quod plus eleuat anima suum intellectum. Quandoq; autem secundum quòd habet ipsum intellectum sicut alienatum & oblitum. Declarat verò quomodo hoc fiat, adducens auctoritates & exempla sacræ scripturæ. Accidit siquidem hoc, vel per vehementem admirationem, vel præ feruore deuotionis, vel præ magnitudine delectationis, & spiritualis consolationis. Sed quia intentio mea est loqui non subtiliter, sed rude & breuiter, tum propter materiæ subtilitatem, quæ pertinet ad magnos Theologos, tum etiã quia meũ excedit intelle-

intellectum, de ea modicum loquendum est. & ideo ponemus hîc modos contemplationis qui à simplicioribus capi & intelligi facilius possint, quos sancti exercuerunt & in suis scriptis nobis tradiderunt. Beatus verò Augustin. in libro Confessionũ describit quendam certum modũ contemplandi, quẽ cum matre sua habuit, stans ad quandam hortuli fenestrã, non longè ante eiusdem suæ parentis obitũ. Beatus præterea Greg. in suis Moralib⁹ largissime loquitur de contemplatione monstrans pericula & cõmoda, quę in ea sunt, sed particularẽ modum intrãdi ad eam, ibiq; manendi, inibi non tradit. S. Hieronymus inter cætera scribit quendã modum ad Eustochiam virginẽ; scilicet, vt cogitaret horã mortis; qualeq; tunc præmiũ esset perceptura, qualiter virgo Maria vna cùm filio suo Redemptore nostro, & sanctis angelis, atq; virginibus exirent obuiam ei, illud canticũ concinentes, quod post transitum filiorum Israël per mare rubrũ Maria cecinit soror Moysi: Cantemus Domino; gloriosè enim, &c. De seipso dicit etiam idẽ B. Hieronymus, quòd post validas tẽtationes & sæuas pectoris sui tunsiones sibi assiduis fletibus & lachrymis, diuinum auxilium quærenti visum est angelorum interesse cœtibus præ magnitudine pacis & spiritualis lætitiæ suę cõscientię, sibi post suã tribulationẽ & pœnitentiam à Deo cœlitus transmissæ. Cõmuniter omnes Doctores in hoc modo concordant: scilicet, vt homo meditetur terribilia infernorũ supplicia, paradisi gaudia, peccata ppria, mundi vanitatẽ. Tamen quia de ijs materijs in via purgatiua, illuminatiua, &

vnitiua, ſatis locuti ſumus: adhuc alium quęrimus contemplationis modum. Sanctus igitur Bernardus, in omnibus ferè ſermonibus ſuper Cantica tractat vnum modum, ſcilicet, matrimonij ſpiritualis inter Deũ & animã: quem ſequitur quidam alius nouus Doctor inter Deum & animam ſimiliter quoddam cõtemplans ſpirituale matrimoniũ. & intitulatur ille liber Horologium æternę ſapientiæ. Et reuera iſte mod⁹ eſt arduus & ſubtilis & ſatis periculoſus, & maximè his qui eum tenere vellẽt in principio ſuæ conuerſionis. Rationem huius aſsignat Gerſon ſic dicens: quia cum tales nouitij & in ſpiritualibus minimè exercitati inciperẽt meditari ſpirituale matrimonium, facilè tranſirent ad carnalis recordationem, & quærentes puritatem animæ, plus ſordeſcerent.

DE MODO CONTEMPLATIONIS, quem in initio ſuæ conuerſionis B. Bernardus habuit.

CAPVT XLVII.

DE ſeipſo refert B. Bernardus, qualiter in ſuę exordio conuerſionis agnouit ſibi eſſe neceſſarium habere bona opera & merita, quæ ex ſeipſo nequibat exigere & habere: & ideo prouidit ſibi acquirere hæc ex meritis Chriſti Redẽptoris noſtri: & tũc accuratiſsimè meditabatur totius vitæ Dñicæ decurſum à conceptione vſq; ad aſcenſionem: & ex vniuerſis pœnis & amaritudinib⁹ eius collegit ſibi faſciculũ myrrhę, qui aſsiduè inter eius vbera cõmoraretur: atq; illum iugi memoria in ſuo pectore collocauit, ei in-

ei intimè compatiendo. Propter quod concludo beatum Bernardum ſuam cõtemplationem, & ſpiritualem aſcenſum à vita Domini inchoaſſe, eam crebro meditando: ſecundum quod de beata Cæcilia legimus, quòd Euangelium Chriſti ſemper in ſuo pectore gerebat abſconditum, ſcilicet eius vitam aſsiduè meditando: & diebus ac noctibus non ceſſabat à colloquiis diuinis, & oratione. Et Doctor Seraphicus Bonauentura in ſuo ſtimulo amoris tractat quoque hanc materiam, & ſpecialiter de paſsione Domini & Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti: oſtendens quod in ea inuenitur omne bonum, & quod ipſa eſt oſtium huius viæ: ſcilicet contemplationis: & qui aliunde vult ingredi, ipſe ſeipſum decipit. Et confirmat præfatus Doctor ſuam ſententiam auctoritate Domini, qui ait: Ego ſum via, veritas, & vita, via per quam eſt gradiendum: veritas gradientem illuminans: vita eundem recreans, ſuſtentans, & remunerans. Sunt & nonnulli communiter qui non habent alium modum in ſua contemplatione, niſi quem in aliquo deuoto libro didicerunt, legentes vitam alicuius ſancti, vel aliquid huiuſmodi aliud ad exercendam ſuam deuotionem ſecundum materiam quam reperiunt: & iſtis ſemper ſunt libri neceſſarij. Vnde iſte modus per ſe ſolus non eſt ſufficiens, niſi aſſueſcerent illum exercere abſque librorum præſentia. Rurſum ſunt alij qui diuina officia agentes in Eccleſia, diſcunt & exercitantur contemplari nitentes; & hoc difficillimum iudico: præcipue à principio, & vix per hanc viam poterit quis ad perfectionem contempla-

tionis peruenire propter laborem cantui annexum, nisi tales forsan essent in secreto prius assuefacti per contemplationem. Et propter vitandam prolixitatem prætermisis multis aliis modis, quos in exercitiis & materiis contemplationis multæ deuotæ personæ habuerunt, dicemus adhuc aliqua de ea.

QVID EST CONTEMPLATIO, ET *de diuersis eius speciebus, & de materia qua debet bonus monachus contemplari.*

CAPVT XLVIII.

SEcundum Richardum, cõtemplatio est quidam liber animi intuitus in diuina spectacula cum admiratione suspensus, vel secundum beatum Augustinum contemplatio, est quędam mentis illustratio ad inuisibilia Dei, animum salubriter alliciens. Secundum autem Hugonem contemplatio est quædam intelligentiæ perspicacitas: quam habens omnia manifesta aperta visione cognoscit, secundum illud: Spiritus omnia scrutatur, hoc est omnia scrutari facit: etiam profunda Dei. Ante autem quàm species contemplationis distinguamus, est notandum cum præfato Richardo quòd contemplatiuus potest in contemplatione per tres vias proficere. Prima est propria industria, & hoc secundum illud quod sibi videtur multum ei ad hoc adminiculum conferre posse. Et hi debent circa hoc diligenter studium adhibere, vt diuinæ gratiæ auxilio mereantur altius ascendere. Secun-

da

da via est arte & doctrina alterius, sicut faciunt qui supra positas, & alias sanctorum supra hac materia datas doctrinas obseruant, & imitantur. Tertia est, speciali gratia Dei hominem in altum ad sua arcana eleuare volentis. His igitur præmissis est aduertendum, quòd contemplatio distinguitur in tres partes seu species. Prima dicitur mentis dilatio: & est quando contemplans humana industria extenditur & dilatatur supra id quod cogitat. Secunda dicitur mentis subleuatio: & est quando intellectus contemplantis diuino lumine specialiter illustratus percipit ea, ad quæ non sufficit humana industria. Et quamuis illud quod intelligit sit supra rationem humanam, sic tamen est intra se quòd non alienatur neque transit extra se, sed videt se esse in se: licet non sicut ante solebat. Tertia appellatur mentis alienatio: & hoc est cum videt ea ad quæ ascendere nequit humana industria, in qua visione adeo efficitur contemplans extra seipsum & extra solitum intellectus sui iudicium, vt nesciat vbi est, neque qualiter est, scilicet an in corpore, vel extra corpus. & hoc alio nomine dicitur raptus: de quo superius in via vnitiua locuti sumus. Et nota hic quòd prima istarum trium specierum quæ dicta est mentis dilatio, iuuatur arte, exercitatione assidua & diligentia nimia, secunda scilicet mentis subleuatio, iuuatur cœlesti lumine, quod interdum supra humanam industriam recipit: aliquando supra propriam conscientiam, nonnunquam supra naturam. Et per hunc modum eleuati sunt in altum prophetæ, qui viderunt & dixerunt præterita & futu-

futura,&humanorum cordium occulta sine raptu,& absque alienatione à sensibus. Tertia scilicet mentis alienatio siue raptus fit, vel propter deuotionis excessum ex feruentissimo Dei amore prouenientem; vel propter nimium stuporem super aliqua re,qua videtur homini valde admirabilis, vel propter magnitudinem delectationis & gaudij: quod concipimus de aliquo beneficio intra nosmetipsos ex Dei speciali gratia recepto. Et vlterius secundum prædictum Doctorem aduertendum, quòd contemplatiuus sentiens se in sua contemplatione frigidum,debet se spirituali arte calefacere,vt queat contemplando citius ad Deum ascendere,accipiens aliquam materiam deuotionis seu feruoris excitatiuam,secundum quod superius diximus in meditationibus illarum trium viarũ, scilicet purgatiuæ,illuminatiuæ,& vnitiuæ. Sed quia vt supra diximus secundum illum seraphicum Doctorem eximium Bonauenturam: ostium per quod est ingressus ad contemplationem, est vita & passio Domini nostri Iesu Christi: & qui aliunde voluerit introire,ipse se fallit: dicemus hîc in quodam Compendio de vita Domini vsque ad cœnam.

QVOMODO CONTEMPLATIVVS DEbet ascendere in sua contemplatione tribus modis secundum vitam, & passionem Domini.

CAPVT XLIX.

SCire debes quòd Christus Iesus Deus & homo Dei & hominum mediator, ipse est via per

per quam ad diuinitatis notitiam simul & amorem debes ascendere. secundum enim Augustinum septimo Confessionum, ad hoc Christus carnem assumpsit, vt qui Deum spiritualiter intelligere non potuimus, per Christum verbum caro factum, ascenderemus ad notitiam & amorem spiritualem. In Christi ergo vita & morte constitue tibi triplicem contemplationis modum per deuota exercitia.

Prima contemplatio sit, vt affectu quodam dulci, & affectu cordiali, licet quodammodo carnali Christo adhæreas, Christum comiteris iugiter; circa Christi vitam & mortem affectatus, & eius præsentia & recordatione in tuis exercitiis delectatus. In hac prima ascensione, vel primo affectu, potes diuersimodè tuum exercitium variare, sicut Christum in vita multi diuersimodè allecti, id est diuersis intentionibus sequebantur. Apostoli enim primo eum sequebantur sola eius præsentia delectati, eius colloquio recreati, eius dulcedine & affabilitate attracti. Et tu etiam primo hoc modo sequere Christum, esto in eius comitatu. Cogita quàm fuerit eius præsentia dulcis; cogita corporis elegantiam, & speciositatem: nam erat speciosus forma præ filiis hominum. Attende suaues eius sermones, & dulcissimam doctrinam, & modum quo in omnibus se habuit, quam dulciter & benigne verba illa melliflua protulit. Attende modum quo interius se habuit, quia ab intra mitis, benignus, & suauis. Attende in eo sensum maturum, aspectum venustum. Cogita in Christo profundissimam sapientiam in corde, venustis-

nustissimam eloquentiam in ore, optimam morum dispositionem: & hoc modo Apostoli eum sequebantur: alij Christum sequebantur, vt eorum curaret infirmitates. sequere & tu eum interdum hoc modo, & humiliter postratus adora eum, dicens: Domine si vis, potes me mundare. Vel; Iesu fili Dauid miserere mei.

Quidam sequebantur eum propter miracula eius, & tu mirare potentiam eius in miraculis, naturam enim mutat, elementa commutat, demonstrationes fugat, omnemq; languorem curat. In his poteris eum cognoscere esse Deum, qui naturæ suos in primordio indidit effectus naturales: salua sibi semper in omnibus obedientia, etiam ad effectus supernaturales producendos. Et similibus modis potes variare exercitium, & affectum in hac prima contemplatione.

Sed aduerte quòd licet hæc exercitatio personæ spirituali satis vtilis sit, scilicet occupare se circa mores, & gestus Iesu Christi Domini nostri, tamen quantum ad ascensum ad eius amorem non sufficit: immo per se parum prodest. Quid profuit Iudæ, Pilato, Herodi, vel Pharisæis quòd Christi mores vel gestus aut præsentiam corporalem viderunt, qui eum imitari noluerunt? Terminus igitur huius primi modi contemplandi vitam & passionem Domini, secundum Bernardum super Cantica erit tibi: vt sicut Apostoli hoc modo tracti omnia mundana scilicet diuitias, parentes, & omnia alia reliquerunt, ita & tu in hoc perseuerabis gradu, vt cor tuum illa suauitas occupet, & totum sibi amore

more vniuersæ carnis ac carnalis illecebræ vendicet. Et breuiter homo cor suum debet extendere in tali exercitio, in affectum, & amorem humanitatis Christi, vt omnis affectus suus, & appetitus ad dulcedinem humanitatis Christi transferatur. Et iste primus gradus contemplandi Christum est incipientium. Secundus modus contemplandi vitam & passionem Domini, est iam aliquantulum altior præcedenti, scilicet non solum circa humanitatem se exercere, sed vt dicit Bernardus in homine Christo Deum inuenire licet non Deum nudum, neq; nudum hominem: sed & Christum Deum pariter & hominem comprehendere, Christumq; vt Deum pariter & hominem diligere & adorare. Multum quidem fructum in exercitio confert circa vitam & passionem Christi Domini, si quoties legis vel cogitas Christum, hoc vel illud passum fuisse, vel fecisse, talem tibi de Christo conceptum poteris formare: vt tibi lucidè Deum & hominem repræsentet, id est vnam personam significet, quæ simul est Deus & homo: vt quicquid legis vel cogitas Christum fecisse, siue in mortuis suscitandis, siue in miraculis faciendis, hominem fecisse Christum non dubites. Quicquid legis Christum sustinuisse, siue in manuum perforatione, seu in pedum conclauatione, Deum credas indubitanter sustulisse: & hoc propter personæ vnitatem: in qua diuinitas & humanitas sine naturarum permixtione subsiterunt. Et hoc credit quilibet verus Christianus: sed quanto lucidius concipit deuotus, tanto in Christi vita passione & miraculis pinguior erit affe-

affectus. Si Christum hominem cogitas, inde tibi dulcis affectus, & magna fiducia: quia homo mitisim°, benignisimus, nobilisimus, suauissimus, totus decorus, gratiosus & formosus. Inde tibi fiducia accedendi, adorandi, & facilior conceptus: nam facilior est nobis humanitatis notitia, vtpote menti impressa, quàm Dei à mente remotissima. Sed si Christum Deum cogitas, inde tibi omnia verba, facta, miracula, gestus, magis apparent metuenda, horrenda, & admiranda. Et sic si vtrunque in Christo intelligis & concipis, magna tibi inde proueniet deuotio, amor, & fiducia; & rursum timor, & reuerentia.

Et iste secundus gradus contemplandi Christum est proficientium.

Tertius modus contemplandi vitam Domini, est iam per humanitatem Christi ad spiritualem affectum assurgere: & iam Christum Deum per speculum in ænigmate, mentalibus oculis intueri: & sic ex humanitate ad notitiam, & amorem diuinitatis peruenire. Et per huiusmodi mentis intuitum, & adhęsionem & transformationem incipit quodammodo homo vnus spiritus cum Deo fieri, & extra seipsum transgredi: & ipsam veritatem intueri: & ad vnionem & adhæsionem habilitari. Vnde Augustinus septimo libro Confessionum ait: Iam admonitus redire ad me ipsum, intraui ad intima mea duce te: & potui, quoniam factus es adiutor meus: & vidi qualicunque oculo animæ meæ super eundem oculum animæ meæ, super mentem meam, lucem Domini incommutabilem, non hanc vulgarem, & conspicuam omni çarni: neque quasi

ex

ex eodem genere, grandior erat, tanquam si ista multa multoq; clarius clarescceret, totumq; occuparet magnitudine nõ illud illa erat, sed aliud valde ab istis. Qui nouit veritatem, nouit eam: & qui nouit eam, nouit æternitatem: charitas nouit eam. O æterna veritas, & vera charitas, & chara æternitas: tu es Deus meus, tibi suspiro die ac nocte. Ecce iste est vltimus gradus contemplationis in hac peregrinatione, donec ascendamus ad essentialem Dei visionem, sed caueat hic bestia id est homo impurus, ne tangat montem hunc, neque adhuc appropiet. nam bestia quæ tetigerit montem, lapidabitur. Et iste tertius gradus cõtemplandi vitam Domini, est eorum, qui iam sunt exercitati & appropinquant perfectioni.

DE FIGVRIS, PROPHETIIS, ET *Scripturis circa Christi Incarnationem.*

CAPVT L.

CIrca opus nostræ redemptionis versatur materia totius Scripturæ: & omnia in Scriptura contenta ad illud referuntur. Ipsum futurum Testamentum vetus pronunciat. Illud iam factum nouum clarius demonstrat. Cogita igitur quàm multa in figuris, gestis, factis, oraculis, apparitionibus, per reges, prophetas, sacerdotes, ipsum opus præcesserunt. & ex hoc intellige magnitudinem eius quod erigit gratitudinem. Tracta apud te vehemens desiderium Patrum præcedẽtium. Mirare tuam & multorum circa hoc opus tepiditatem, & ingratitudinem.

DE DOMINICA ANNVNCIATIONE.

CAPVT LI.

CVm veniret plenitudo temporis, vt prædictæ figuræ adimplerentur, & dignaretur Deus adimplere desiderium sanctorũ Patrum; missus est Gabriel Archangelus ad Virginem, vt ei Dominicã Incarnationem annunciaret. Contemplare hîc, & exulta sanctorum Patrum impleta desideria, & diuina oracula. Animo reuolue reuerentiam per Angelum Virgini incomparabili exhibitam, & stupesce quantum potes Dei humiliationem. Attende Mariæ exultationem. Aduerte eius humilitatem, aliasq; virtutes. In corde ruminare eiusdem lætitiam, exultationem, & iucundam deuotionem. Neq; obliuioni tradendum est ministerium, per eam cognatæ suæ Elisabethæ impensum.

DE VITA DOMINI SVB QVODAM *compendio ad exercitium nouiter contemplari incipientium.*

CAPVT LII.

ET vt sub quodam compendio totam vitam Domini recollectam tecum deportare valeas, considera quomodo Deus factus paruulus vagit, & lachrymatur in præsepio. Attende eius paupertatem: Intuere eius humilitatem, & descensum Angelorum, & vigilias pastorum. Conspice vtrorumq; ad inuicem mutua colloquia: Mariæ & Ioseph vehementem stuporem. Inspice Dominam nostram genuflexam, præ magnitudine lætitiæ quem peperit adorantem, & in cor-

de

de suo iubilantem. Aspice attentissime tam speciosissimi infantis vultum & elegantiam, atque eius interiorem magnitudinem & sapientiam: quem reuerenter adorabis, & præsepe deosculaberis.

Celebratam octauo die eius circumcisionem, & nominis Iesu impositionem, & vide quomodo immunis ab omni peccato non dedignatur accipere antidotum peccati, vt tu in te superfluas & inordinatas circumcidas concupiscentias. Vocatur Iesus, vt per hoc intelligas eum suorum non alienorum esse Saluatorem. Condole infanti: quia tam tenerrimus vulneratur, & pro te suum incipit fundere sanguinem: & quòd extrinsecus plorans intrinsecus miserabili homini compatitur.

Stellam tam fulgentem, Magos ad puerum Iesum deducentem, & eorum magnam fidem & deuotionem: & sequere eos, & deuotissimè offer æterno infanti quicquid habes scilicet animam & corpus.

In quanta vilitate & penuria eum Magi inuenerunt: non enim voluit amator paupertatis, neque ad illorum Regum aduentum aliquem temporalem apparatum ostendere. Et quomodo paruulus Rex ab Oriente deduxerit eos ducatu stellæ, à quibus tanquam verus Deus adoratur? Attende hîc tria de Christo nato testimonia, scilicet Stellæ, Magorum, & Iudæorum: qui perhibent testimonium de Christo, & de loco natiuitatis eius.

Quomodo post natiuitatis eius quadragesimum diem, mater eius offert eum in templo

Deo Patri: & redimit eum tanquam primogenitum offerens pauperem oblationem. Vide nihilominus illam proceſsionem, in qua tantæ tamq; cœleſtes perſonæ conueniunt, ſcilicet virgo Maria cum puero ſuo Deo noſtro, & ſuo Ieſu: Anna prophetiſſa: Symeon & Ioſeph: & tota deuotione ſatage occurrere illis. Et nota eorum colloquia, magnamq; deuotionem.

CONTEMPLARE Chriſti & ſuæ matris humilitatem, qui cùm non eſſent legi ſubditi, legem obſeruare voluerunt.

Quomodo Chriſtus adhuc infantulus Herodem fugiens vadit in exilium. Attende eius patientiam, & diſce pati: ſequere peregrinantes, & attende eorum mutua colloquia, & diſce ab eis pauperem & humilem eſſe.

Quomodo à duodecimo vſq; ad triceſimum ætatis ſuæ annum, rex glorię latet in plebe: quippe neque prædicabat, neque miracula faciebat, ſed tam longum tenens ſilentium, multum docuit tacens, & nihil faciens multum operatus eſt, tamdiu enim tacens docuit te, ne ſis facilis ad docendum: ſed prius diſce tacere & humiliari.

Quomodo triceſimo ætatis ſuæ anno per Ioannem baptizatur. Vnde quàm reuerenter ſe habet Ioannes ad eum non audens eum tangere: & mirare & imitare ſtupendam Dei noſtri humilitatem ſe à Ioanne ſicut quilibet alius plebeus permittentis baptizari, & quomodo omnem iuſtitiam, hoc eſt perfectam impleuerit obedientiam. Adüerte quomodo hîc viſibiliter tota beatiſsima Trinitas manifeſtata fuit; Pater

in

in voce, filius in carne, Spiritus sanct° in columbæ specie: & quòd Pater mittit filium ad prædicandum dicens: Ipsum audite.

Quomodo post hęc abiit in desertum, vbi ieiunauit quadraginta diebus & quadraginta noctibus & tentabatur à Sathana. Cogita Christi in eremo conuersationem: quid ibi fecit, de deuota eius oratione, & cõtemplatione. Nota ibi eius humilitatem: quia fuit cum bestiis secundum Marcum. Cogita stupendam Christi patientiam: à dæmone portatur & sustinet. Quàm sapienter resistit Sathanæ: & tibi exemplum dedit resistendi. Mirare eius dignitatem: quia Angeli ministrabant ei.

CONTEMPLARE quomodo de monte descendens, elegit in discipulos quosdam piscatores & abiectos homines: & per eosdem prædicationis gladio cœpit totum mundum debellare.

Nota eius vitam cõmunem cum Apostolis: eius dulcem cõuersationem. Considera eorum secretum colloquium in domo, & in via: & quomodo ipse est inter eos sicut qui ministrat, cum eis comedit in vna mensa & catino, non habet priuilegium inter eos.

Quomodo ex tunc deinceps visus est super terram & cum hominibus conuersatus. siquidem inter homines ambulans, & vbiq; verbum Dei seminans multa miracula, quæ nisi à Deo fieri non potuerunt, fecit: cæcis visum, surdis auditum restituit, dæmones fugauit, leprosos mundauit: breuiter omnes sanauit; & tot miracula fecit, vt vix valeant scribi. Rogantibus peccata indulsit. Vbiq; prædicabat: parabolas my-

sticas proponebat: in quarum vna pastorem se dixit, ad ouem perditam reducendam adueniſſe.

Quomodo sæpe Christum sequebatur multitudo copiosa: aliquando quatuor millia, interdum quinque millia, & eo amplius etiam vsque ad Eremum. Sequere & tu, & esto prope Iesum, vt eius verba audias, faciem Christi, & Apostolorum cernas: & colloquia & miracula videas.

Quomodo volens se hostiam offerre, propter quod venerat, vt se verum agnum paschalem ostenderet: quinta die ante pascha allatum à discipulis asellum cœli terræq; Dominꝰ ascendit: magnoq; triumpho, laudumq; præconiis, pueris Hebræorum clamantibus, Osanna in excelsis, Hierusalem sanctam ingreditur.

Nota Christi Regis stupendam humilitatem in eo scilicet quòd sedet super asinam Apostolorum vestimentis stratam. Vbi est eius familia & Regius apparatus? Intuere Iesum, qui cùm appropinquaret Hierusalem fleuit super illam; magis autem dolore compassionis tactus misericorditer fleuit super animam peccatricem.

Descripsimus ecce breuiter, & sub compendio vitam Domini, vt facilius eam memoria valeas retinere, siquidem circa nihil aliud poteris vtilius & salubrius tuam mentem occupare: & ideo omni die aliquid de vita & passione Christi in aliqua hora ad hoc deputata debes mente ruminare.

CON-

SVMMARIVM QVODDAM VITAE Dominicæ metricè.

CAPVT LIII.

O Crux, frutex saluificus, viuo fonte rigatus,
quem flos exornat fulgidus.
Fructus fœcundat gratus.
Iesus Rex regis filius.
Iesus de Deo natus.
Iesus promissus Patribus.
Iesus præfiguratus.
Iesus afflatu genitus.
Iesus donis donatus.
Iesus in lucem deditus.
Iesus sol mundo datus.
Iesus infans pauperculus.
Iesus Maria lactatus.
Iesus tener puerulus.
Iesus cultro plagatus.
Iesus legi suppositus.
Iesus vlnis portatus.
Iesus ostensus Regibus.
Iesus regno fugatus.
Iesus plenus virtutibus.
Iesus vir baptizatus.
Iesus ferarum socius.
Iesus hoste tentatus.
Iesus verbis veridicus.
Iesus zelo flammatus.
Iesus signis mirificus.
Iesus transfiguratus.
Iesus pius affectibus.
Iesus lachrymatus.

Iesus Rex orbis agnitus.
Iesus asello latus.
Iesus seruorum famulus.
Iesus panis sacratus.
Iesus Iudæis proditus.
Iesus orans prostratus.
Iesus turba circumdatus.
Iesus vinculatus.
Iesus ductus præsidibus.
Iesus ter denegatus.
Iesus Pilato traditus.
Iesus post flagellatus.
Iesus illusus penitus.
Iesus morti donatus.
Iesus fit ligni baiulus.
Iesus flentes solatus.
Iesus turbæ expositus.
Iesus expoliatus.
Iesus clauatus fortius.
Iesus sursum leuatus.
Iesus portentum omnibus.
Iesus altè affatus.
Iesus miris clarificus.
Iesus morte damnatus.
Iesus transfixus acrius.
Iesus infra delatus.
Iesus iunctus latronibus.
Iesus felle potatus.
Iesus clamans & anxius.
Iesus examinatus.
Iesus sepulchro conditus.
Iesus surgens beatus.
Iesus terrens exercitus.

Iesus cœlo leuatus.
Iesus princeps altificus.
Iesus orbi prælatus.
Iesus largitor spiritus.
Iesus iudex legatus.
Iesus princeps pacificus.
Iesus sponsus ornatus.
Iesus iudex æquissimus.
Iesus rex expectatus.
Iesus cunctorum Dominus.
Iesus desideratus.
Iesus alpha principium.
Iesus ô finis optatus.
Iesu purga nos à sordibus.
Iesu perlustra cogitatus.
Iesu perfectos fac virtutibus.
Iesu sacrosq; spira flatus.
Iesu defensa nos ab hostibus.
Iesu nosterq; sis ducatus.
Iesu à te sit mortalibus.
Iesu æternæ vitæ status.
O crux, frutex saluificus. vt supra.
Maria super omnes cœlos assumpta.
Maria variè adornata.
Maria in cœli statu præclara.
Maria dæmonibus terribilis, vt castrorum acies ordinata:
Maria nostri solicita pro nobis aduocata.
O Maria mater pia, filiorum sis solicita.
Recordare quæsumus nostri, dum steteris in conspectu Dei: vt loquaris pro nobis bona, qui tibi semper canimus,
Aue maria, &c.

DE COENA DOMINI, ET DE PRAEparatione ad recipiendum Euchariſtiæ venerabile Sacramentum.

CAPVT LIV.

INter cuncta Redemptoris noſtri memorialia, conſtat digniſsimum eſſe illud vltimæ cœnæ finale conuiuium: in quo ſeipſum in cibum & potum tradidit diſcipulis. Vnde interdum ſpiritualiter & deuotè, circa hoc mirabile Sacramentum tuas formabis meditationes. Conſidera igitur eius hîc ſtupendam humilitatem, quomodo ſcilicet Deus maieſtatis, cum illis ſuis pauperculis diſcipulis & etiam Iuda proditore ſuo in eadem menſa & ſcutella cœnauerit. Conſidera pedum lotionem: nam volens cordibus eorum exemplum humilitatis arctius imprimere, proſtratus ante eos, pedes humiliter lauabat. & quantæ charitatis & pietatis fuerit, eoſdem tam dulcibus colloquijs & verbis exhortatorijs confortare.

Sed ſuper omnia debes iugiter & maximè, cùm ad ſanctam communionem accedis, memoriam agere illius tam alti myſterij: quod ibidem fuit primitus inſtitutum. Nam poſtquam cum ſuis diſcipulis comedit agnum Paſchalem, & typicum, ſecundùm conſuetudinem Iudæorum: conſecrans ſuum ſacratiſsimum corpus, dedit eis ſeipſum verum agnum Paſchalem: quibus etiam dedit poteſtatem illud conſecrare, & alijs miniſtrare. O largiſsima magnificentia, ô largitas inaudita, ô exceſsiua charitas. Qui ſeipſum dedit, quid negare poterit? Quid vltra

potuit

potuit facere? Quicquid potuit pro nobis fecit: donauit omnia quæ habuit: dedit ſuum regnũ: dedit ſeipſum. Vnde & in hac cœna dicebat: Hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis, id eſt in memoriam eorum quæ adhuc carnem mortalem gerens pro vobis feci. pro vobis enim ſum illuſus, inhonorat⁹, & crucifixus. Circa quam commemorationem dicit beatus Hieronymus: Hanc vltimam memoriam nobis reliquit, quemadmodum ſi quis peregrè proficiſcens, aliquod pignus ei quem diligit relinquat: vt quotieſcunque viderit, poſsit eius beneficia & amicitias cõmemorare: quem ſi ille perfectè dilexit, ſine ingenti deſiderio vel fletu illud videre non poteſt: ideoq; ſaluator hoc tradidit Sacramentum, vt ſemper commemoremur, quia pro nobis mortuus eſt. Hoc igitur cùm accipimus à ſacerdotibus, commemoremur, quia corpus & ſanguis Chriſti eſt, vt nõ ſimus ingrati tantis beneficijs. Hoc ſacramentum ſuper omnia ſacraméta excellentiſsimum, ægris eſt medicina: peregrinantibus dieta: debiles confortat: valentes delectat: languores ſanat: ſanitatem ſeruat: fit homo manſuetior ad correptionem: patientior ad laborem: ardentior ad amorem: ſagacior ad cautelam: ad obediendum promptior: ad gratiarum actionem deuotior. Hoc etiam ſupercœleſte ſacramentum munit ſenſum, & in grauioribus peccatis reprimit penitus conſenſum. Si igitur poſt huius tanti ſacramenti ſumptionem non ita crebro feralibus motibus iracundiæ, inuidiæ, luxuriæ, & aliorum vitiorum te ſenſeris agitari,

age

age gratias corpori & sanguini Domini: quia virtus sacramenti operatur in te: & gaude, quia pessimum vulnus appropinquat sanitati. Aduerte tamen quòd effectus sacramentorum, solet esse secundum recipientium dispositionem, & præparationem. Iudas enim quamuis Dominicum corpus perceperit, non tamen prædicta munera participauit. Ideò ante sumptionem huius tam reuerendi sacramenti magnopere præparationi debitæ studendum est, vt tantum sacramentum digne valeas sumere: qui enim corpus & sanguinem Domini recipit indigne, iudicium sibi manducat, & bibit. Tria autem sunt quæ ad dignam receptionem huius sacramenti requiruntur:

scilicet, { Munditia corporalis. / Puritas spiritualis. / Deuotio actualis.

Munditia corporalis interdum est de congruo: interdum est necessariò requisita. Puritas conscientiæ siue spiritualis, præsertim à mortalibus criminibus est necessaria, & ideo attende vt ante huiusmodi sacramenti receptionem, habeas contritionem: & si fieri potest ante cõspectum Domini lachrymas fundas, quibus te abluas à commissis sceleribus, corde, ore, opere, & insuper bonis quæ facere omisisti. Vnde dicit beatus Gregorius: Operæpretiũ est cùm diuina ista mysteria agimus, ante Deum in cõtritione cordis nosmetipsos mactemus, hoc est, quòd peccatum non corpus mactes: qui enim mysteria Dominicæ passionis celebramus, debemus imitari quod agimus. Post hæc confi-

tere

tere omnia peccata tua, quorum conscientia te accusat: & præsertim notabilia, quæ omnia sunt confitenda: & de ignoratis te coram sacerdote fatere culpabilem. His autem duobus, scilicet contritione & confessione, abluis conscientiæ impuritatem. Tertium quod est actualis deuotio in te gignunt timor & amor: timor inducit reuerentiam; amor verò accendit desiderium, vel affectum. Accede igitur cum timore, & reuerentia. Attende quàm terribilis est mensa ista. Vnde cum debita diligentia, & diligenti vigilãtia ad eam est necessario accedendum: nam reuera in hac sacerdotali mensa præsens est Christus: & idem ille qui vltimam cœnã cum Apostolis celebrauit istam consecrat. non enim est purus homo, qui panem & vinum in corpus & sanguinem Christi conuertit; sed ipsemet Christus; qui pro nobis crucifixus est. verba ab ore sacerdotis proferũtur: sed diuina gratia, & virtute materiæ consecrantur. Quo igitur ausu ad illam mensam vbi præsens est Christus, tam intrepidus accedis, & audes filium Dei tangere, quem Ioannes Baptista veretur contingere? quẽ Petrus Apostolorum princeps præ formidine à se expulit, dicens: Exi à me Domine, quia homo peccator sum. Quem adorant dominationes: tremunt potestates.

Deinde considera, quòd iste quem sumis, tuus futurus est iudex. Time igitur accedere, si enim indignè & irreuerenter ipsum receperis, post tuam mortem iratum senties: cùm tribunali eius iudicãdus astabis. Aduerte quoq; quòd quamuis per millia millium annorum te prępa-

raueris

raueris creberrimis orationibus,&assiduis meditationibus, nihil esset ad cõdignam huius sacramenti sumptionem;etiam si omnium meritis sanctorum gauderes: quanto magis quòd tu indeuotus tepidus & impræparatus accedis.

Considera præterea eo modo quo dictum est tuam vilitatem,& te indignum reputabis: & sic congruam reuerentiam adipiscéris. Hoc autem potissime ad condignam huius tremendi sacramenti susceptionẽ valet, si in oculis tuis tibiipsi vilis appareas. Rursum debes habere desideriũ accedere ad hoc pretiosum sacramentum: sicut enim dicit Augustinus, panis iste requirit esuriem hominis interioris.

Affectum autẽ, quo ad hoc suauissimum sacramentum accedendũ est, diuersi diuersimode formant,quidam enim trahuntur ex desiderio vnionis cum Christo, vt eum quem eorũ diligit anima,intra semetipsos amplexibus astringant. Quidam alij trahuntur ex desiderio consequendi sanitatem à suis passionibus & vitijs: vt scilicet tanquam medicum trahant Christum ad seipsos, per quem ab omni languore animæ curari queant. Alios quosdam trahit delictorũ conscientia, quoniam hoc ineffabile sacramentum in remissionem peccatorũ est institutum. Trahit verò nonnullos amor,& compassio proximorum: vt per hoc tam acceptabile sacrificium subueniant viuis & defunctis.

Et vt tuum desiderium ardentius inflammetur & exercitetur, poteris diligẽter vitam Christi reuoluere.

Considera igitur quomodo vniuersos dolo-

res

res omnium ad se accedentium tulit, & omnes languores nostros ipse portauit: siquidem mulier immunda ad eum retro accedẽs sanata est. Peccatrix, eius pedes deosculans est mundata. Chananæa dũ importune eũ sequitur, exaudita est. Leprosi accedentes curati sunt. Dæmoniaci paralytici, & cuncta naturæ monstra, dum accedunt & credunt, salutem consequuntur: nam virtus de illo exibat, & sanabat omnes, Publicani & peccatores accedentes veniam promerentur: neq; eorum conuiuium despexit. Cùm igitur feceris quod in te est, accede cum fide & fiducia sperans de infinita Dei pietate. Debes adhuc ante huius dulcissimi Sacramenti communionem, passionem Dñi deuotissimè ruminari: quippe specialiter in memoriã Dominicæ passionis legitur institutum. Et si quæris in quo te potius affectu debeas exercere, an scilicet timoris & reuerentiæ, vel amoris & desiderij, hoc est an debeas secundum quod multi faciũt anhelo & ardenti desiderio, ad illud tam dulce sacramentum accedere: vel secundũ alios stimulo conscientiæ & prę timore attendendo huius sacramenti excellentiam, & propriam infirmitatẽ ab eius frequenti receptione abstinere. Ad hoc respondẽt Sancti vtrumq; affectum cõmendantes, & quòd relinquendum est cuiusq; cõscientiæ quòd sibi potius faciendũ videtur: Zachęus namq; festinauit, gaudens in domo sua Dominum recipere: Centurio vero suã contemplans vilitatẽ hoc recusauit, dicens: Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum: & vterq; fuit Dño acceptus. Vnum tamẽ omnibus securũ esse vide-

videtur, vt scilicet nec ex reuerentia timẽtes desiderium & spem excludamus, neq; rursum ex spe & desiderio reuerentiã, & timorẽ relinquamus: sed inter vtrumq; affectum ex vna parte confidentes, & ex altera metuentes inducamur illud recipere: ait enim B. Gregorius: Nihil enim nobis securius, quàm sub spe semp timere. Tamen si absolute loquamur, indubitãter affectus amoris potior est quàm timoris. sed quod absolutè melius est in casu fit, & est multis periculosius & deterius.

QVOMODO VIR DEVOTVS ET CONtemplatiuus, propter aliquos scrupulos eum molestantes, non debet ab huius tam saluberrimi sacramenti perceptione abstinere.

CAPVT LV.

COntingit interdum, vt volentibus ad hoc tam ineffabile mysterium accedere, adueniant ipso tempore aliquæ cogitationes de sua indignitate: & præcipuè videtur eis sua peccata minus benè fuisse cõfessos. Hoc secũdùm Gersonem potest prouenire ex dæmonis suggestione, vt impediantur à tanti boni participatione. Vnde isti debent considerare, quia nunquã viribus proprijs ad hoc poterunt dignificari, quãuis ad hoc per spatium centum annorũm insudarent: nisi eis ex speciali Dei munere cõcederetur, quod tamen donum æquè potest largiri Deus nũc, sicut post memoratũ annorũ spatiũ.

Debet vlteriꝰ considerare, quod in hac vita nemo potest scire infallibili & absoluta certitudine, se esse in gratia vel nõ, nisi hoc ei singulariter reuelare-

reuelaretur. Et reuera qui absq; huiusmodi certitudine nollet Euchariſtiã ſumere, ſeipſum deciperet: & videretur habere quandam ſuperbię ſpeciem.

Eſt alia humana, ſeu moralis certitudo, quæ in noſtro propoſito requiritur, & ſufficit: ſcilicet, cum quis in ſui recollectione & proprię cõſcientiæ diſcuſsione fecit, quod tunc ſua diſcretio, & ſanum ſeu prouidum aliorum conſiliũ iudicat faciendum: & hoc per tempus ad hoc ſufficiens, & cõmuniter reſeruari ſolitum. & ſi tunc non ſe nouerit eſſe in mortali, ſecurè & absq; periculo incurrendi nouũ peccatum mortale poterit ad ſacram accedere cõmunionem: etiam ſi vt ſæpè contingit, ſuperueniunt aliqua dubia leuia. & debet talia contemnendo vincere & contrarium eis agere, & ſeipſum ad hoc agendũ cogere. Leue dubium appello, cum alicui videtur, quòd aliquid ſit bonũ & iuſtũ, potius quàm malum & peccatum: licet habeat aliquas leues rationes, & cogitationes contrarias ei inducentes aliquid ambiguitatis non tamen tantæ, quin primum iudicium ſcilicet quòd ſit bonũ & iuſtum ſit longè certius: ita quòd ſi illud ad alium pertineret, nullatenus vacillaret neq; dubitaret. Veruntamen ſi maiorem certitudinem non habet vnius quàm alterius partis, debet abſtinere quouſq; aliorum vel ſuo conſilio, vel diuina inſpiratione per humilem orationem obtenta ad alteram illorum partium magis declinet. Et ſi hoc modo quis non accipit ſecuritatem, ſemper ſe iudicabit malè confeſſum, & nunquã habebit requiem, neq; ad pacem conſciẽtiæ poterit per-

uenire: quod nullo modo potest dici bonum. Omnia hæc sunt accepta à præfato Doctore in tractatu de diuersis tentationibus diaboli.

QVOMODO DOMINICA PASSIO *continet in se omnem perfectionem in hac vita homini possibilem.*

CAPVT LVI.

SCiendum est, quòd omnia perfectionis opera, quæ Redemptor noster docuit in Euángelio, ipse in semetipso in sua passione perfectissimè compleuit. Itaq; in cruce Domini est finis legis, & totius sacræ scripturæ: & in eius passione est summa totius perfectionis: & in eius morte est omnis verbi consummatio. Et ideo Apostolus Paulus dicebat: Non iudicaui me aliud scire nisi Christum Iesum, & hunc crucifixũ. Nam reuera frater hoc scire est omnia scire: quæ saluti expediunt. Si enim de voluntaria paupertate loquamur, quis autem pauperior Christo, qui nudus pependit in cruce, in qua non habuit vbi reclinaret caput suum? Si de obedientia & humilitate: quis aliquando humilior & abiectior filio Dei, qui factus est obediens vsq; ad mortẽ, mortem autem crucis? Si de virginali castitate, quis castior eo? cuius mater virgo est, & cuius pater fœminã nescit. Si de charitate loquamur: quis vnquã maiorem vel tantã charitatem habuit vt Christus, qui animam suã posuit pro amicis suis? Rursum si de patientia: omnis eius passio excellentissimè hanc demõstrat. Si verò de contemptu mundi, & à rebus mundanis elongatione: quis ita alienus à terrenis, sicut Chri-

Christus in cruce super omnia terrena exaltatus? Si de abstinentia & ieiunio & victus inopia, Christus non gustauit in passione sua nisi fel & acetum. Si de corporis castigatior : cuius vnquam corpus extitit castigatus corpore Christi in cruce pendẽtis? Si de efficacia orationis : quis vnquam Christo efficacius orauit, qui præ attentionis vehementia, guttas sanguineas sudauit? Si de largitione eleemosynarum, & de alijs misericordiæ operibus : quis vnquam largiorem impendit eleemosynam quàm idem Dominus, qui corpus suum in cibum & sanguinem suum in potum nobis pauperibus in perpetuam eleemosynam dedit? Visitauit rursum infirmos : quando infirma discipulorum corda roborauit, & complures infirmos curauit : & captiuos lymbi redemit. Mortuos à monumentis resuscitauit. Sed & si de dilectione inimicorum loquimur, in cruce pendens pro suis crucifixoribus orauit.

Si de iniuriarum remissione : quis libentius aliquando dimisit debita suis debitoribus, qui latroni non solùm peccata dimisit, sed etiam Paradisum promisit? Et similiter de alijs operibus similibus discurrendo per singula opera supererogationis : quæ omnia in passione Christi si diligenter attendimus, inueniemus supererogãter impleta. quæ etiam nos si cupimus Christum perfectè imitari, debemus adimplere vel opere, vel saltem desiderio ; & illa inspicere & ad exemplum eorum operari : vt fiat illud quod in Exodo Dominus dicit : Inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte

monstratum est. Et cum Redemptor noster in multis sacræ scripturæ locis, mons propter altitudinem suæ excellentissimæ perfectionis dicatur, præcipuè tamen dicitur mons in cruce exaltatus propter eminẽtiam merendi suæ sacratissimæ passionis. In hoc igitur monte, id est Christo crucifixo exemplum nobis monstratum est: vt diligenter & attentè illud inspiciamus, & efficaciter imitemur. Intuere ergo per visceralem compassionem exemplar Dominicæ passionis, in te eam incorporando, & efficacius imitando. Vnde sciendum est, quòd si omnia quæ Christus in hoc mundo pro nobis passus est, vellemus referre, essent innumerabilia: neq; totus mundus posset capere, qui de eis scribendi essent libri, vt dicit beatus Ioannes in fine sui Euangelij. Quia igitur omnia Saluatoris nostri scribere gesta minimè valemus, eius saltem glorioſissimam passionem morosè & deuotè contemplari assiduè conemur.

QVOD PASSIO DOMINI SEX MODIS est meditanda.

CAPVT LVII.

CIrca passionem Domini hoc modo se habere potest vir deuotus, & contemplatiuus. Primo contemplando eam ad imitandum. Secundo ad compatiendum. Tertio ad admirandum. Quarto ad exultandum. Quinto ad resoluendum. Sexto ad quiescendum. Primo dico quod debemus passionem Domini contemplari ad imitandum, eo quòd ipsa est altissima & perfectissima Christiana imitatio: & altissi-

tissima & perfectissima vita est Christum imitari: summa & perfecta religio, & religiosa perfectio: regula & exemplar omnis perfectionis vitæ & virtutis scilicet imitari Christum in sua morte & passione. Sit igitur nostra viuendi regula Christi passio: & tanto consolemur, quanto Christo magis conformamur. & tanto contristemur, quanto longius ab hoc exemplari & regula elongamur. Semper quantum in nobis est, quæramus ab omnibus conculcari, persecutionem pati, vilipendi, illudi, affligi, flagellari, & in diuinis officijs ab omnibus despici. Simus nudi cum nudo, nihil omninò habere cupiamus: immò habere aliquid sit nobis grauissima pœna, & dolor immensus, & in nulla re lætitiam capiamus. abhorreamus gustare dulcia & delectabilia, cupientes potius vilibus, & amaris refici: & appetamus vt omnes cibi potius nobis inferant felleum quàm saporem melleum: Christus enim felle & aceto potatus fuit. & vt breuiter dicam consideremus omnia, quæ pro nobis sustinuit, & quomodo se habuit in passionibus. in quantum possumus, ei conformemur.

Secundo, debemus contemplari Christi passionem, ad compatiendum & condolendum Christo, considera eius verba, & dolores, afflictionem cordis, nostram ingratitudinem, maternos dolores. Debemus considerare eius verbera, illusiones, & opprobria: & in corde nostro versare, & ruminare, quantum in hoc fuit eius opprobrium & contemptus; quantus dolor, quanta in corde afflictio, & in corpore tam ratione passionis, quàm ratione compassionis

noſtrorum peccatorum. Conſideremus igitur quanta amaritudine fuerit plenus Dominus, & dulcedo Angelorum. O quantũ ipſum torquebat nõ ſolum pœna illata, ſed etiam ingratitudo noſtra, & afflictio matris aſtantis: quam tam vehemẽter diligebat, & præ dolore & compaſsione pœnę deficere cernebat. Illic filius crucifigebatur cum matre, propter mutuã dilectionẽ, & propter compaſsionem eorum mutuam, erat vtriuſq; maxima afflictio, & pręſertim quia vterque ſciebat alterũ pro ſe pati. ſciebat enim mater filium pati pro ſe, ſicut pro alijs quos erat redempturus. ſciebat certiſsime filius quòd gladius eius per compaſsionem maternã animam transfigebat. Refoue quæſo iſta in animo tuo replendo eum illis iniurijs & pœnis, videns Dominũ & ſponſum animæ tuæ talia pro te perpeti. Nam ſi ei verè per amorẽ fueris vnitus, tunc ei compatiaris. ſi autem non ſentis doloré Chriſti qui eſt caput tuum, quomodo es vnũ cum illo? Et ſicut magis non patiendũ eſt capiti quàm cæteris membris, ita incomparabiliter magis compatiendum eſt Chriſto, quàm alicui amico, quantumcunq; dilecto, & etiam pluſquam tibiipſi, ſi omnia quæ prædicta ſunt ſufferres. Igitur dilectiſsime frater myrrha & aceto, quibus ipſe potatus eſt inebriemur, & ſolum eius vulnera ſentiemus: & transfigant viſcera noſtra eius opprobria, vulnera, & flagella: & nihil in nobis ſit, quod compaſsionis dolore non repleatur, & largiter non affligatur.

Tertiò, contemplari debemus Dominicã paſſionem, ad admirandum. Nam ſi conſideremus

quis,

quis,quæ,pro quibus,& à quibus passus fuit,vehementer stupere debemus. Quis scilicet filius Dei verus summè potens, sapiens, & bonus,& simpliciter quicquid nobilitatis ei attribueris, nihil est ad illū. Omnia quæ sunt quantūcunq; sint bona & magna, ad tuum dilectū sunt quasi quædā scintillula. Quæ passus est peregrinationem,exilium, famē,sitim,calorem,frigora,tentationes,terrores,persecutiones, insidias, sputa, opprobria,vincula,verba,illusiones, dolores, vulnera: gloria conspuitur,iustitia condemnatur,iudex adiudicatur,qui nunquā offendit, inculpatur; innocens diffamatur: Deus blasphematur: Christus conculcatur: vita moritur:sol obscuratur: luna denigratur: stellæ spargūtur. Et hæc omnia sustinet patienter, quasi agnus: cum omnē creaturam posset solo nutu mittere in abyssum gehennæ.

Pro quibus,passus est,pro nequissimis seruis, pro sceleratissimis inimicis: & adhuc pro diabolicis viris: pro filijs dæmonum imitatoribus, pro diuinæ maiestatis contemptorib⁹,& diuinæ bonitati ingratis. Attende quòd talis & tantus, talia & tanta,pro tam vilissimis passus est.

A quibus passus: à specialiter dilectis & prę-electis: quibus omnem ostendit benignitatem. altissimus à vilissimis, à stultis sapientissimus, à teterrimis & fœdissimis diuinus splendor.In omnibus igitur his subleuemur in stuporem diuinæ bonitatis & largitatis.

Quarto debemus contemplari passionem Domini ad exultandum. Debemus quippe in ea lætari,

propter { Redemptionem humanam, Restaurationem angelicam, Diuinam clementiam.

De redemptione humana patrata per Dominicã passionem, sine dubio multũ debemus gaudere. Quis non gaudebit & exultabit, videns se liberatum per hanc benedictam passionẽ à damnatione æterna, à culpæ ignominia, & à potestate diabolica? Sed & quis nõ in immensum exultabit, videns se tantum à Deo amari, vt tantæ seipsum propter eum subderet vilitati & pœnalitati? Non dico quòd gaudeat de eius vilificatione vel passione, sed de eius fructu, & de diuini amoris manifestatione.

Quis princeps in regno vel imperio alicuius Imperatoris, vel Regis, videns se tantum à Rege vel Imperatore amari, vt esset pro eo mori paratus, non ne gauderet & exultaret? Quanto magis nos vilissimi homines, nefandissimi peccatores, & serui inutiles, debemus gaudere & exultare, cùm videamus Regem regum & Dominum dominantium, & creatorem nostrum ita nos incessanter amare, vt seipsum nobis per turpissimam & ignominiosissimam mortem Deo patri in sacrificium obtulerit? Debemus etiam immensa lætitia exultare, eo quòd plus nos diligit quàm nosipsi. Rursum gaudendum & exultandum nobis est, quia per DOMINI passionem videmus reparatam Angelorum ruinam. Vehemens nobis debet esse lætitia, cùm videmus esse per CHRISTI mortem, de nobis tam nobile collegium reparari: & quod fiat vnũ ouile & vnus pastor, & simus simul

mul vnum. In hoc etiam debet gaudere cœleſtis curia, & militans Eccleſia. O verè amabilis & reuerendiſsima paſsio Saluatoris, quę diſtantia ita cõiungis, ſeparata ita fortiſsimè vnis, & vinculo conſummati amoris & felicis gaudij in æternũ amplecteris. Potiſsimè autem debemus gaudere & exultare, cernentes in omnibus ſupradictis altiſsimam Domini & Saluatoris noſtri clementiam. Hoc æſtimo eſſe altiſsimam gloriam iuſtorum, tam hominum, quàm Angelorum, ſcilicet quanto intimius & profundius Dei clementiam & beneuolentiam, & immenſitatem bonitatis eius contemplantur. Et vbi lucidius apparet diffuſio diuinæ bonitatis, & benigniſsimæ clementiæ dulciſsimi & amantiſsimi Patris & Domini noſtri Ieſu Chriſti, quàm in eius paſſione: in qua tanta & talia tam turpia & grauia voluit ſuſtinere, vt liberaret & glorificaret inimicum ſuum, immo quandam vanitatem dignam morte æterna? In hoc gaudium ingrediatur homo, & reficiatur magnificentia diuinæ benignitatis. Accedat homo ad cor altum, & in corde ſuo exaltet excellentiſsimam, & ineffabilem clementiam Ieſu Chriſti Redemptoris noſtri crucifixi.

QVINTO, dominica paſsio eſt conſideranda ad reſoluendum corda noſtra, & ad perfecte in eum transformandum. quod fit cùm homo non ſolum imitatur, compatitur, admiratur, & exultat, ſed etiam totus in Ieſum Chriſtum Redemptorem noſtrum conuertitur, ita vt iam ſemper, & vbiq; appareat ei crucifixus. Et adhuc homo tunc in ipſum reſoluitur, vel liquefit, cum

factus extra se, & super omnia positus, & etiam supra se, segregatus ab omnibus totus conuertitur in Dominum suum crucifixum, in tantum quòd nihil videt vel sentit intra seipsum, nisi Christum crucifixum, illusum, inhonoratum, & pro nobis passum.

SEXTO, debemus contemplari passionem Christi ad quietem, & internam dulcedinem. quod fit cum homo resolutus & liquefactus, prout diximus, sitiens, non cessat in corde versare ipsam Domini passionem: & ingressus prout valet in eius thesaurum, humiliter & deuote liquefit deuoto amore, & feruenti deuotione deficit à seipso, & quiescit in Christo crucifixo. & quanto ei plus adhæret, tanto magis deuotissimo amore, in seipso deficit & resoluitur. & quanto à se ipso deficit amore & deuotione, tanto fortius adhæret dilecto suo, pro se mortuo, & magis quiescit in eo. Itaque se mutuo augent adhæsio amoris, & deuotio; donec sponsa tota absorbetur ab illo camino igneo amoris passionis sui dilecti: & sic in amplexibus sponsi dormiens quiescit, qui clamat dicens: Adiuro vos filiæ Hierusalem, ne suscitetis neq; euigilare faciatis dilectam, quoadusq; ipsa velit, &c. Ruminabis igitur Domini passionem ad colligendum ex ea hos affectus ad purgãdam & inflammandam colligentem Compassionem, ad vnionem & amorem: Admirationem, ad mentis eleuationem: Gaudium & exultationem, ad cordis dilatationem: Resolutionem, ad perfectam cõfirmationem: Quietem, ad deuotionis conseruationem. Sed vt facilius possis ipsam passionẽ con-

contemplari, diuidentes eam in aliquot breues partes, eam hîc ponemus, prout colligitur ex sacro Euangelio.

DE DOMINI PASSIONE IN SEX partes diuisa: & primo de quodam breui modo ad facilius eam meditandum.

CAPVT LVIII.

SCiendũ quòd in contemplando Christi passionem, vt hoc facilius peragere queas & vtilius, debes in ea tria considerare:

scilicet { Factum. / Modum. / Caussam.

Et ad hæc tria est semper respiciendũm in passionis contemplatione.

Factum dicimus: vt cum fuit captus, ligatus, colaphizatus, alapis cæsus, flagellatus, &c. quæ debes deuotè contemplari.

Modus, est gestus & humilitas, quam ostendebat: & præsertim, cum coram iudicibus præsentabatur: hoc est, inclinato capite & oculis in terram defixis. Quomodo proferebat illa verba tam humiliter, quàm mansuete, & quàm suauiter propter vocis suauitatem. & si hominem quempiam ita dulciter audires loquentem, ingenti afficereris voluptate: nam eius vox non erat minus dulcis quàm facies decora.

Contemplari etiam debes modum, quem interius habuit. manifestum est enim quòd interius gerebat maximam humilitatem, non inuidens, neq; irascens aliquatenus contra Pilatum, neque

neque contra Iudæos: sed viscerosè eis compatiens.

Circa tertium debes considerare, quòd tu es causa suæ passionis: nam passus est propter

tuam { Redemptionem. Illuminationem. Iustificationem. Glorificationem.

Et considera hoc beneficium, ac si pro te solo passus fuisset Christus. Et similiter in his quæ legeris & cogitaueris, cogita ac si diceret Christus: Hoc feci pro te, vt tu sequaris vestigia mea, & fias humilis & patiens, & accipiens crucem tuam me sequaris.

Igitur in opere, debes meditari Domini patientiam: in modo, eius humilitatem: in causa, eius ardentissimam charitatem. Et non solum debes contemplari in Christo prædictas virtutes, sed imitari eas operando, hoc enim est quod maxime tuus dilectus desiderat. Et nota quòd in cõtemplando passionem hoc modo, semper debes Christum considerare non solum hominem, neque Deum solum, sed vnam personam, quæ est Deus & homo verus.

PRIMA PARS.

DOMINICAE PASSIONIS.

IGITVR celebrata illa solenni & regali Cœna, Christus Deus & homo surrexit: & cœpit ire cum discipulis suis ad mortem. Cogita nunc quàm dulcibus verbis loquitur eis de sua passione, docens eos, & præueniens dicendo: Percusso pastore dispergentur oues gregis. Rursum

sum Petro: Antequam gallus cantet ter me negabis. Ista trahens ad sensum literalem, ante omnia reuerenter & pia dulcedine contemplare vt prædiximus, personam Christi, Deum esse simul & hominem, & ea quæ facit & loquitur, diligenter & reuerenter cum quodam stupore & pietate audi & intuere. Deinq; ad vtilitatem & profectum tuum & morum tuorum informationem diligenter considera, quàm dulciter illa verba protulit, & quàm benigné se habuit: & quàm benigno colloquio eos admonuit. Quantum præterea interius fuit plenus mœstitia, & contristatus de morte sua tam vicina. Vlterius tertio cogita, quomodo ob tuam redemptionem incipit ad passionem ire, & pro te immolari, compungendo te ad lachrymas & deuotionem.

Et ista & similia in corde tuo versabis respiciendo ad illa tria, quæ præmemorauimus scilicet factum, modū, & causſam. neq; enim in qualibet passionis particula memoranda sunt.

Consequenter relictis aliis discipulis, assumpsit secū solos tres præcipuos, quibus alloquens, dixit: Tristis est anima mea vsq; ad mortem. Et dimittens eos subiit solus in montem orare. Vbi post trinam orationē tanto fuit imminentis passionis timore affectus, vt præ eius magnitudine sudor eius factus fuerit, sicut guttę sanguinis decurrentis in terram: quod de alio nemine, quantumcunq; afflicto legitur. Considera quomodo tunc apparuit ei Angelus confortans eum. Et confestim surgens ab oratione, licet vehementer adhuc pœnam formidaret, exiit obuiam inimicis

micis suis: qui vno soloverbo audito ab eo, mox ceciderunt in terram quasi mortui. Quomodo ei Iudas osculum dedit, & ipse patientissime tulit. Attende quàm crudeliter Iudæi eum apprehenderunt, ligauerunt, & traxerunt: & omnes eius discipuli eum deserentes fugerunt. Intuere quomodo eum primo deduxerunt in domum Annę: vbi grauiter à quodam seruo nequissimo, in sua speciosissima facie percussus fuit. Debes nunc cõtemplari, vt iam præmissum est, quis est hic qui tam opprobriose & irreuerenter tractatur? Et te ei subiiciens per rationis consensum, crede & cogita eum vere esse filium Dei: principium omnium: saluatorem hominum & retributorem omnium. Et hæc quo ad primam partem

SECVNDA PARS
DOMINICAE PASSIONIS.

QVANTVM ad secundam partem considera quomodo Dominus trahitur ità crudeliter & inhumanè de domo Annæ ad domum Cayphæ, vbi eum scribę, sacerdotes, & Pharisæi inuidia pleni præstolabãtur. Et quomodo per Caypham adiuratus, veritaté dicens, fuit multipliciter percussus, tanquam falsò nomen sibi attribuens diuinum. Quomodo velantes faciem eius percusserunt, conspuerunt, & illuserunt eum quærentes contra eum falsos testes: quia veri inueniri nequibant. Quomodo negatur à Petro, qui se cæteris credebat fortiorem: quem cum respexisset Dominus, memor sui delicti, fleuit amarè. Cogita quomodo statim summo

summo mane trahitur per plateas ad iudicem, vt eum ad mortem condemnaret. Videns autem Iudas quòd ad mortem peteret, tantum in se doluit quòd tam dulcem magistrũ suum tradidisset, vt seipsum præ amaritudine & dolore laqueo suspenderet, & retulit triginta argenteos: quibus emptus est ager, iuxta Hieremiæ vaticinium. Quomodo deinde multis clamorib⁹, falsis accusationibus, concurrente tota populi multitudine, est coram populo accusatus. Missus & ductus per plateas ad Herodem, ab eo vt stultus irridetur. Hic diligentissime considera qualis est, qui patitur, & ei configurare, vt compatiaris

Innocentissimo.
Mitissimo.
Nobilissimo.
Amantissimo.

TERTIA PARS.

QVANTVM ad tertiam partem attende quomodo stante Iesu humilimè coram Pilato præside, magnus tumultus, & clamor validus inualuit, clamantibus Iudæis: Crucifige crucifige. Nos legem habemus, & secundum legem nostram debet mori. Tunc Pilatus Christum fecit per totum corpus, durissime flagellari: & in figura Regis tanquam se illicitè Regem nominasset, multipliciter illuditur, ac chlamyde grauiter verberatur; vt Rex genibus flexis irrisoriè adoratur.

Hic frater diligenter attende modum, quo Christus se habuit. Quomodo Pilatus sedés pro tribu-

tribunali tanquam Dominus foret Christi Domini & iudex eius, Nescis inquit, quia potestatem habeo dimittere te, & potestatem habeo crucifigere te. Attende modum quo Iudęi se habuerunt; considera causſam, cur hæc omnia Christus sustinuit propter te redimendum.

Iterant & multiplicant clamores Iudæi, Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Crucifige, crucifige, &c. Tunc Pilatus timore Cæsaris victus, tradidit eis Christum crucifigendum. Exiens autem vt crucifigatur, ipse suum portat patibulum, latronibus associatus. Sequentibus autem se mulieribus, cum ingenti dolore ait: Nolite flere super me, &c. Considera autem quantus & quàm glorioſus Rex cœli & terræ, & Dominus Sabaoth sit iste qui sic irridetur, qui illuditur in figura Regis. & egredere obuiam ei, intuens eum cum ingenti admiratione. & attende quomodo est

Immensus
- Potestate.
- Speciositate.
- Felicitate.
- Æternitate.

Admirare igitur
- Maiestatem annihilari.
- Speciositatem decolorari.
- Felicitatem tormentari.
- Æternitatem mori.

QVARTA PARS.

IN hac quarta parte contemplare quomodo ducto Domino in montē Caluariæ, incipiunt se lictores disponere ad crucifigendum, exuendo Christum vestibus: & sic de singulis. Cogita tu

ta tu diligentiſsimè modum crucifixionis. Primo crucem erexerunt, & manus & pedes eius cruci affigentes, iuncturas membrorum crudeliſsimè diuaricauerunt. Aduerte quoq; eius indicibilem patientiam & modum quo ſe habuit.

Rurſum poteris & alio modo hanc crucifixionem meditari ſcilicet quòd crucem in terra ponentes, ipſo Domino libenter manus & pedes expandente, primo eum cruci affixerunt: & deinde erexerunt.

Reſpice deinde eum in cruce lachrymantem, & pro ſuis crucifixoribus orantem, quomodo blaſphematur à prætereuntibus Phariſæis, & ab iniquo latrone. Et quomodo in vertice crucis veriſsimus titulus ſcribitur: Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum. Conſpice virginem benedictam matrem eius glorioſam, ſub cruce ſtantem doloribus plenam: quæ vtiq; tanto ampliorem habuit dolorem, quanto feruentiorem habuit amorem.

Attende quomodo matrem ſuam Ioanni cõmiſit. & factæ ſunt deinde tenebræ per totum mundum. Et quomodo Dominus voce magna clamauit & dixit: Eli, Eli, lama zabathani, hoc eſt; Deus meus, Deus meus vt quid me dereliquiſti? In quibus verbis oſtendit quanta ſua foret pœna: quaſi humanitas à diuinitate quodãmodo derelicta eſſet, non verè, ſed per modum loquendi. Adhuc intuere attentè quomodo ei ſitienti dederunt bibere acetum felle miſtum. Et quomodo impletis omnibus clamans voce magna emiſit ſpiritum: oſtendens per hoc, quòd quandiu voluit, vires ſibi retinuit: & quòd nul-

lus animam à se tolleret nisi eam ipse poneret. Vnde præcipuè Centurio ex hac voce motus, dicebat; Vere filius Dei erat iste.

Et hîc considera modum, quo passus est.

Passus est enim sicut verus agnus.

Liberalissimè respectu proximi.

Seuerissimè respectu sui.

Obedientissimè respectu Patris.

Prudentissimè respectu aduersarij.

Stude igitur ad habendum habitum, secundum effigiem imitationis Christi, ita quòd ex cõsuetudine patiendi, pro eo habitus virtutum obtineas, scilicet benignitatis, seueritatis, humilitatis, & patientiæ, & cæterarum virtutum. Et hæc quo ad quartam partem sufficiant.

QVINTA PARS.

CONTEMPLARE in hac quinta parte quomodo mortuo Christo in cruce, venit Longinus cum aliis militibus, & confringunt crura latronum: & cum veniissent ad Christum & inuenissent iam mortuum, nõ fregerunt eius crura, vt prophetia impleretur: quæ ait: Os non minuetis ex eo. sed prædictus Longinus lancea latus eius aperuit: vnde sanguis & aqua exiuit, & sic Ecclesiæ Sacramenta consecrauit. Velum templi tunc scinditur in duas partes, à summo vsq; deorsum. Sol obscurauit & tenebræ factæ sunt in vniuersam terram: terra tremuit: petræ sciissæ sunt: monumenta aperta sunt; vt in die Resurrectionis cum Domino resurgerent corpora Sanctorum, ibi quiescentia. Attende bene hîc, quanta pro te Dominus passus est: & ex

desiderio passionis, crucē amplectere. Ita quòd sicut Dominus passus est iniurias, opprobria, irrisiones, & supplicia, ita tu passionem Dñi imitando, amplexeris pro eo omnē passionem, iniurias, probra, illusiones, & cruciatus. Et hæc quantum ad quintam partem sufficere credo.

SEXTA PARS.

NOTANDVM quod Christi passio, non solum reformat memoriam per deuotam meditationem, neq; solum inflammat affectum per deuotionem, sed magnopere illuminat intellectum ad veritatis cognitionē. In vniuersitatis enim cognitione, septem erant clausa ante Christi passionem, quæ in ea sunt aperta. De quibus potest intelligi illud Apocalypsis, Aperta sunt septem sigilla:

quæ sunt
- Deus mirabilis.
- Spiritus intelligibilis.
- Mundus sensibilis.
- Paradisus delectabilis.
- Infernus horribilis.
- Virtus laudabilis.
- Culpa vituperabilis.

Primum sigillum quod est Deus mirabilis, in passione Christi fuit apertum: quia in sua passione ostendit se esse summam sapientiam in eo quòd tam sapienter fefellit diabolum, nolens eum sua infinita potentia opprimere. Rursum ostendit se esse summam iustitiam, in quantum quæsiuit pretium nostræ redemptionis. Summā præterea misericordiam; in eo quòd pro nobis proprium tradidit filium.

Secundum sigillũ fuit spiritus intelligibilis: & hoc etiam fuit apertum per Christi passionẽ; in quantum per eam apparuit, quantæ benignitatis sunt Angeli, qui Christum Deũ suum crucifigi permiserunt: quantæq; dignitatis sunt homines, qui Christum eorum amore pati coegerunt: atq; quantæ crudelitatis dęmones, qui Deum suum tali morte mori fecerunt.

Tertium sigillum quod est mundus sensibilis, fuit reseratũ per Christi passionem; in quantum probatur esse locus tenebrarum, in quo regnat cæcitas: non enim veram lucem cognouit. Regnat etiam in eo sterilitas, eo quod Christum infructuosum putauit. Similiter regnat impietas: quia innocentem damnauit.

Quartum sigillum est paradisus, qui per crucẽ ostenditur esse locus plenus gloriæ, lætitiæ, & abundantiæ: cum Christus propter eius restitutionem factus est vilis, pauper, & miserabilis.

Quintum sigillum, scilicet infernus terribilis per Christi mortem, ostensus est esse locus omnis egestatis, vilitatis, & paupertatis. Si enim Christus prædicta tria sustulit vt destrueret peccatum, multo magis debent ea pati damnati in iustam retributionem suorum scelerum.

Sextum sigillum est virtus laudabilis, qui per crucem Christi manifestatur esse pretiosa, speciosa, & fructuosa. Pretiosa: quia Christus maluit vita priuari, quàm virtuti aduersari. Speciosa: quia fulget in eius opprobriis. Fructuosa: quia solum vnus perfectus actus virtutis expoliauit infernum, aperuit cœlũ, restaurauit perditum.

Septimum quoque sigillum fuit apertum, in quantum

quantum apparuit peccatum quàm sit detestabile & culpabile: ad cuius remissionem fuit opus tanto pretio, tam ingenti remedio, & tam difficili medicamento. & hæc quo ad sextam partem dicta sufficiant.

QVOMODO CONTEMPLATIVVS IN contemplando debet semper memor esse passionis Dominicæ, ne deuotionis feruor extinguatur.

CAPVT LIX.

QVoniam feruor deuotionis creatur, & conseruatur in nobis, per iugem Dominicæ passionis memoriam, vt ait Seraphicus Doctor sanctus Bonauentura in tractatu de Perfectione vitæ debet semper studere contemplatiuus, vt habeat assidue ante oculos cordis sui Christum in cruce morientem, vt in se conseruet deuotionem & non extinguatur. Et idcirco dicit Dominus in Exodo: Ignis in altari meo nunquam deficiet: quem nutriet sacerdos subiiciens ligna per singulos dies. Altare Dei est cor tuum, in quo semper debet ardere ignis feruentis deuotionis. ad eius conseruationem & augmentum apponendum est lignum crucis, & iugis Dominicæ passionis memoria habenda. Et hoc est, quod Propheta Esaias ait: Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. id est, quicunque desiderat aquas gratiarum, aquas deuotionis, & aquas lachrymarum, hauriat de fontibus Saluatoris. hoc est, de Christi vulneribus. Accede igitur affectionum pedibus ad Iesum vulneratum:

tum:ad Iesum spinis coronatum:ad Iesum ligno Crucis confixum:& cum Apostolo Thoma non modo mitte manum tuam in latus eius, sed totus per illud ingredere vsque ad cor eius: & illic per ardentissimum amorem dilecti sui crucifixi totus in ipsum transformatus, diuini amoris clauis confixus, præcordialis dilectionis lancea transfixus, & intima compassione vulneratus, nihil aliud quæras, nihil aliud desideres, in nulla alia re consolari appetas, nisi vt Christo valeas in cruce commori: vt cum beato Apostolo Paulo possis exclamare: Christo confixus sum cruci; Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Christus. Hoc igitur modo debes habere passionem in memoria, & contemplari quod passio eius,

fuit { Ignominiosissima. / Acerbissima. / Generalissima. / Diuturnissima.

Primo considera quòd fuerit ignominiosissima passio Christi sponsi animæ tuæ, quia fuit crucifixus quasi fuisset latro vel prædo. nullie-nim criminosi in lege, tali mortis genere mulctabantur, nisi pessimi & sceleratissimi, vt latrones & prædones. Considera & alteram ignominiam Christi maiorem. fuit enim crucifixus in loco turpissimo & fœtidissimo, scilicet in monte Caluariæ, vbi erant multa criminosorum cadauera, & ossa fœtida. quia ille locus erat talibus criminosis occidendis deputatus. nam ibi decollabantur & suspendebantur in patibulis homines nequam, & sceleratissimi. Sed & con-

sidera

sidera aliud non minus dedecus: quia inter latrones, tanquam latro: quinimmo in medio eorum tanquam princeps latronum crucifigitur. Vnde dicit Esaias: Cum sceleratis reputatus est. Contemplare vlterius quomodo ad augmentum dedecoris, in aëre ponitur: & inter cœlum & terram suspenditur, quasi indignus viuere, vel mori in terra.

O indigna indignatio, & iniuria, vt mundi Dominum vniuersus negauerit mundus: nihil à mundo mundi Domino vilius reputatum est.

Mors igitur filij Dei, fuit ignominiosissima ex mortis qualitate: quia crucifixus, ex commorientium societate: quia cum iniquis deputatus, ex loci fœditate: quia in fœtido caluariæ monte positus.

O bone Iesu, ô benignissime Saluator, quàm non semel tantum, sed sæpissime confunderis: quanto autem quis in pluribus locis confunditur, tanto mundo contemptibilior reputatur. O Domine in horto apprehenderis, & vinciris. In domo Annæ colaphizaris. In æde Cayphæ conspueris. In aula Herodis illuderis, Crucem sacris tibi humeris baiulans, in Caluariæ monte crucifigeris. Proh dolor, libertas captiuorum: gloria Angelorum: vita hominum occiditur. O infelicissimi Iudęi quàm bene compleſtis, quod quondam spopondistis, dicentes: Morte turpissima condemnemus eum. Et Bernardus dicit: Exinaniuit semetipsum formam serui accipiēs, vt subesset: filius erat, & seruus efficitur. Non solummodo formam serui accepit, vt subesset, sed & mali serui, vt vapularet, & pœnam solueret

cum reus non esset. Et non modo seruus seruorum Dei, sed fit quoq; seruus seruorum diaboli. Neq; hoc ei suffecit, sed & elegit mortem, omni morte ignominiosiorem. Humiliauit enim semetipsum, factus obediens vsq; ad mortem omni plenam dedecore.

Debes secundo deuotè attendere passionem Domini, quàm fuerit acerba. non enim permisit Dominus, vt sua membra in cruce aliquid solatij reciperent eorum, quæ anxiis cordibus doloris leuamen esse solent. Neq; illud tam reuerendum tanq; diuinum caput, habuit vbi se reclinaret, cum in cruce spirauit.

Contemplare vlterius quàm acerba fuerit Christi passio: quanto enim quis est delicatior, tãto in patiendo eius dolor est acerbior. Et quia nunquam fuit tam delicatum corpus Christi, nã eius caro fuit tota virginea: id est de Spiritu sancto concepta, & de virgine nata, ideo eius passio fuit cæterorum omnium passionibus acerbior. Si enim Christus in sola mortis memoria, in anima sua præ carnis teneritudine adeo fuit afflictus, vt sudor sui sacratissimi corporis esset sanguineus, in terram decurrẽs: quanto vehementius affligeret eum pœna in gustu amarissimæ mortis, & passionis? Super quo dicit B. Bernardus: Angustias tui corporis Domine Iesu certissime indicabat sudor ille sanguineus, qui orationis tempore de sua sanctissima carne decurrebat in terram. Quid fecisti dulcissime puer, vt ita tractareris? Quid commisisti amantissime iuuenis, vt ita iudicareris? Ecce ego sum causa tui doloris: ego plaga tuæ occisionis.

Adhuc

Adhuc vide frater diligentius, quàm amara mors Christi fuerit. Quanto quis innocentior, tanto pœna ad tolerandũ grauior. si enim Christus propter peccata sua pœnam sustinuisset, aliquantulũ ei tolerabilior fuisset: sed ipse peccatum non fecit, neq; inuentus est dolus in ore eius. Et hoc ipsum testatur Pilatus dicens: Ego nullam causam mortis inuenio in eo. Ipse enim est candor lucis æternæ, & speculum sine macula, & imago diuinæ maiestatis & bonitatis; sicut scribitur in libro Sapientiæ.

Considera adhuc plenius, quàm fuerit pœnalis mors sponsi tui Iesu Christi: quanto generalior, tãto pœna acerbior: Christus autẽ sponsus tuus, passus est in omni parte corporis sui sic, quòd nullum ita paruum membrũ in eo esset, quin pœnam haberet. nullus ita modicus locus, quin repletus esset amaritudine. à planta pedis vsq; ad verticem, non fuit in eo sanitas. Vnde præ doloris vehemẽtia clamauit dicens: O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte dolorem meum. Reuera Domine Iesu Christe, nunquam fuit dolor similis dolori tuo: tanta enim fuit doloris tui effusio, vt totum corpus tuũ sanguine aspergeretur. O bone Iesu, ô dulcissime Domine, non gutta sed vnda sanguinis ita largiter per quinq; partes corporis tui emanauit, de manibus tuis in crucifixione, in capitis coronatione, de toto corpore in flagellatione, de ipso corde in lateris apparitione. Neq; mirũ si nec gutta sanguinis in te remanserit. Dic mihi queso mi dilectissime Domine, cum vna sanguinis tui gutta ad totius mundi redemptionẽ suf-

ficere potuisset, cur tantum sanguinẽ de corpore tuo effundi permisisti? Scio Dñe & verè scio, quod non propter aliud fecisti, nisi vt ostenderes quanto affectu me diligeres. Quid igitur retribuã Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Certe Domine quandiu vixero, memor ero laborum tuorum, quos sustinuisti in prædicando; fatigationum in discurrendo; vigiliarum in orando; lachrymarũ in compatiendo, dolorũ, conuiciorum, sputorum, colaphorum, subsannorum, clauorum, vulnerũ: alioquin requiretur à me sanguis, qui effusus est super terram. Quis igitur dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, vt possim flere die ac nocte mortẽ Domini mei Iesu Christi, quam non pro suis, sed pro meis peccatis sustinuit? Vulneratus enim est ꝓpter iniquitates nostras: attritus est propter scelera nostra, sicut dicit Esaias Propheta.

Continuatio prædictæ materiæ.

Vlterius cõsidera diligenter, & attende, quia mors & passio Christi fuit diutina: à prima enim die natiuitatis suæ vsque ad vltimum diem mortis suæ, semper fuit in passionibus & doloribus: sicut ipse testatur per Prophetam dicens: Pauper sum ego, & in laboribus à iuuẽtute mea. Et alibi dicit: Fui flagellatus tota die, id est, toto tempore vitæ meæ. Adhuc aliter considera, quàm morosa fuerit passio Christi: vt pœna eius diutius duraret: vt dolor non cito finiretur: vt mors protraheretur: & sic morosius cruciaretur, & durius vexaretur.

Ex his omnibus quæ dicta sunt colligere poteris

teris,quàm probroſa,quàm doloroſa, quàm vilis,quàm moroſa fuit mors & paſsio dilecti tui Ieſu. Et hæc omnia ſuſtinuit,vt ad amorẽ ſuum te accenderet: vt pro omnibus his toto corde, tota anima, tota mente ipſum diligeres. Quid enim beneuolentius, quàm quod Dñs propter ſerui ſalutem,accipiat ſerui formam? Quid potius informat hominem in ſalutẽ,quàm exemplum tolerandi mortem,propter iuſtitiam & obedientiam diuinam? Quid vero hominẽ magis incitat ad diligẽdum Deum,quam tanta benignitas, quòd pro nobis filius Dei altiſsimus, abſq; meritis, immò cum multis noſtris demeritis,poſuerit animã ſuam? Hoc tantæ benignitatis eſt,vt nihil clementius,nihil benignius,nihil amicabilius cogitari poſsit. Hæc benignitas tanto oſtenditur maior, quanto pro nobis grauiora & abiectiora dignatus eſt ſuſtinere. Deus enim qui ꝓprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo nõ cum illo omnia nobis donauit?Ex quo inuitamur ad ipſum amandum, & amatum imitandum. Væ igitur illis,qui tantę benignitatis beneficijs ſunt ingrati,in quorum animabus núllũ mors Chriſti habet effectum. Vnde inquit B. Bernardus: Vide caput Chriſti inclinatum,ad te oſculandũ: manus perfoſſas ad largiendum: latus apertum ad diligendum: totius corporis extenſionẽ ad ſe totum impendendum.

Væ iterũ illis, qui ſuis peccatis rurſum Chriſtum in ſemetipſis crucifigentes,ſuper dolorem vulnerũ eius dolorem adijciunt. Sed vę tertiò illis, quorũ corda ad planctũ emolliri nequeunt:

neque

neq; ad beneuolentiam prouocari,& ad boni operis virtutem inflãmare, non valet tanti sanguinis asperſio,tanti pretij effuſio, tantæ dignationis magnitudo. Certe iſti tales inimici crucis Chriſti,plus Dei filium hodie ad dexteram Dei patris in cœlis ſedentem crucifigunt, quã olim fecerunt,qui in crucis patibulo eum ſuſpenderunt. Ad tales, & de talibus Dominus conquerendo per B. Bernardum loquitur, dicens: O homo vide quid patior pro te, ſi eſt dolor ſicut quo crucior: ad te clamo,qui pro te morior:vide pœnas quibus afficior, vide clauos, quibus confodior: & cum ſit tãtus interior & exterior, planctus eſt grauior,cum te ſic ingratum experior. Caue tibi, caue, ne tanto ingratus exiſtas beneficio,ne tãto pro te dato indeuotus ſis precio,ſed pone Chriſtum crucifixum vt ſignaculum ſuper cor tuum: vt ſicut ſigillum in cera molli imprimit figurã, ſeu imaginem ſuam, ſic imprimas tu eum cordi tuo: & dicas cum Propheta: Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens. Pone eum etiam vt ſignaculum ſuper brachium tuum: vt videlicet nunquam deſinas operari: nunquam deſinas laborare pro nomine Ieſu,ſed cum operatus omnia fueris,tunc incipe quaſi nihil feceris. Si autem aliquando aliquid triſte,aliquid graue, aliquid tædij, aliquid amaritudinis acciderit, vel certe ſi aliquod bonum deſipuerit,ſtatim recurras ad crucifixũ Ieſum pendentem in cruce. Ibi intuere coronam ſpineam,clauos ferreos,lanceam lateris: ibi cõtemplare vulnera Chriſti,vulnera pedũ & vulnera manuum, vulnera capitis, vũlnus lateris,

vulnera

vulnera totius corporis, recolens qui sic pro te passus est, qui pro te tanta sustinuit, quantum te amauerit. Vnde dicit sanctus & seraphicus Doctor Bonauentura, scribens sorori suæ: Crede mihi, quia statim tali intuitu omne triste, lętum: omne graue, leue: omne tædiosum, amabile: omne asperum, dulce & suaue reperies: ita vt & tu incipias exclamare cum beato Iob & dicere: Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc propter angustias passionis Christi, cibi mei sunt: & perquam dulcia & delectabilia facta sunt mihi. Vnde legitur, quòd cum quidam religionem fuisset ingressus, in tantum impatiens factus est propter asperitatem ciborum, & cæterarum disciplinarum religionis, vt religionis pondus vix portare posset & cum ex nimia impatiētia sic anguſtiat⁹ fuisset: procidit ante imaginē crucifixi, & ibi replicare cœpit cùm multis lachrymis intolerabiles angustias, & labores ordinis; insipiditatē ciborū, panis, & potus: & statim ex latere imaginis cœpit sanguis emanare: & cum ille fortiter flens, suas angustias replicaret, respondens imago crucifixi, dixit: Quandocunq; senseris aliquā asperitatē in cibo; vel in potu, intinge in salsamēto sanguinis lateris mei. Et de cætero patiēter tolerauit asperitates religionis, & ingēti deuotione afficiebatur ad passionē Christi. Vnde & in sanctitate dies suos finiuit.

DE RESVRRECTIONE, ET GLORIOsa Domini ascēsione, & Spiritus sancti missione.

CAPVT LX.

QVoniam iam de vita & passione Domini locuti

locuti sumus, nunc breuiter tractabimus de eius resurrectione, & ascensione, & Spiritus sancti missione.

Cogita igitur primitus quomodo Domino de cruce deposito, & tumulato, anima eius beatissima ad infernum descendit, scilicet ad locũ vbi sancti Patres cõmorabantur: qui dicitur limbus sanctorum Patrum.

Considera quid ibi egit, & de gaudio sanctorum Patrum videntium se esse in tanta gloria, propter præsentiam Dei & Domini sui: & de tristitia dæmonum, quam habuerunt videntes sic se vinci, & expoliari, & illas sanctas animas de eorum potestate liberari. Attende quomodo tertia die resurrexerit triumphator mortis, per hoc ostendens nos quoq; in carne esse resuscitandos. Si igitur Christo passo fuisti compassus, nunc congaude resurgenti. Considera quomodo resurgente Domino, custodes in terram præ timore cadentes, facti sunt velut mortui. Intuere præterea angelos super sepulchrũ sedentes: & credibile est quod multitudo angelorũ erat circa sepulchrum. Et cogita visitationẽ mulierum Mariæ scilicet Magdalenæ, & aliarum duarum. & quomodo non inuenientes Dñm in sepulchro, præ amoris vehemẽtia cogebantur ad illud frequenter recurrere. Meditare diuersas Christi apparitiones. Primo apparuit suæ dulcissimæ matri, deinde Mariæ Magdalenæ & alijs duabus Marijs, & discipulis, & quantum gauisi fuerunt in eius visione: & in dulcibus cum eis colloquijs. Pensa rursum quare Christus voluit apparere in Galilea: reuera non nisi vt

tu

tu transmigrares de vitijs ad virtutes: Galilæa namq; interpretatur transmigratio. Itaq; transmigrantibus nobis à vitijs ad virtutes, animæ simul cum corporibus transmigrabunt ad regna cœlestia: vbi videbimus Christum post generalem resurrectionem.

Contemplare adhuc quomodo post quadraginta dierum decursum, egressis Domina nostra & discipulis à Bethania in monte Oliuarũ, & apparuit illis Dominus sanctorum Patrum & Angelorum innumerabili multitudine associatus: & confortans Dominam, & cæteros cœpit sursum ferri, propria virtute paulatim ascendens illarum sanctarum animarũ copiosissimo cœtu & angelorum agminibus stipatus. Ruminare illam tantam tamque mirabilem processionẽ, in qua angelis præcedentibus sancti Patres Dominum circumsepiebant: & omnes simul cùm ineffabilibus triumpho, canticis, & tripudio ingressi sunt illam cœlestem Hierusalem: & fuit tunc celebratum tam solenne festum, quantum vsq; ad mundi consummationem non celebrabitur. Cogita de tristitia Apostolorum & de descensu angelorum eos cõsolantium. Disce & tu ascẽdere cum Christo per vias, & exercitia præmissa ante omnia te vitijs exuens, quia cũ Christo nullum vitium ascendit, vt dicit B. August.

Vlterius considera, quomodo post Domini ascensionem moratur Domina cum discipulis in cœnaculo: hoc est in monte Syon: vbi cum discipulis Dominus cœnauit, vacantes ieiunijs & orationibus, alijsq; spiritualibus exercitijs: expectantes aduentum Spiritus sancti, vt eis Dominus

minus ante promiserat. Itaq; decem post Dominicam ascensionem peractis diebus, orantibus simul vt dictum est, Domina nostra cum Apostolis Dominica die, hora tertia, & canentib' illum Prophetæ versiculũ: Emitte spiritum tuũ & creabuntur, & renouabis faciem terræ: descendit super eos repente Spiritus sanctus: per quem continuo fuerunt illuminati, confortati, & in perfecta charitate fundati. Contemplare nunc quomodo in linguis igneis, cum vehemẽti sonitu cecidit super eos. Cõsidera dona & effectus Spiritus sancti: cum enim fores domus vbi erant congregati, clausæ essent propter metum Iudæorum, domum egressi omni spreto timore, cœperunt prædicare multitudini gentium copiosæ: qui propter vehementiam sonitus illuc concurrerant: & quomodo B. Petrus ex eis tria ferè millia mox ad fidem conuertit.

Hæc & alia, poteris circa illud ingens mysterium contemplari: quæ ob vitandam prolixitatem omittenda censuimus. Quantum ad materiam igitur contemplationis hęc cum his, quę de vita & passione Domini superius diximus, sufficere credimus.

QVOD AD ARCEM CONTEMPLATIOnis pertingere cupientibus, summè necessaria est fortis perseuerantia.

CAPVT LXI.

QVi absque forti perseuerantia ad culmen contemplationis, se posse peruenire existimat, vel ad perfectum ardorem diuini amoris, similis

similis est montem altum ascendenti; & propter aliquam difficultatem vel impedimentum ei occurrens mox descendenti. Comparatur rursum ignem in lignis viridibus,& putridis accendere conanti: qui cum mox non accenditur,& non videt nisi fumū, vel adeo modicam flammam quod facilè extingui potest, ira commotus destruit quod construxerat, & hinc inde dispergit.

Comparatur etiam tritico quod seminauit, maturitatem expectare patienter non valenti: neq; arborem quam plantauit,vt mittat radices in terram, propter moram,periculum, & difficultatem quam videt.

Similis est quoq; simiæ viridem nucē comedere cupienti: quæ mox vt corticis sentit amaritudinē,non perseuerat in comedēdo,sed projicit: & ideo ad nuclei dulcedinē non pertingit.

Assimilatur vlterius iste militi pigro: qui antequam ciuitas obsessa plenè debelletur, tædio victus & labore, discedit.

Vides ergo frater,quomodo sic faciens arcē non attingit contemplationis: sicut enim non perseuerans,neq; ignem, neq; triticum, neq; arborem,neq; nuclei gustum poterit obtinere,neque plenè ciuitatem poterit debellare, referēdo ista ad præmissa puncta, ita nemo ad cōtemplationis perfectionem absq; forti perseuerantia poterit ascendere.

DE MVLTIS QVAE IMPEDIVNT, NE *contemplatiuus ad culmen ascendat contemplationis.*

CAPVT LXII.

STemus adhuc modicum in vno prædictorũ exemplorum, & attendamus illum qui ad verticem alicuius montis cupit ascendere. Iste enim talis sæpè ascendit sine reditu ad montis ima: & si pausare contigerit, non redit ad pedem montis, sed à loco vbi pausauit, cœptum prosequitur ascensum.

Pariformiter qui contemplationis perfectionem adipisci desiderat, non debet retrocedere, si contigerit pausare: immò neq; debet pausare: quia non progredi, retrogredi est. Huius ergo defectu perseuerantię tam rari inueniuntur, qui perfectionem obtineant contemplationis. Cum enim quidã modicum ascenderint, si quid pœnæ vel laboris sentiunt, statim pausant, & retrocedunt.

Sunt & alij qui in ascendendo, neq; ordinem habẽt, neq; modum: mox enim vnico saltu volunt ad montis summitatem peruenire, non inchoantes ab infimis, vt transeant per medium. Infima autẽ montis, sunt consideratio propriorum peccatorum, & defectuum.

Sunt adhuc alij, qui grauia in humeris suis onera habentes, credunt se sic onustos ascendere posse. ista onera sunt occupationes circa mundana: & fortis circa ea cogitatio, quæ animam plurimùm aggrauat, eam ad terrena redire semper compellens. Et si quando se leuari con-

contigerit, ſtatim compellitur deſcendere.

Rurſum ſunt quidam alij, qui propter quaſdam ante eos volantes muſcas, inchoatũ aſcenſum deſerentes, diſcedunt, & progredi renuunt. Muſcæ circa eum volantes ſunt vanæ cogitationes: ob quas anima cœptum iter nullatenus debet deſerere: ſed eas manu cuiuſdam ſanctę indignationis procul abigere.

Adhuc ſunt, qui p̃dictas muſcas conãtur inſequi, inſtar puerorum papiliones inſequentiũ.

Vlterius ſunt, qui ad latratum canum infernalium mox terrentur: id eſt, ſtatim vt aliquam turpem tentationem ſentiunt, quod cœperant prorſus territi iter dimittunt: vel cum ea certamen aſſumunt, conantes eam à ſe propellere: quod tamen fieri non poteſt, ſed citius vincitur ſi de ea non curatur, inchoatum iter continuãdo inſtar peregrini, qui ad quemlibet latratum canum non ſiſtit pedem: ſed concito greſſu tanquam non curando iter continuat; & ſic ſilent. quanto enim plus perſiſteret ad ſe defendendũ, vel ad eos compeſcendum, tanto amplius latrarent: & ſic iter ſuum impediret.

Præterea ſunt alij, qui nõ extendunt manum dexteram ad eum, qui in altum eos poteſt ſubleuare: Immò potius retrahunt, appodiantes, & confidentes in multitudine diuitiarum, & virium ſuarum: & ideo nimirum ſi cito labuntur ad ima. Vnde debet cõtemplatiuus ſemper extendere manum ſuam ad auxilium diuinæ gratiæ, proprijs viribus omninò non confidẽs, neq; illuc quo tendit, per ſeipſum præſumens poſſe peruenire.

Sunt & alij, qui ſtatim putant ſe eſſe in ſummo, cum tamen verè ſint ad pedem montis: & ideo aſcendere renuunt, propter quod ſemper retrocedunt.

Aliqui quoq; ſunt, qui vſq; ad ſummitatem aſcendunt: qui tamen continuò efficiuntur inanis gloriæ cupidi, vidētur enim ſibi iter ſuum benè peregiſſe, & ſuam dietam viriliter cōſummaſſe: & non curant diligentiam adhibere, qualiter ibi perdurent. Vnde & ſtatim relabuntur ad ima: & non aſcendunt ita velociter ſicut vellent. Et forte eis Deus nunquam auxilium præſtabit, vt illuc vnde ceciderunt reaſcendant: hoc exigente eorum ſuperbia, ingratitudine, & ab vſu cognitionis habitæ: quod eſt horribile & cauſa nunquam præſumendi, immò ſe tenēdi in profunda humilitate ſcilicet videt homo quod ille qui Deo fuerat tam proximus atq; familiaris, in collocutione ſua: & ſicut auicula quę conſtruxerat ſibi nidum intra cœlum, poſtea deijceretur vſq; ad infernū ſine reuocatione.

Deinceps ſunt alij, qui cum ſe in monte iſto modicum alijs altius viderint, cæteros aſpernātur, & derident infra illos exiſtentes: qui vt labantur iuſte deſeruntur à Deo: quatenus cadentes quàm modicum à ſemetipſis valeant, agnoſcant.

Sunt, qui iſtum montem non niſi curioſitate conſcendere volunt, & vt dicere valeant: etiam fuimus ibidem, aut reuera vt aliqua ſecreta inquirant: aut propter ſolam ſuam recreationem & delectationem: aut propter loci eminentiā amœnitatem, non autem vt meliusDeo placeāt, pro-

proximiusq; ei seruiant honestius, amplius, & magis meritorie. Et isti citò amittunt Dei auxilium, atq; eius gratiã, aut certe nimis dure, turpiter, atq; miserabiliter reperiunt se deceptos: putant enim se esse in monte Dei, cum sint in monte diaboli.

Postremo est aliquos inuenire plusquam dicat ratio, festinãtes & suum nitentes præire ductorem: aut velocius quàm vult ille, properantes: ꝙ magna est fatuitas. ductor iste sicut dictũ est gratia Dei est. Qui ergo non potest, aut dignatur expectare spatium temporis secundũ motum istius gratiæ, iure eam perdit: & alia vice pro libitu suo eam tam cito non reperiet.

Sunt igitur quidam, qui ad hanc recipiendã gratiam non sunt parati, cum ab ea vocantur & mouentur: immò potius refutãt, aut alijs negotijs se tradunt, vel certè verbo vel facto dicunt gratiæ, vt adhuc modicũ eos expectet: & sic ipsa depulsa mox recedit. Oportet ergo nos vigilare semper super custodia cordis nostri ad recipiẽdum visitationem diuinæ gratiæ, & moueri secundũ ipsius instinctum; neq; velocius, neq; tardius, omni tempore cum profunda humilitate indignos nos iudicando, etiam ad montis huius latus iacere, quanto magis ad eius apicem ascẽdere: quãto ei profundius in corde suo, se quis humiliauerit, tanto trahetur altius. Quẽadmodum Rex præpotens, volens honorare militem suum, tanto eum collocat superius scilicet vt sedeat cum principibus, quanto eum ad hoc plus cernit renitentem, & contradicentẽ. & quanto ipse se profundius humiliat, & indignũ reputat,

tanto Rex instantius trahit, & ascendere compellit. Super omnia enim displicet Deo præsumptio, neq; placet ei modus volentiũ ad eum effrænatè & sine timore, quasi ad suum socium, & sibi similẽ accedere: sed semper debet custodiri sancta & laudabilis verecundia, tremor, pauor, & timor cum confidentia suæ benignitatis, sine confidentia enim talis timor nimis esset culpabilis, & impedimentum ascendẽdi aḍ montem contemplationis, esset enim talis timor immoderatus.

DE QVIBVSDAM ALIIS IMPEDIMENTIS contemplationis.

CAPVT LXIII.

DIcamus adhuc de quibusdam alijs obstaculis, & impedimentis contemplationis. Sunt igitur quidam qui asinum suũ, hoc est, corpus proprium nimis vexant, ita quòd anima eo vti non potest.

Alij autem nimis sunt repleti, atq; onusti infirmi & dormientes, siue pigri: nimis enim demorati sunt in infirmaria carnalitatis per excessiũam comestionem, & potationem, aut vaniloquium. Tales autẽ sunt quasi contracti, resoluti, paralytici, & dormitãtes. ideoq; oportet ipsos curari, scilicet ab infimis incipiendo per humilem pœnitentiam.

Sed & quidã sunt, qui ascendendo vehementem patiuntur famem aliquando spiritualẽ verbi diuini, & cupiunt post hoc illud audire, vel legere. Vnde fit vt in lectione nimis se detineant, recipientes ibi ampliorem, quàm recta ratio dicat

catrefectionem. vnde & velocitatis sui ascensus, à qua inceperunt obliti, non ascendunt secundum quod cœperant. Verum est tamen talem refectionem interdum esse proficuam & necessariam & præsertim in principio, quando sobriè sumitur. Semper igitur debet homo considerare suum ascensum in legendo: vt scilicet plus quærat deuotionem quàm instructionem.

Rursum reperiuntur alij, recalcitrantes atq; saltantes contra stimulum ipsos perurgentem ad ascendendum: hoc est, qui nimium fugiunt tribulationes.

Præterea sunt alij, qui non adhuc sufficienter instructi de itinere quærendo, seu interrogando à scientibus vel de habendo desuper cõsilium non curant, sed abundantes in sensu proprio, confidunt in seipsis, se ipsos docere volentes: & ideo sæpè aberrant, & deficiunt.

Vlterius sunt alij, diligenter per studium feruens viam quærentes, vt de hac sciunt loqui & alios docere, licet ibi ipsi non fuerint: loquuntur autem, quia sic audierunt ab alijs: nec nituntur aliquando per viam quam docẽt ascendere: & ideo nimirum si tales in imis maneant semper. non enim itur per eam per sola verba, sed oportet pedes ad opus mittere. Et isti assimilantur illis, qui in prælijs exhortantur & instruunt alios fortiter certare, sed ipsi neque arma tangere volunt. vel sicut illi qui alijs demõstrant vias, per quas ipsi ob suam imbecillitatẽ, vel pusillanimitatem, non possunt ambulare.

Sunt adhuc alij, qui postquam vnam viam

arripuerûnt, continuo declinant ad aliam, & hoc propter eorum inconſtantiam : aut quia putant leuiorem aut delectabiliorem ſe inuenturos. Vnde parum vel nihil proficiunt, ſicut canes ceruos inſequentes, nullum venantur, ſi modo poſt alium currant, ſed oportet vt veſtigia primi inſequantur, & circa aliquem alium non occupentur, vt canes in arte venandi benè inſtructi agere conſueuerunt.

Alij verò ſeipſos, & huius vitæ pericula non attendentes, imprudenter & incautè pedes ponunt: & ideo à ſummis ad ima ruinas patiuntur.

Alij autem cum aſcendunt, retro aſpiciunt, vel inferius, & cum aliquis eos ad deſcendendum inuitat, mox totum derelinquunt: qui tanto efficiuntur inhabiles, quanto diutius inferius detinentur. & inde difficilius & grauius reaſcendunt: quia mundana conuerſatio in loquendo, vel aliquid aliud mundanum exercendo, non modicum impedit vel retardat: & in talibus cor ſuum figens, & non velociter reſiliens, & citius diſcedens, vt continuet aſcenſum ſuum, magnum ſibi parat impedimentum: ideoq; nõ oportet in iſtis morã facere, niſi quantum neceſsitas depoſcit. & cum corpus fuerit inferius, ſaltem corda ſint ſurſum. quod tamen his qui non ſunt experti difficile eſt: quia neq; anchoram cordis fixam habent in monte, eo quòd deſunt eis cordæ bonæ cõſuetudinis quibus alligari habet cor.

Sunt præterea, qui cum aſcenderint, nunquã putãt ſe inde receſſuros, ſed illic perſiſtere, tanquam

quam iure hereditario: sed in suo casu deorsum fragilitatem propriam cognoscunt, & tribulantur, atq; discunt quòd diuina gratia illic eos collocauit, & tenuit, quandiu sibi placuit. & si in alto eos contigerit esse per humilitatem, semper timent se casuros, cum autem se inferius esse vident, hoc æquo animo portantes, sperant se per diuinam misericordiam iterum ascensuros. oportet enim vt homo non solum immobiliter & cõstanter se habeat in aduersitate corporali, sed etiam in spirituali, & multo amplius scilicet in tentationibus, durisq; mentis affectionibus: qui sunt absq; consolatione aliqua earum, quas habere consueuerat, vel desiderat.

Postremo sunt aliqui, qui ascendendo nimias & excessiuas faciunt expensas, puta plachrymas & corporis assiduas afflictiones: ita vt ea ad quæ tenentur, nequeant explere. Et ideo misericors Dominus, misericorditer se habet cum istis; interdum permittens eos decidere & labi inferius, vt ea quæ sunt necessaria peragere valeant.

Ista sunt quæ impediunt ascensum ad montem contemplationis. Alia sunt innumerabilia impedimenta, sed tamen ad prædicta reduci possunt: ad quæ superanda & vitanda, necessaria est fortis perseuerantia cũm gradibus supradictis, scilicet humili patientia, locoq; secreto, & silentio.

QVOMODO QVIDAM DEFICIVNT *in forti perseuerantia, & ideo modicum in contemplatione proficiunt.*

CAPVT LXIIII.

PLures sunt non bene cauti circa perseuerantiæ fortitudinem, & circa contemplationis fructum: & ideo ad eius perfectionem non possunt pertingere, non enim curant orationi vacare vel meditationi, nisi se ad ista præsenserint deuotione affectos, & in eis gustauerint aliquam spiritualem dulcedinem: videtur enim oratio vel meditatio eis nihil prodesse, si deuotionis affectum non senserint. Sed istis similes sunt illi, qui nimio frigore cruciatur, & non vult ad igné accedere, nisi prius calescat. Aut illi qui fame vexatur & renuit cibum quærere nisi prius fuerit saturatus. Cur enim quis se tradit orationi seu meditationi, nisi vt igne diuini amoris calefiat, vel vt donis seu Dei gratia saturetur? Errant autem vel deficiunt isti in hoc quia se putant tempus perdere, si orantes vel meditantes mox deuotionis imbre non irrigantur. Ad quod dicit Gerson, quòd si ipsi nituntur & laborant quantum in se est habere deuotionem, & assidue cõtra suas cogitationes certamen gerunt: quia eis multum displicent, eo quòd habere eos pacem non permittunt. hi sæpe maius reportant meritum, quàm si eis statim sine tali conflictu deuotio aduenire. Ratio est: quia militant & seruiunt Deo, propriis sumptibus, & cum maiori pœna atq; labore. Verum est tamen quòd volens seipsum exercere, oportet vt habeat ad hoc magnũ

temporis

temporis ſpatium, reiecto à ſe omni onere occupationum, tam ad ſe, quàm ad alios pertinentium: ſeq; ad permanendum per duas vel tres horas in vno loco fixum cogat, ſiue conſolatio ſequatur, ſiue non: ad quam tamen habendam aſsidue laborare debet: cumq; ſe nimio tædio affectum ſenſerit, ſibiipſi dicat quòd adhuc expectet per mediam horam vel integram, faciendo pœnitentiam ſuam, ſpectans diuinæ gratiæ largitatem: poſt horam vero elapſam adhuc ſe commoneat ad perſiſtendum alia hora. Et ſæpe in dimidiæ horæ parte extrema talis in ſua contemplatione amplius ꝓficiet quàm omni tempore præcedẽti, & quàm aliis decem diebus, aut certe in vno menſe. Et ſi à caſu in ſuo egreſſu reperit ſe quaſi refutatũ, ſic ſcilicet quòd eleemoſyna ei denegetur, puta quòd non conſequatur gratiam deuotionis, oportet vt humiliter ſe cõuertat ad Dominum, confitendo ſe indignum tanta gratia: & quòd potius meretur flagellari, & affligi, quàm huiuſmodi cõſolationibus perfrui. & dicat:

O Domine Deus totius conſolationis laus & gloria tibi ſint ſemper: mihi autem vt dignũ eſt & iuſtum confuſio, niſi oppoſitum mihi proueniat de tua miſericordia. Per talem modũ vincet Deum faciẽs ei ſacrificium de ſui cordis duritia; & certe Deus non obliuiſcetur miſereri eius, ſuam ei conferens miſericordiam, cum cognouerit horam ſecundum ſuum beneplacitum opportunam. Neq; debet quis in lachrymis, & deuotione ad ſuam conſolationem, huiuſmodi conſolationes vehementer affectare, ſed vt per

eas

eas ardentiori amore Deo adhæreat. Si igitur magis placet ei quod pro tunc ei famulemur, sine huiusmodi consolationibus, illud idem debet nobis placere & debemus dicere:

O Domine Deus meus omnipotens, optime per te mecum agitur, si præmium meum à te reseruetur mihi in alia vita: hoc vnum suppliciter oro, vt mihi ita non irascaris, quod tuam amittam gratiam de cætero fiat voluntas tua.

Si vero quisquam nostrum optatam deuotionem fuerit assecutus, solicitus sit, vt omnipotenti Deo gratias referat, orans instantius, vt opus plantationis suæ in eo cœptum augmentet, & confirmet: ita quod tale quid hic non conferat ei vt præmium, sed in futurum reseruet ei præbendam integram.

QVALIS SIT COGNITIO, QVAM contemplatiuus hic habet de Deo.

CAPVT LXV.

SVfficere debet viro contemplatiuo, quod clare se speret videre Deum in patria: in præsenti autem exilio sufficiat ei credere eum esse suum creatorem, redemptorem, gubernatorē, & remuneratorem: & sic de aliis dignitatibus, de quibus, per fidem certi sumus. nec appetat hic videre clarè diuinam naturam.

Quocirca aduertere debet contemplatiuus quòd secundum diuinum Dionysium quātumcunq; contempletur alte Deum, & videatur sibi aliqua noua intueri, si tale qd quod cernit, quomodocunq; videtur esse simile alicui rei huius mundi, proculdubio credat se non clara visione vide

videre Deum: & idem iudicium est de Angelis. Deus namq; non est mole magnus, nec aliquo colore affectus, puta albo, nigro, rufo, flauo, aut cæruleo, neq; Angelus. Verum est tamen, quòd bene cognoscitur Deus hic per alium modum verbis vel scriptis inexplicabilem: nisi quòd illi qui Deum sic cognoscunt sciunt quod vident: sentientes in anima sua quasi quendam dulcorem, repletionem, saporem, seu melodiam, quæ sentimenta nullatenus explicari valent. Quippe quemadmodum intra nos aliquando sentimus bene ipsum amorem, vel gaudium quo afficimur, tamen non possumus dicere quòd sint rotunda aut quadrata, seu alba vel nigra, vel alicuius alterius coloris, eo quòd non sunt corporea: ita nemo posset huiusmodi spiritualia sentimẽta alteri exponere, si ea in se non prægustasset.

Non tamen dico quòd non posset de Deo etiam hic concipi quid sit, quantum ad assumptã humanitatem: quia bene possumus imaginari quare nostram assumpserit naturam. Et sic quòd de Deo prędiximus, intelligendum est quantum ad diuinam naturam.

Et si anima esset multum assuefacta in assidua contemplatione per fortem & iugem meditationem, facile eleuaretur supra se, & inueniret ibi pulchras contemplationes sine numero, & esset ei quasi quidam portus, & refugium cõtra vniuersas tribulationes & fluctuationes, & amaritudines huius maris tam spatiosi, id est, huius mundi.

QVOMODO TRIBVS MODIS DEVS *per gratiam habitat in anima.*

CAPVT LXVI.

IN superioribus simpliciter locuti sumus de materiis contẽplationis, alios subtiliores contemplandi modos, peritioribus & magis eruditis relinquentes: & ideo de hoc nos expedientes, nunc postremo exponemus quomodo trifariã habitat Deus in anima per gratiam.

Primo, per iustificationem, absq; hoc quod ipsa anima habeat de hoc aliquod sentimentum. Et quamuis non habeat sentimentum de hoc, est tamen Deo accepta.

Secundo, per aliquam spiritualem consolationem, seu sentimentum: sicut hi qui in sua cõtemplatione recipiunt aut sentiunt varios spiritualium gaudiorum, seu cõsolationum modos. Nam interdum videtur sibi quòd resoluuntur in quandam spiritualem dulcedinem, ita quòd omnia quæ vident & cogitant, iudicant esse plura illa ineffabili dulcedine. Nonnunquam habent quandam securitatem humilitate plenam, qua mediante ipsi sibiipsis vilescunt, recipientes duntaxat consolationem in his quæ sunt secundum Deum, & placent Deo. Nam quotiescunq; quis placet sibiipsi, & de seipso gaudet, vere sciat se verę humilitatis esse expertem: & consolationes quæ exinde oriuntur non esse à Deo. Vera humilitas semper coniungitur consolationibus bonis & diuinis, & facit vt homo cognoscat suam vtilitatem & suos defectus, & ideo ipse sibi vilescit, & in oculis cordis sui abominabilis videtur,

detur, in seipso plus comprehẽdens quàm totus mundus: & censet Deum tantæ esse excellentiæ, tantæq; maiestatis, vt totum residuum videatur ei quasi nihil esse omnino, nisi in quãtum in talibus rebus Deum speculamur. Aliquando anima sentit intra seipsam quandam spiritualem ebrietatem, eam in diuinas laudes & ad sancta & deuota suspiria commouentem, ita vt interius non se valeat cõtinere, quin exterius per aliqua signa pandat. Nonnunquam videtur ei quod omnia sunt plena claritate diuina, & quòd vniuersa glorificant Deum.

Tertio, habitat Deus in anima per quandam vnionem, sicut in beatissimo Apostolo Paulo, & in aliis excellentissimis contemplatiuis: de quo loqui me indignum reputo, illud magnis doctoribus relinquens: nostræ ruditati sufficiant, quæ dicta sunt.

QVOD OMNES TENENTVR SE EXtendere ad perfectionem sub pœna damni præsentis, & futuri, & præcipuè religiosi.

CAPVT LXVII.

VOx multorum est, sufficit mihi vita cõmunis, sicum infimis saluari potero: satis est, nolo merita Apostolorum, nolo per summa volare contentus incedere per planiora. Sed viderint hi, quod iam imperfectio est nolle esse perfectum, vt dicit Gerson in sua mystica Theologia: in via enim Dei non progredi, retrogredi est. Damnatur insuper seruus piger, qui talentum seruare contentus, illud in fœnus non tradit. Faciamus hoc perspicuum in exemplo familiari.

Habet

Habet aliquis præpotens & nobilis paterfamilias plures filios, quemlibet aptiſsimum ad ampliandum rem familiarem induſtria ſua: vnus illorum, aliis laborantibus ſedet in domo piger & iners, nihil curans, dummodo nihil ſordide viuat, nihil altum, nihil præclarum vel dignum ingenio ſuo, aut paterna nobilitate recogitet, dicit ſufficere ſibi bona iam habita, & qualicunq; vita vti. Euocat autem pater eum ad actus ſublimiores & arduos, monet, ſtimulat. Si hic filius non obaudit, neq; obedit, liquet quòd odioſus erit Patri. Sic ſimiliter ponitur apud Patrem cœleſtem his quos trahit ad chariſmata meliora, & ad actus diuiniores dum torpeſcunt hærentes infimis: neq; ad perfectionem ſemetipſos extendentes. Quod tamen intelligendum eſt de illis, qui nullo ſtatu vel officio humiliori ſic alligati tenentur, quòd abſq; præcepti tranſgreſsione nequeãt ad altiora conſcendere. Et ex his ſufficit, & altiſsimũ reputari debet in eis, quòd propter diuinæ iuſsionis obedientiam in illo ſtatu tenentur aſtricti, quamuis ad perfectionem non ſe extendant contemplationis.

Animaduertendum deniq; eſt, quod ſi Maria honorabiliter cũ Martha poterat hoſpiti Chriſto miniſtrare, collaudauit eam nihilominus Chriſtus, quòd vni intenta optimam partem elegerit. Itaq; maledictus, qui partem ſuam ſi aliter liceret facere, facit deteriorem.

Ex præmiſsis liquido apparet, quòd cum vita cõtemplatiua ſicut oſtendunt Theologi, ſit perfectior quàm actiua, quilibet ad contemplationem idoneus non prealligatus actioni obedientiæ

tiæ neceſsitate, poteſt ad illam licenter ſe tradere, dimiſsis operibus vitæ actiuæ. Vnde dicit Auguſtinus: Otium ſanctum quærit charitas, negotium ſolicitudinis ſuſcipit neceſsitas charitatis; quam ſarcinam ſi nullus imponit, contemplationi vacandum eſt. Quaſi dicat quòd ſi negotium, id eſt, actionem charitatis nemo imponit ſcilicet ſuperioris iuſsione, vel euidenti neceſsitate, debemus contemplationi vacare. Neque opponat quis facultatem quam haberet in vita actiua proficiendi, & condemnationem ſuam ſi talentum abſconderit, in quo poſſet negotiari prædicando, vel pauperibus miniſtrando, quoniam abunde proficit Eccleſiæ contemplatiuus obſequens Deo corde vel intellectu, vbi alij de manibus, ore, vel pedibus ſubſeruiunt. Qua de re multi ſunt, apud quos damnabilis iudicanda eſt omiſsio contemplationis inquirendę, quemadmodum hi, qui ſunt poſiti in ſchola religionis: quæ eſt ſchola deuotionis, orationis & fletuum. Quales inſuper conuenit eſſe Eccleſiaſticos, qui labores populorum in otio poſsident, vt cuſtodiant iuſtificationes Domini; & legem eius exquirant: quales demum plures inueniuntur tam viri quam fœminæ de ſeculo, quibus ſufficiens otium, inſtructio, & ingenium ſuppetunt, vt ſe totos in Deum conuertant, & rapiant: ſaltem habeant fidem, ſpem, & charitatem, non enim requiritur maior inſtructio ad hoc, vt ſecundum totum ſuum affectum valeant in Deum ferri.

QVOMODO IN CERTIS CASIBVS *debet vir contemplatiuus de alto contemplationis descendere, & ad tempus sua spiritualia exercitia interrumpere.*

CAPVT LXVIII.

DVobus modis debet contemplatiuus sua prætermittere contemplandi exercitia, & descendere de monte contemplationis scilicet ad seipsum & ad proximum. Ad seipsum debet tripliciter descendere contemplator.

Primo, cum quis in altiori gradu constitutus descendit, interdum, vt se perfectius in inferiori gradu exerceat, ne semper supra ascendens negligens amittat quod inferius iam acquisierat. Neq; enim quis in supradictis exercitiis ad anteriora sic se debet extendere, vt non sit ei opus penitus ad posteriora respicere: sed ita debet in anteriora tendere, & de virtute in virtutem procedere, vt nequaquam negligat gradus ad quos ascendit: sed summopere studeat eos custodire: verbi gratia, per timorem primo fuisti compunctus de peccatis, per timorem & meditationem mortis, & iudicij, & pœnarum infernalium, & alia multa bona egisti in via purgatiua: deinde venisti ad spem per considerationem diuinorum beneficiorum in via illuminatiua: demum ad vnionẽ cum Deo, per seraphicum & ardentem amorem in via vnitiua: nunquid frater quia ascendisti ad talem vnionem, debes timorem & meditationes mortis & iudicij prorsus deserere? Absit: immo interdum debes descendere ad attentè considerandum mundi huius vanitatem,

tem, vitæ tuæ breuitatem, infernalium pœnarum acerbitatem, vt timeas deorsum descendere, & tali timore alliciaris ad cœlestia; & quasi quodam stimulo compellaris ascendere: & sic semper in tuis exercitiis per spem, & charitatem ascendas, vt ad timorem descendas: donec in te charitas perficiatur, qua foras timor mittatur, & ne forte decidas in præsumptionem, & securitatem, & torpescas. & per hunc modum viri sancti ascendunt vsq; ad cœlos, scilicet per spei & charitatis affectum, & desiderium: & descendunt vsq; ad abyssos, per pœnarū inferni diligentem considerationem.

Secundo modo debes ad teipsum descendere scilicet ad exterioris hominis in moribus & gestibus debitam compositionem, & ordinationem: vt interior deuotio & sanctitas tua in exterioribus eluceſcat. sic enim mores exteriores regere, & nosmetipsos circumspicere debemus: quatenꝰ cunctis imitabiles & amabiles nosipsos exhibeamus. Hoc autem optimè explebimus, si tria in exterioribus moribus obseruare studuerimus. Primo, vt mores nostri sint maturi. Secundo, vt sint humiles. Tertio, vt sint benigni. Maturitas namq; nos aliis exemplares reddit: humilitas nos custodit: benignitas vniuersis amabiles facit.

Tertio modo debemus descendere ad nosipsos scilicet ad faciẽdum aliquod corporale, seu manuale opus. Ita enim debemus spiritualia exercitia ordinare: vt quotidie in opere manuum suis & certis temporibus, nosipsos exerceamus, & suis rursum temporibus in spiritualibus ex-

ercitiis proficiamus: quamuis manibus operantes illis vacare posſimus orando, meditando, & ad timorem, & alias ſpirituales & virtuoſas affectiones noſmetipſos excitãdo. Hoc ſancti Patres noſtri pro regula habuerunt; vt quanto fidelius ad opus manuũ ſe conferrent, tanto ad altiorem puritatis & charitatis gradum ſperarent ſe peruenturos. Itaq; homines fragiles cum ſimus, nõ putemus nos eſſe Angelos, qui ſemper vtuntur cibo ſpirituali, quem nos ignoramus: & velimus ſemper ſpiritualibus vacare exercitiis: ſed certis temporibus noſipſos operi manuum aptemus, multiplici ratione. Prima eſt, ne tædio victi omnino ſpiritualia exercitia relinquamus. Neq; reputemus nos ſanctiores & ſpiritualiores quàm fuit ille magnus Antonius: qui niſi talem exercitij ſpiritualis & operis manualis viciſſitudiné ab Angelo didiciſſet, tędio victus ad ſeculum rediiſſet. Ideo vult Caſsianus, quod qui non eſt contentus quotidie aliquid manibus operari, non poteſt in cella finaliter perſeuerare.

SECVNDA eſt: quamuis enim modicum illa manualia opera à contemplatione nos contrahant, poſtea tamen valentiores ad eam nos reddunt: non enim poſſumus cum concupiſcentiis aſcẽdere, immò illæ aſcẽſum impediunt: & ideo has concupiſcentias oportet nos vincere, & præcipue opere manuali: in deſiderio eſt enim omnis ocioſus. Sic ergo ſæpe opus manuũ deſeruit ſpiritualibus exercitiis: in quãtum impedimenta remouet aſcendendi per contemplationem.

TERTIA ratio eſt: cor enim noſtrum eſt valde inſtabile, & hinc inde velut nauicula in fluctibus

bus maris fluctuans, quatitur variis meditationibus & affectionibus. Igitur vt dicit Cassianus, cor tuum velut quadam anchora te decet figere, pondere scilicet & occupatione alicuius operis manualis.

QVARTA est: quoniam plures aditus tẽtandi, inimicus in nobis reperit ociosis quàm occupatis: siquidem occupatus vno dæmone tentatur; ociosus vero innumeris dæmonibus deuastatur.

Propter has rationes, & plures alias quas ob vitandã prolixitatem omittere volui, sancti Patres, & præcipue in Ægypto tam fideliter manibus laborauerunt: & ideo tam sublimiter à sanctis extolluntur. Ne autem à spiritualibus exercitiis longe discedamus, ea debemus magis opera corporalia, quantum in nobis est eligere, quæ cum spiritualibus videntur maiorem conuenientiã habere; sicut sanctos libros scribere, quod minùs à spiritualibus impedit, & est spiritualiter magis fructuosum.

Debemus igitur fideliter manibus operari nõ sicut seculares, qui recipiunt solum mercedem transeuntem: nos autem non solum temporalem mercedem, sed immarcescibilem recipiemus coronam in cœlis.

Attende, quòd sancti Angeli laborantibus pastoribus Christum natum annunciauerunt specialiter. Nõ tamen simus in laboribus nimij siue importuni, sed moderati & discreti, silentium præcipue cum laboramus custodientes: silentiũ enim in quo iuxta Prophetam, est fortitudo nostra, etsi vbiq; & semper est obseruandum, nisi

necesſitas vel vtilitas cogat, vel ſuadeat, maxime tamen in opere manuali, iuxta illud Apoſtoli: Obſecramus vos in Domino Ieſu, vt cum ſilẽtio panem veſtrum manducetis.

Similiter neceſſe eſt ſæpius propter proximũ, noſtram interrumpere contẽplationem ad tempus. & hoc tripliciter ſcilicet propter ſuperiorẽ, propter æqualẽ, & propter inferiorem. Propter ſuperiorem quidem, quia quamuis quantum in nobis eſt ſemper appetamus vacare ſpiritualibus exercitiis, ſcilicet vel cum Lazaro peccata noſtra deflere, & compunctionem ex memoria peccatorum, vel extremi iudicij in nobis excitare: vel cum Maria ad pedes Dominicos ſedere, id eſt, vita & paſsione Chriſti mentaliter nos exercitare, vel quouis magno alio exercitio ſpirituali: ſi tamen venit ſuperior, & vocat nos, iubet deſerere cõtemplationem: ſtatim dimiſsis omnibus eſt obediendum: & debemus noſipſos ponere ad pedes vicarij Domini, id eſt, ſuperioris, dicentes: Paratum cor meum, paratum cor meum: Paratum, vt ad tuum imperium contemplationi vacem: paratum, cum iubes vt exterioribus miniſtrem. Hoc non ſolum ad iuſsionem ſuperioris facere obligamur, ſed etiam nõnunquam ad exhortationem fratris ex charitate: omnia enim exercitia ſui ſancti Patres libentius poſtpoſuerunt, vt obedientiam inuiolabiliter ſeruare poſſent. atque hoc ſuper omnia reputabant, ſi non ſuam ſed alterius implerent voluntatem. Et quanquam obediẽtia præcepti vel neceſsitatis eſt magis neceſſaria, noli tamen diſcutere ſi teneris vel non, quia ſæpe obedientia charitatis

ritatis est magis meritoria, & charitatem auget deuotè impleta.

Secundo propter æqualem, licet interdũ spiritualia exercitia dimittere, scilicet vt ei subueniamus moti cõpassione, pietate, auxilio, & consilio scilicet corporaliter afflictos iuuando, & eis succurrendo: & multo magis si viderimus aliquos spiritualiter afflictos; debemus enim eis auxiliari quantum possumus, admonendo, corripiendo, & attrahendo, in tribulationibus & tentationibus consulendo, & confortando. Nisi enim Paulus de tertio cœlo descẽdisset, & de alto statu mentis suæ infirmioribus se inclinasset, neminẽ attraxisset: sed descendit, factus omnia omnibus. Et carnalibus prædicabat quidem Iesum, & hunc crucifixum spiritualibus autẽ spiritualia comparabat. Similiter & nos debemus esse omnibus omnia, singulis succurrentes, put necessitas exigit, maxime si viderimus aliquos, à Christi iugo suberrare per aliquod mortale peccatum, attrahendo, admonendo, & corripiendo. Neq; dicas in corde tuo: Sufficit mihi saluatio mea; pro me volo esse solicitus, non pro alio. Neq; dicas, Nunquid ego superior eius sum, aut eius custos cõstitutus? Ecce talem cogitationem non gignit zelus Dei. Debes igitur proximo succurrere, si corporaliter eget, ei opem ferendo corporalibus eleemosynis. Si autẽ spiritualiter, satage pro viribus ei spirituale auxilium ferre fundendo preces pro eo, consulendo, instruendo, & dirigendo, maximè in tentationibus, & spiritualibus exercitiis. Sed vide ne alios doceas, quod ipse nescias: melius est enim humiliter

confiteri ignorantiã tuam, quam præsumptuosè velle docere: sit tamen consilium tuum diuinæ Scripturæ consentaneum semper. Ea autem quę in consilio recipis, vel de quibus cum aliis consulendo percipis, si secreta fuerint, caue ne publices, maximè de tentationibus aliorum: inde enim sæpe pericula veniunt. In consiliis etiam dandis, caue ne propriam sequaris passionem, & inclinationem: nam illa peruertit iudicium, & zelus sapere nescit. Rursum antequam consilium impendas, maximè in rebus arduis, diu deliberato, & non quod prius occurrerit edicito: sed tracta apud te, summisso consilio tuo, semper sentire aliorum, ne pertinax inueniaris: & velis tu magis consentire humilibus, quam tibi consentiri; vnde tu nullius consilium debes vilipendere: Deus enim sæpe reuelat paruulis quod abscondit à sapientibus. omnium consilia attendas, non tamen suscipias, secundum illud Apostoli: Omnia probate: quod bonum est tenete.

Tertio debemus ab alto contemplationis, ad proximum inferiorem descendere. vt scilicet cum quis habet curam alios regẽdi: quales sunt Prælati, qui sæpe à contemplatione necesse habent cessare, vt subditorum custodiæ & disciplinæ intendant. Custodiæ quidem, vt conseruentur stantes, qui iam digne conuersantur. disciplinæ: vt corrigantur errantes, & minus ordinate conuersantes. Alias certe Deus sanguinem animarum subditarum, de manibus Prælatorũ requiret. & nisi frater minimus, quantum in ipsis est, per eos adductus fuerit, faciem Ioseph

hoc

hoc est Christi veri Saluatoris non videbunt. Vide hic quàm periculosus est status superior: quo necesse est vt homo seipsum deserat: nam sæpè dum negligit, perdit: nã dum homo multum foris occupatur & interius ociatur, nõnunquam exercitia interiora negligit, & ad cor durum descendit, & insensibilis fit solum exteriora sentiens, & spiritualia non degustans: sicut benè ostendit B. Bernardus in libro de Consideratione. Igitur consilio sanctorum, quantum in te est, semper locum superiorem & nimiam occupationem exterionem deuita, salua semper humili & prompta obedientia. Cùm vero quis cogitur occupationibus exteriorib⁹ deseruire, debet valde solicitè, quandocunque potest, vel tempus habuerit, ad intima recurrere, & spiritualibus exercitijs vacare: ne vt dictum est, insensibilis efficiatur. Vnde beatus Gregorius, Sancti inquit viri qui exterioribus ministerijs, officij necessitate deseruire coguntur, studiosè semper ad cordis secreta refugiunt; ibiq; cogitationis intimæ cacumen ascendunt: & legem Domini quasi in montem recipiunt: dum positis tumultibus actionum suarum temporalium, in contemplationis vertice, supernæ voluntatis sententiam perscrutantur: vt enim in exterioribus officijs inoffense deseruiant, ad cordis secreta incessabiliter recurrere curant.

DE ALIQVIBVS DOCTRINIS, QVAS vir deuotus obseruare debet circa ea, quæ dicta sunt; & ponitur etiam huius operis conclusio.

CAPVT LXIX.

VBi auxiliante Deo tractauimus, qualiter deuotus vir per exercitium orationis, meditationis, & contemplationis debeat animam suam Deo vnire secũdum tres vias scilicet purgatiuam, illuminatiuam, & vnitiuam: ad conclusionem huius operis, quanquam superius aliquid saltem ex parte dictum sit, decreuimus ponere aliqua documenta obseruanda circa supradicta. Quæ vt facilius corde retineri possint, disponemus ea secundùm ordinem alphabeti diuisa per §. & cuilibet §. præponenda est hæc præpositio, de:

ABDICATIONE siue abscisione. Qui assiduè cupit meditationi vacare, abdicare à se debet omnem concupiscentiam siue appetitum honoris, diuitiarum, delitiarum, & occupationé circa exteriora: harum enim rerum phantasmata multum mentem distrahunt.

BONA vita. Debet virtuosè viuere: quia in maleuolam animam nõ introibit sapientiæ spiritus, neque spiritus meditationis.

CONSTANTE fiducia ad amatum. Quòd non facilè discedat ab amore dilecti, propter superuenientes tentationes. Conatur enim diabolus varijs tentationibus virum deuotum terrere, & ab exercitio meditationis impedire. Idcirco dicere debes: Ego confido in eo, qui dixit: Fili mi da mihi cor tuum: qui non mortem, sed saluatio-

uationem cupis peccatorum. nihil durum aut turbulentum de tuo cogites amato: sed potius dic illud Iob: Et si me occiderit, in ipso sperabo.

DISPOSITIONE corporali. Cum fueris solus, poteris vti diuersis ceremonijs in dispositione membrorum, nunc eleuans manus sicut Aaron, nunc flectens genua sicut Salomon; nonnunquã in faciem tuam cadens, & mox sine mora surgens, manendo flexis genibus, sicut Christus in monte Oliuarum: sedens quoq; sicut Maria ad pedes Domini: extẽdens rursus manus ad modum crucis, sicut Christus Dominus in cruce: interdum defigens oculos in terra, sicut Publicanus. aliquando eleuans in cœlum, sicut Apostoli in ascensione Domini. Itaq; per hanc exteriorem varietatem ceremoniarum diuersi in animo generantur affectus. Incipientes siquidem debent flexis genibus orare, & oculis in terram defixis, vel expansis brachijs in effigiem crucis, vel faciendo plures prostrationes. Proficientes debent orare genuflexi, manus, oculos sursum extollentes. Perfecti stantes erecti supra pedes oculis in cœlũ eleuatis cum desiderijs & suspirijs intimis. Contemplatiui iam super se leuati, sedentes ad pedes Domini. Veruntamen in cõuentu ne sis singularis, sed cum se inclinantibus te inclina, exhibens Domino filialem reuerentiam sicut patri benignissimo: cum genua flectentibus, genua flecte, impendens Deo reuerẽtiam sicut seruus Domino. cum cadentibus in terram super facies suas, cade, recognoscens Deum vt iudicem, & te vt reum & quòd in puluerem redigendus es.

EXER-

EXERCITIIS diuersis. Debes tuas actiones diuersificare, secundùm illud: Modo lege, modo ora, modo feruenter labora. & sic erit hora breuis, laborq; fiet leuis. Si velles semper idem agere, minus proficeres, teq; deuastares.

FINE meditationis. Finis meditationis, orationis, & contemplationis tuæ non sit proprium commodum, non euasio pœnarū, non aliquod lucrum, vel cœleste præmium, vel aliqua spiritualis dulcedo: talis enim amor esset mercenarius, sed vt pares in corde tuo habitaculum Deo, & des locum gratiæ. & vt facias voluntatem eius, cuius delitiæ esse cum filijs hominum: qui multum delectatur de nostra salute. Ad hunc enim finem anima humana est creata scilicet vt cordialiter & amorose vniatur suo dulcissimo creatori in hac vita per orationem, meditationē, & contemplationem & in alia per perpetuā fruitionem. Et vt breuiter dicam debes in omnibus tuis spiritualibus exercitijs quærere gloriam Dei, honorem sanctorum, vtilitatem Ecclesiæ, salutem tuam, omnia referendo in Dei gloriam, secundùm illud Apostoli: Siue comedatis, siue bibatis, vel aliquid aliud faciatis omnia in gloriam Dei facite.

GRATITVDINE gratiæ. Si aliquod bonum in te recognoscis, da gloriam Deo, & gratias ei impende, & noli superbire: non enim est volentis neq; currentis, sed Dei miserentis, noli inflari: quia gratia meditationis non solum bonis, sed etiam malis aliquando conceditur.

ABVNDANTIA punctorum. Debes secundum Gersonem, abundantiam punctorum habere, quibus

quibus cum incipis, posſis amoroſe inflãmari: de quibus iam ſupra tractauimus.

INTIMITATE. Debes ſemper quocunq; pergis dilectum tuum ſic cogitare, ac ſi ante oculos haberes: modo in præſepio, modo in Ægypto, nunc crucifixum, &c. in corde tuo intimis eum laudando iubilationibus, dulciter & affabiliter ei alloquendo: neceſsitates tuas ei proponẽdo, & auxilium poſtulando.

CHARITATE. Qualem vis ſe tibi exhibeat Deus, ſcilicet benignum & miſericordem, &c. talem tu te exhibeas proximo. Neminem ſpernas: & ſic eris amicus Dei, qui nullum abhorruit, neminem deſpexit. Amicorũ autem idem eſt velle & nolle. Vel aliter: Quia facilè frigeſcimus, ideo oportet vt ignem quæramus charitatis per gemitum orationis, per meditationẽ Dominicæ paſsionis, per dolorem compaſsionis, per deſiderium cum eo vnionis ſecundũ quod ſupra diximus in via vnitiua. O Domine quando te diligam? &c.

LABORE. Oportet te laborare, & non immerito: quia in omnibus officijs grauiora ſunt initia, poſtea tamen conſuetudine alleuiatur onus. Ecce quantos agricolæ perferũt labores, vt fructus terræ percipiant, mercatores mare tranſmeant multis ſe periculis exponentes: milites in bello vulnera recipiunt. Et hæc omnia ſuſtinent propter res tranſitorias: multo igitur magis debes tu propter bona æterna laborare.

MODERAMINE ſcilicet actionum per diſcretionem. Debes in omnibus tenere mediũ, non ſis nimis feruens, neq; tepidus, non nimium remiſſus:

missus: nec rursum nimium inquietes, secundùm illud: Omnibus modũ adde: qui est pulchra virtus valde.

NATVRALI complexione. Attende diligenter quid est quod tuæ naturali inclinationi est conformius; quibusdam enim multum prodest esse diutius in oratione: quibusdã in meditatione: quidam facilius ad eam trahuntur ex iudicio rationis: quidam ex consideratione diuinorum beneficiorũ: quidam sunt aptiores ad vitam actiuam: quidam ad contemplatiuã. Rursum circa sumptionem cibi & potus, debes aduertere naturã tuæ complexionis: & de vtroq; moderate sumere; nam vni est nimium, quod alteri parum: idcirco vide ne cor tuum grauetur crapula & ebrietate.

ORDINE. vt scilicet incipias à via purgatiua: vt primo laueris & munderis; deinde per illuminatiuam illustreris, antequam per vnitiuam dilecto vniaris. non enim decet lutosum & sordidum priusquã lauetur, ad osculum Regis accedere: ne incedas super tectum, antequam super terram discas incedere.

PROMPTITVDINE. vt in victu sic te habeas & in somno, quòd semper sis promptus cor sursum leuare, vt in te verificetur illud: Sursum corda, Habemus ad Dominum: & dicere valeas: Deus Deus meus, ad te de luce vigilo. Esto igitur ad vigilandum paratus, & voluntarius, atque discretus.

QVIETE. Vt fugias omnia quæ mentem distrahunt, quiescens in pace Domini, nisi officio vel obedientia seu obligatione circa aliquam exte-

exteriorem occupationem sis astrictus. Fuge tamen iudicia & suspitiones: quia valde cor inquietum reddunt. Si autem in te insurgunt cogitationes suspicãdi, proijce eas à te nihil determinatè iudicans: sed dic: Qui iudicat nos, Dominus est. In meliorẽ partem interpretare quæ ambigua sunt. Si quis autem ceciderit, compatere ei, dicens: Si illa tentatio in me veniſſet, profundius forsan cecidiſſem.

RECOLLECTIONE. Sæpè te recolligere satage ab infimis ad superna, à temporalibus ad æterna, ab exterioribus ad interna: à vanis ad sempiterna. Ne cupias vanitates aut fabulas audire: sed dic: Vidi cuncta quæ erant sub sole: & ecce omnia vanitas. & solus dilectus meus bonus, solus amabilis, speciosus, & mihi sufficientiſsimus.

SERVITIO sanctorum. Debes habere deuotionem ad aliquos sanctos, quibus quotidie aliqua impendas seruitia: vt ante conspectum Dei semper pro te intercedere dignentur. præsertim ad Dominam nostram, ad Angelum custodem, ad aliquem Apostolorum, Martyrum, Virginum, seu Confessorum: vel ad plures, vt pro te orent.

TOTALI subiectione. vt te totum subijcias diuinæ voluntati, dicens Domino: Pijſsime Domine mi Iesu Christe, sicut tu scis & vis, ita fac mecum. Et si tibi gratiam orandi, vel meditandi seu contemplandi contulerit, cum timore recipe. si autem non præstiterit, patienter sustine. sis contentus omnibus sine murmuratione, quę erga te ipse fecerit: & ita sis vnus cum eo spiritus,

ritus, vt nihil nisi Christum crucifixum cogites.

VLTERIORI tendentia per quietem contemplationis. Si es religiosus, vt dicit Gerson, intendere obligaris ad obtinendam quietē contemplationis, quamuis vix in fine vitæ tuæ valeas eam comprehendere. hoc siquidem requirit religionis status. ad milites pertinet miserabiles personas defendere: agricolæ est terram excolere: religiosi verò est contemplationi insistere. Et vt dicit Bonauentura, vbi desinis vna die, inde alia die inchoandum est: vt facias sicut qui vult aliquem montem altū ascendere, qui cum vult pausare, non redit retro ad primum locum vnde cœperat, sed in loco in quo se inuenit, requiescit: & resumptis viribus, illinc cœptum prosequitur ascensum. Et ideo parum vel nihil in contemplatione proficimus: quia quod hodie difficulter gratia Dei adiuti adepti sumus, cras intendendo leuitati, & fabulis, vel ludis amittimus. Vnde relicto montis ascensu descendimus ad vallem non frequentantes contemplationem.

CHRISTO. Nihil Christo præponas, deprecans eum, vt dignetur esse adiutor, protector, & ductor tuus, & finis tui itineris.

TRA

TRACTATVS DE ERVDITIONE RELIGIOSORUM Index:

NVMERVS PRIOR CAPITA; POSTERIOR FOLIA designat.

Libri primi pars prima.

QVOD necessarium sit gratiam in eductione factam sibi agnoscere. 1. 1

Septem considerationes, quæ valent ad cognoscendam magnitudinem gratiæ, in eductione de mundo à Deo receptæ. 2. 2

De falsitate mundi. 3. 9

De bonorum temporalium modicitate. 4. 15

Bona temporalia, spiritualium sunt impedimenta. 5. 16

De veloci transitu bonorum temporaliũ. 6. 18

De cruciatu mundi. 7. 19

De periculo mundi. 8. 22

I. Libri. Pars II.

De mutatione status secularis in statum religionis. 1. 25

I. Libri. Pars III.

Quòd reditus ad seculũ multũ sit timendº. 1. 26

Quod multa sint reditum ad seculum disuadentia. 2. 28.

De his q̃ valẽt ad stabilimentũ viri religiosi. 3. 31.

I. Libri. Pars IV.

Qualiter intrans religionem nihil mundi debet retinere. 1. 37
Quæ debeant relinquere ij qui intrant religionem. 2. 39
Furtum proprietarij est detestabile. 3. 41

II. Libri. Pars I.

De disciplina religiosorum in communi. 1. 43
Cura nouitij circa corporis disciplinam debet esse. 2. 45
Disciplina quot modis dicatur. 3. 46
Disciplina quid sit. 4. 47
Commendatio disciplinæ. 5. 48

II. Libri. Pars II.

Quod doctrina valet ad obtinendam disciplinam. 6. 55
Exemplum multùm valere ad obtinendam disciplinam. 7. 57
Inspectio operum multùm valet ad disciplinã& Examinatio quotidiana. 8. 59
Pudor valet ad obtinendam disciplinam. 9. 60
Obedientia valet ad obtinendam disciplinam. 10. 61.
Perseuerantia valet ad obtinendam disciplinam. 11. 63

II. Libri. Pars III.

Disciplina in habitu; quid Religiosus debeat cauere & quid quærere. 1. 67
Duodecim possunt esse reprehensibilia in habitu. 2. 69
Disciplina in gestu. 3. 73

De

De gestu commendabili. 75
Disciplina in risu. 4. 76
Disciplina in locutione. Quod loquutio oris sit custodia animi. 5. 77
Magna diligentia est adhibenda in custodia linguæ. 80
Quæ sint attendenda in locutione. 84
Quæ valeant ad custodiam linguæ. 91
Claustrale silentium valet ad custodiam linguæ. 93
Disciplina in comestione. 6. 95
Quæ disciplina sit seruanda in mensa. 96
Pretiosi cibi non sunt quærendi. 98
Corpori non sunt quærendæ delitiæ. 99
Insoliti cibi non sunt quærendi. 104
Studiosa ciborum præparatio plurimùm dissuadetur. 105
Quantitas cibi. 106
Modus sumendi cibum. 107

III. Libri. Pars I.

Quòd multum tentantur mundum relinquentes. 1. 110
Dæmones tentant homines. 2. 111

III. Libri. Pars II.

Tentationes amicis Dei multùm vtiles sunt. (1. 112

III. Libri. Pars III.

Diabolus mendacijs multùm vtitur; & Quorundam mendaciorum specificatio. 1. 115
Quatuor tentationes diaboli. 2. 117
Quot sint aduertenda circa impugnationem diaboli. 3. 118

III. Libri. Pars IV.

De modo repugnandi ſerpenti infernali per contritionem capitis. 1. 123.
De quibuſdam quæ valent ad triumphandum de diabolo. 2. 129
De vigilantia quæ ad idem valent. 132
De ſolatijs humanæ ignorantiæ contra aſtutiam & potentiam diaboli. 3. 138
Quomodo repugnandum ſit hoſti cùm impugnat moleſtijs. 4. 143
Sex documẽta pro pugna contra diabolũ. 5. 144
De tentatione puſillanimitatis. 6. 145

IV. Libri. Pars I.

De eruditione animi. 1. 147
De ordinatione rationis quantum ad actum cogitandi. 2. 149
De ordinatione rationis ad actum inquirendi. 3. 153
De ordinatione rationis ad actũ iudicãdi. 4. 155
De ordinatiõe rationis ad actũ memorãdi. 5. 157
De ordinatione rationis ad actum interpretandi. 6. 160
De ordinatione voluntatis. 7. 161
Actus concupiſcibiles quomodo determinentur. 8. 165
De ordinatione actuum concupiſcibiliũ. 9. 167
De ordinatione actuũ iraſcibilis virtutis. 10. 173

IV. Libri. Pars II.

De ordinatione virtutum triplici. 1. 179
Fides quomodo ſe habeat ad cæteras virtutes. 2. 181
Charitas quomodo ſe habeat ad cæteras virtutes. 3. 183

Humilitas quomodo se habeat ad cæteras virtutes. 4. 184
Timor quomodo se habeat ad cæteras virtutes. 5. 185.

IV. Libri. Pars III.

Desiderium claustralis manendi in monasterio. 1. 187.
De ordinatione animi quo ad locum orationis. 2. 189
Reuerentia est adhibenda loco orationis. 191
Quinque pertinent ad reuerentiam loco orationis exhibendam. 193
Dissolutio in choro qualiter sit cauenda. 198
Reuerentia adhibenda circa altare; &, Irreuerentia cauenda circa altare. 203
De ordinatione ad locum correctionis. 3. 206
Correctio est amanda à religioso. 207
Quomodo se habendum sit in loco correctionis qui iudicat & accusat. 209
De ordinatione ad locum refectionis. 4. 214
De ordinatione ad locum dormitionis. 5. 515
De ordinatione ad locum locutionis. 6. 217

IV. Libri. Pars IV.

De ordinatione secundum diuersitatem temporum. 1. 218
Seruus Dei quomodo se habere debeat tempore prosperitatis & aduersitatis. 220
Otiositas multum cauenda iuueni. 221
Obstinatio multum cauenda seni. 222
Pertinentia ad diuersos status religionis. 2. 223
Religiosus qui malè viuit est reprehensibilis. 225
Inordinationes claustri. 3. 233

V. Libri. Pars I.

Religiosus quomodo se debeat habere ad proximum. 235
Commendatio viuentium sub obedientia. 1. 236
Commendatio sanctæ societatis. 2. 240
Sociabilitas est necessaria religioso. 3. 245
Commendatio vnitatis. 4. 246
Diuisio vnitatis. 5. 249
Octo quæ valent ad vnitatem. 6. 250
Innocentia custodienda ab omnibus. 7. 255
Innocentia religioso multùm custodienda. 8. 258
Innocentiæ partes. 9. 261
Nocumenta quæ mali inferant bonis. 10. 262
Incitamenta Religiosi ad amandos fratres. 11. 264.
Modus amandi proximum. 12. 267
Quæ valere possunt vt frater ametur. 13. 274
Amor inimicorum. 14. 279
Honor quem fratres sibi inuicem exhibent. 15. 282
Commendatio mutui amoris. 16. 283
Discretio quę sit habenda in exhibendo amore. 17. 284
Inhonoratio fratris multùm est cauenda. 18. 286

V. Libri. Pars II.

Prælati discretio in fratrum receptione. 1. 287
Diligentia in nouitiorum instructione. 2. 291
Nouitij non sunt leuiter recipiendi ad professionem. 3. 293
Exemplum prælati erga omnes 4. 295

Præla-

Prælatus correctionem malorum non debet negligere. 5. 298
Prælatus non nobilitatem sed bonitatem debet attendere. 6. 302
Prælati cura de conuentu. 7. 305
Prælati prouidentia de infirmis. 8. 306
Prælatus spiritualia temporalibus debet præponere. 9. 309
Prælatus maiora bona minoribus debet præponere. 10. 313
Prælatus qualiter dispensare debeat. 11. 315
Prælatus vniuersa debet temperare, 12. 316
Subditus quomodo se debeat habere erga maiorem. 318
Obedientiæ commendatio; & Obedientiæ detestatio. 13. 318
Obedientiæ gradus. 14. 320
Obedientiam quæ iuuent. 15. 324
Aduersaria obedientiæ. 16. 328
Obedientiæ partes. 17. 332

V. Libri. Pars III.

Ministri monasterij qualiter bona dispensare debeant. 1. 335

V. Libri. Pars IV.

Quomodo se debeant habere diuites & pauperes, &c. 1. 338

V. Libri. Pars V.

De infirmis monasterij. 1. 341

Finis Indicis tractatus de eruditione Religiosorum.

INDEX DIRECTORII HORARVM CANONICARVM.

PRIOR NVMERVS CAPVT; POsterior fol. denotat.

QVOD monachus officium diuinum accuratissimè debet explere. 1. 348

Quàm sit necessarium monacho ante vigilias se ad eas peragendas præparare. 2. 349

De tribus modis præparationum, & de præparatione ante officium vigiliarum facienda. 3. 350

Qualiter deuotus religiosus poterit esse attentus in Psalmodia, & habere semper mentem in Deum eleuatam. 4. 356

Quomodo se debet habere religiosus in prima & tertia per totam hebdomadam, accipiendo beneficia Dei tanquam obiecta secundùm ferias. 5. 365

Qualiter se debet habere in sexta & nona. 6. 375

De vesperis. 7. 379

De completorio. 8. 379

Qualiter sunt horæ terminandæ, & quid agendum est in illo paruo interuallo, quo in choro genuflectimur. 9. 382

Quid meditandum est in fine Psalmorum cùm dicimus, Gloria Patri. 10. 384.

INDEX EXERCITATORII VITAE SPIRITUALIS.

PRologus. 389
Quòd magnopere oportet religiosum spiritualis profectus auidum bona quærere consortia,& deuitare mala. 1.391
Quàm necessarium sit religioso spiritualia habere exercitia ad spiritus purgationem. 2.393
De fructibus qui ex certis & determinatis exercitiis proueniunt. 3.394
De his quæ sunt necessaria ijs qui in spiritualibus exercitiis occupantur. 4.396
Qualia debent esse spiritualia exercitia , & de eorum moderamine. 5.398
De his quæ vt in spiritualibus exercitiis simus feruentes,nos excitant. 6.400
Qualiter professio, & loci sanctitudo excitare habent religiosum, vt sit in spiritualibus exercitiis feruens. 7.406
Quàm sit necessarium quòd religiosus habeat determinatas materias, & certa tempora ad spiritualia exercitia. 8.409
Quòd multiplici ratione decreuerunt Sancti vt certis horis & temporibus orationi mentali religiosi vacarent. 9.412
Quomodo incipientes Deo seruire, inchoant à timore qui est initium sapientiæ;& de speciebus timoris. 10.414
De his quæ timere debemus. 11.418
De partitione meditationum per totam hebdomadam secundùm viam purgatiuam. 12.420

De his quæ feria tertia post vigiliarum & matutinorum synaxim sunt meditanda. 13.434
Quæ sunt meditanda feria quarta post officium nocturnum. 14.437
De meditationibus, quibus feria quinta est vacandum post matutinorum expletionem. 15.440
De his circa quorum meditationem, religiosus feria sexta est occupandus post matutinale officium. 16.442
Quæ sunt corde ruminanda post matutinorum synaxim sabbato. 17.446
Quæ debet monachus bonus in corde suo versari die dominica post officium matutinorū. 18.449
Quanto tempore oportet monachum exercitari in via purgatiua, & in quo poterit cognoscere se esse purgatum. 19.451

SECVNDA PARS.

Quomodo accedens ad exercitia viæ illuminatiuę, debet prius esse mundatus à peccatis per viam purgatiuam: vt diuinorum radiorum possit esse capax. 20.453
De discussione conscientiæ, quam post completorium bonus monachus debet agere; vt ad viam transeat illuminatiuam. 21.455
De via illuminatiua secundum diuinum Dionysium. 22.459
Quem modum debet obseruare monachus, ad animæ suæ illustrationem per singulas ferias, secundum viam illuminatiuam in diuinorum beneficiorum recognitione: & in gratiarum

tiarum pro eis actione. 23.460
Qualiter via ista illuminatiua recipit ex diuersis partibus suæ charitatis radios, & præcipue ab oratione dominica, quam vacans mentis suæ illuminationi, debet diligentissime, affectuosissime contemplari, vt diuini amoris igne flammescat. 24.471
De aliquibus admonitionibus, quibus apparet quàm sit reprehensibilis, qui prædicta negligit exercitia. 25.478

TERTIA PARS.

De via vnitiua & perfectiua, & ostendit quid sit, & quæ debet habere qui ad eam cupit peruenire. 26.480
Quæ sunt contemplanda per totam hebdomadam post nocturnum officium, secundum viam vnitiuã siue perfectiuam, ad hoc quòd valeat religiosus sex gradus ascendere, vt animam possit Deo vnire. 27.484
Quomodo mens nostra eleuatur in Deum per Seraphicum amorem, sine aliqua præuia intellectus consideratione. 28.496
Quòd exercitator plus amat quàm intelligit, seu cognoscit. 29.498
Quæ sunt illa quæ Seraphicus amor operatur in anima exercitatoris. 30.502

QVARTA PARS.

Quòd magna literatura est scientia, & non sapientia; & quòd contemplatiuis non est omnino necessaria. 31.507
Qui sunt ad contemplationem aptiores. 32.509

Quòd

Quòd secundum Doctores multum interest inter Sapientiam & Scientiam. 33.512
Quomodo vita contemplatiua debet inchoare à labore actiuæ. 34.512
Quòd gratia singularis quibusdam collata, non est omnibus imitanda. 35.514
Quomodo diuinus amor erit principium & finis contemplationis. 36.516
In quo consistit perfectio vitæ contemplatiuæ, per similitudinem amoris mundani. 37.518
Qualis debet esse amor, quem erga Deum perfectus contemplatiuus debet habere. 38.520
De duobus modis silentij & solitudinis. 39.521
Disputat quòd vita contemplatiua primo prodest sibiipsi. 40.523
De vtilitate, quam contemplatiui erga alios operantur. 41.525
Quòd non est superbia contemplationi intendere, vt quidam existimant: quod exemplo ostenditur. 42.527
Quantum actiuos contemplatiui præcellunt. 43.528
Quàm necessaria sit contemplatiuo diuina gratia. 44.530
Qualiter anima contemplantis dicitur supra corpus eleuari, & fieri simplex siue vnica. 45.531
De diuersis modis quos Sancti in tractando de contemplatione habuerunt. 46.534
Quem modum contemplandi habuit B. Bernardus in suæ conuersionis initio. 47.536
Quid est contemplatio, & de diuersis eius speciebus & materia. 48.538

Quomo-

Quomodo contemplatiuus in ſua contemplatione debet tribus modis aſcendere, ſecundum vitam & paſsionem Domini. 49.540
De Prophetiis, figuris, & Scripturis circa incarnationem Domini. 50.545
De annunciatione dominica. 51.546
De vita Chriſti ſub quodam compendio ad nouos contemplatiuos. 52.546
Summarium vitæ Dominicæ metricè. 53.551
De Cœna Domini & de præparatione ad dignè percipiendum eius ſacratiſsimam Euchariſtiam. 54.554
Quòd vir deuotus & contemplatiuus non debet abſtinere à receptione Euchariſtiæ propter interdum inſurgentes ſcrupulos. 55.560
Quòd paſsio Chriſti continet omnem perfectionem homini in hac vita poſsibilem. 56. 562
Quòd paſsio Domini poteſt ſex modis conſiderari. 57.564
De paſsione Domini in ſex partes diuiſa. & primo ponitur quoddã præparatorium ad melius eam contemplandam. 58.571
Quòd contemplatiuus debet aſsidue paſsionem Domini meditari, ne feruor deuotionis in eo extinguatur. 59.581
De reſurrectione & aſcenſione Domini & de miſsione Spiritus ſancti. 60.589
Quòd fortis perſeuerantia eſt neceſſaria vt ad perfectionem contemplationis perueniatur. 61.529
De multis impedimentis perueniendi ad artem contemplationis. 62.594

In

Ponuntur quædam alia contemplationis impedimenta. 63.599
Quòd ex defectu fortis perseuerantiæ quidam modicum in contemplatione proficiunt. 64. 602
Quomodo contemplatiuus debeat habere Dei cognitionem. 65.604
Quomodo Deus habitat in anima per gratiam tribus modis. 66.606
Quòd omnes & maxime religiosi tenentur se extendere ad acquirēdam perfectionem sub pœna damni præsentis & futuri. 67.607
Quòd in certis casibus debet contemplatiuus descendere de sua contemplatione, & sua intermittere spiritualia exercitia. 68.610
De aliquibus documentis circa supra dicta obseruandis, & ponitur libri conclusio. 69.618


Laus Deo Virginiq; Matri Mariæ.

1596



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


1
439
Th
2954


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN